BIBLIOTHECA

CLASSICA LATINA

SIVE

COLLECTIO

AUCTORUM CLASSICORUM LATINORUM

CUM NOTIS ET INDICIBUS

On souscrit, à Paris,

Chez N. E. LEMAIRE, Éditeur, rue des Quatre Fils, n° 16, au Marais.
BARROIS l'aîné, libraire, rue de Seine, n° 10, Faub. St-Germ.
DEBURE frères, libraires du Roi, rue Serpente, n° 7.
TREUTTEL et WURTZ, libraires, rue de Bourbon, n° 17.
F. DIDOT, imprimeur du Roi et de l'Institut, rue Jacob, n° 24.
Ant. Aug. RENOUARD, libraire, rue de Tournon, n° 6.
BOSSANGE père, libraire, rue de Richelieu, n° 60.
BRUNOT-LABBE, libraire de l'Université, quai des Augustins, n° 33.
MONGIE aîné, libraire, boulevard Italien, n° 10.
H. VERDIÈRE, libraire, quai des Augustins, n° 25.
ARTHUS-BERTRAND, libraire, rue Hautefeuille, n° 23.

Et chez tous les Libraires de France et des pays étrangers.

C. VALERII FLACCI

SETINI BALBI

ARGONAUTICA

EXCUDEBAT FIRMINUS DIDOT,
REGIS ET GALLICARUM ACADEMIARUM TYPOGRAPHUS.

C. VALERII FLACCI

SETINI BALBI

ARGONAUTICON

LIBROS OCTO

VETERI NOVAQUE LECTIONUM VARIETATE,

COMMENTARIIS, EXCURSIBUS, TESTIMONIIS,

ARGONAUTARUM CATALOGO, INDICE NOMINUM RERUM ET VERBORUM UNIVERSO

INSTRUCTOS AC DILIGENTER RECENSITOS

EDIDIT

N. E. LEMAIRE

VOLUMEN POSTERIUS

PARISIIS

COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE

POESEOS LATINÆ PROFESSOR

MDCCCXXV

C. VALERII FLACCI

SETINI BALBI

ARGONAUTICON

LIBER SEXTUS

LIBRI SEXTI

ARGUMENTUM

ÆGIDIO MASERIO

AUCTORE.

Mars furiis agitur : Minyarum fœdera Perses
Quæritat : auxilium Scythicis perfertur ab oris :
Æsoniden Pallas sequitur ; fratremque Medontis
Candenti deturbat equo semotus Amyclis
Castor : Stire, fugis ; nec cæsum credis Anausim
Saucius : in Minyas compellit Iazyga Mavors
Gesandrum : Canthus rapitur ; pro corpore pugna
Exoritur ; curru Euryale indignata receptum
Vindicat ; inque tui falces, Ariasmene, currus
Laberis : ignotis Juno implet Colchida curis ;
Miratur virgo pugnas : cadit ense Colaxes
Æsonio : damnat divorum oracula Perses.

C. VALERII FLACCI

SETINI BALBI

ARGONAUTICON

LIBER SEXTUS.

ANALYSIS LIBRI SEXTI.

Reliqui dii deæque placido sese dederant somno; solus Mars nihil ab ira remittens, de bello cogitat, diuque, utri parti accedat, dubius, tandem Persæ Scythisque contra Æeten et Argonautas opitulari constituit. Currum igitur illico hac ipsa nocte conscendit, ad castra Scytharum venit, et ad arma omnes eo inprimis concitat, quod Jasoni, ut in belli societatem veniret, fraudulenter rex Æetes persuaserit, 1-13. Quod Æetæ consilium ut irritum faciat Perses, mittit ad Jasonem, qui, quantopere ipse de tradendo vellere laboraverit (vid. V, 252-278), eoque iram regis in se concitaverit, monerent, et in suas partes traherent. Mandata peragere legati nequeunt, nam ad ipsum orientem solem agmina Mars committit utrimque, 14-32. Poeta prius, quam prælium ipsum describat, gentes ducesque enumerat insigniores, et primo quidem Scythicos, 33-170. I. Anausis, rex Alanorum et Heniochorum, infensus eo, quod Medea ipsi olim pacta fuerat, 41-47. II. Colaxes, dux Bisaltarum, filius Jovis ex nympha Scythica, 48-59. III. Auchus, dux Cimmeriorum, crines triplici nodo constrictos in vertice gerens, 60-64. IV. Dathis, a rege suo Darape dux missus, sub signis habet Gangaridas, accolasque fluvii Geryos lacusque Bices, 65-68. V-VII. Anxur, Rhodalus, Sydon, 69. VIII. Phryxus ab Acesina fluvio ducit agmen, quod cervum habet pro signo militari, 70-73. IX. Syenes, dux gentis Hylææ, quæ silvas colit amœnissimas, 74-78. X. Cyris, dux Hyrcanorum, 79. XI. Coraletæ, in plaustris viventes, 80-83. XII-XIV. Tyræ fluvii accolæ, et quos miserat Ambenus mons et urbs Ophiusa, 84, 85. XV. Sindi, servilis

conditionis, 86-87. XVI. Phalces cum Corallis, 88-94. XVII. Sidones, 95. XVIII. Baternæ, duce Teutagono, 96-98. XIX-XXII. Accolæ fluviorum Noæ, Alazouis, Taræ et Evarchi, 99-102. XXIII. Ariasmenus, potens præ cæteris rex, 103, 104. XXIV. Drancæi, 105. XXV. Caspiadæ, qui canes ad prælia comites habent, 106-113. XXVI. Varus, vates, secum habet Hyrcanos, Indos, Thebarum (Ægypti) et Panchææ (Arabiæ) incolas, 114-119. XXVII. Iberi tres duces habent, Otacin, Latrin, Neurum, 120-122. XXVIII. Iazyges, duce Gesandro (v. 280), qui, ne senectutis incommoda sentiant, sponte se filiis tradunt interficiendos, 123-128. XXIX-XXXI. Micelæ, capillis odoratis, Cissæi, Arimaspi, quorum regio metallifera, 129-131. XXXII. Auchates, laqueis adversus hostes uti soliti, 132-133. XXXIII. Thyrsagetæ, colonia a Baccho olim deducta, 134-142. XXXIV-XXXVII. Eumedæ, Exomatæ, equitandi venandique peritissimi; Torini mellificio, Satarchæ re pecuaria divites, 143-149. XXXVIII. Centores. XXXIX. Choatræ, veneficiis famosi, cum duce Coaste, 150-159. XL. Ballonoti. XLI. Mœsi desultores. XLII. Sarmatæ, longis armati hastis, 160-162. Scythicarum istarum gentium immensam multitudinem et tumultum bellicum comparationibus aliquot illustrat Poeta, 163-170. Jam ex altera, Colchorum, parte enumerantur (A) Absyrtus, filius regis, (B) Stirus destinatus Medeæ conjux, (C) Jason, cui adest Pallas, ita tamen, ut nondum pugnæ se ea immisceat, 171-177. Mars contra eo acrius instat ad committendas invicem acies; variæque dehinc singulares hominum obscuriorum pugnæ narrantur, omninoque cruenta campi, in quo pugnatur, facies pingitur, 178-202. (D) Castor Argonauta, equorum amantissimus, quum Hyrcanos fratres, Gelan et Medorem, candidis equis vectos conspexisset, Gelan sagitta dejicit, equumque, arridente Jove patre, sibi vindicat; Medorem autem, fratris mortem ulturum, (E) Phalerus Argonauta conficit, 203-218. Alii a Castore cæsi memorantur, inter quos XLIII. Tages, et Sarmatarum plures, 219-239. Nec tamen Colchis incruenta est pugna, quorum, ignobiliorum tamen, mortes narrantur, 240-264. Medeæ proci, Anausis et Stirus, alter alterum et sarcasmis petunt et armis: ille vulnere accepto cadit, hic saucius effugit, 265-278. Gravem inprimis adversarium experiuntur Colchi XLIV. Gesandrum, Iazygum regem, qui objurgatis ob ignaviam suis, manibusque patris Vorapti invocatis, primum in (F) Aquiten,

fluvii Phasidis sacerdotem, incidit, qui filium (G) Cyrnum e prælio revocaturus in campum venerat. Hoc perempto, obviam sibi factum (H) Canthum, Argonautam, hasta confodit. Advolant (I-N) Argonautæ Idas, Meleager, Menœtius, Pollux, Telamon; et gravissimum oritur certamen de Canthi cadavere, quod Telamoni tandem contingit eripere, et in (O) Euryales, Amazonum reginæ, curru locare. Euryale ipsa sociam se dat Argonautis, securi letale vulnus infligit Gesandro, qui tandem moribundus corruit, 279-385. Ariasmenus falcatis curribus magnam intentat Colchis cladem, ad quam avertendam ipsa Pallas Medusæ caput admovet, quo factum, ut equi consternati retro verterentur, currusque implicati ipsos dominos conciderent, ipsumque Ariasmenum, 386-426. Jam vero Juno his omnibus Jasoni suo aditum ad aureum vellus non pandi, immo vero cum flammiferis tauris Cadmeaque segete decertandum fore prævidens, Medeam, magicæ quippe artis peritissimam, unam esse, cujus ope Jasonem a periculis liberare possit, existimat, præsertim, si artibus magicis amor Jasonis accedat, 427-454. Adit ergo Venerem, quæ et cingulum dat, et obsequiosos omnes Amores suos, 455-477. Quibus subsidiis instructa, Medeæ, adsumpta Chalciopes sororis et facie et voce, persuadet, ut mœnia secum ascendat, ad fortia Argonautarum facta spectanda, 478-506. Inter mutuas cædes eminent fortitudine Absyrtus et (P) Aron, et (Q) Argus, filius Phryxi, (R) Calais, Argonauta, (S-T) Eurytus et Nestor, itidem Argonautæ, 507-574. Præ aliis tamen omnibus Jasonem oculis prosequitur Medea, magis adhuc a Junone incitata, 575-601. Eadem Juno ipsum Jasonem novis viribus instruit, ut Medeæ sese rebus præclare gerendis probet, 602-620. Præter alios minorum gentium duces, quos omnes fundit, contra cum insurgit Colaxes, ipsius Jovis filius, qui pluribus Colchis, in his (U) Tydro, destinato fluvii Phasidis sacerdote, confectis, impetum tandem facit in Jasonem saxo prægrandi, quod tamen Juno ad alium avertit. Advolat Jason, et jactatorem lancea confodit, 621-656. His omnibus Medea abrepta, et, quid agat, nescia, simulatæ sororis monile (cestum Veneris) contrectat, eoque ad amorem magis incenditur, sororique de peregrino tam forti sollicitudinem fatetur suam; quo facto, Juno eam relinquit, 657-680. Medea pergit de muro spectare prælium, cui quum se immiscuisset (V) Myraces, Parthorum regis ad Æeten legatus, a Syene sternitur, quod tamen Medeam, in solo Jasone

defixam, non magis movet, quam res ab Argonautis (X) Talao et (Y) Acasto egregie gestæ, 681–724. Tandem insurgit contra Jasonem Perses; a Junone tamen, destinatus quippe Æetæ successor, nebula involutus, ad extremam aciem abripitur, 725–751. Nox tandem prælio finem facit; et duces in urbem revertuntur, quo et animo et oculis prosequitur Jasonem Medea, 752–760.

At vigil isdem ardet furiis Gradivus, et acri
Corde tumet, nec quas acies, quæ castra sequatur,
Invenit; ire placet tandem, præsensque tueri,
Sternere si Minyas, magnoque rependere luctu
Regis pacta queat, Graiamque absumere pubem.
Impulit hinc currus, monstrum irrevocabile belli
Concutiens, Scythiæque super tentoria sistit.
Protinus e castris fugit sopor; excita tela;
Turbati coiere duces: hos insuper ingens
Fama movet, rate quæ sacra vulgabat Achivos
Advenisse, sui repetentes vellera Phryxi,
Quos malus hospitio junctaque ad fœdera dextra
Luserit Æetes, atque in sua traxerit arma.
Ergo, consiliis dum nox vacat alta movendis,

1. *At vigil his furiis ardet.* Bonon. cod. et edd. ante Carr. — 3. *Præsensque videri.* Vatic. Bonon. codd. et edd. ante Carr. — 5. *Absumere puppem.* Vatic. Bonon. codd. et edd. præter Ald. Ed.

1. Somno se dederant dii deæque omnes; *at vigil*, pervigil, *iisdem ardet furiis*, nihil remiserat ab ira vehementi, *Gradivus, nec invenit*, dubius est, *quæ castra sequatur*, utri pugnantium parti accedat.

3. *Ire placet, præsensque tueri* (rectius *præsentem*; vel *tueri* infin. pro imperfecto?), *sternere si* (an) *Minyas, magnoque rependere luctu regis pacta queat*, magnam calamitatem inferre, quod cum rege ejusmodi pacta inierint.

6. *Impulit hinc currus*, incitavit equos, *monstrum irrevocabile*, lanceam ingentem, quæ semel emissa revocari non potest, *concutiens, Scythiæque*, Scytharum, vel Persæ, *super tentoria*, castra, *sistit.*

14. *Consiliis dum nox vacat alta movendis*, noctis silentio interea usus erat *Perses* ad consilia capienda; tandem legatos mittere placet; *mandata edocet adfari Minyas.* Sensus facilis, latinitas perplexior. Varia excogitarunt commentatores, ut lo-

Legatos placet ire duces; mandataque Perses
Edocet adfari Minyas, fraudemque tyranni
Ut moneant; quinam hinc animos averterit error;
Se primum Hæmoniis hortatum ea vellera terris
Reddere, et exuvias pecudis dimittere sacræ;
Hinc odium et tanti venisse exordia belli.
Quin potius dextramque suam suaque arma sequantur,
Aut remeent; neque enim Æetæ promissa fidemque
Esse loco, abstineant alienæ a sanguine pugnæ.
Non illos ideo tanti venisse labores
Per maris; ignotis quid opus concurrere, nec quos
Oderis? Hæc medio Perses dum tempore mandat,
Aureus effulsit campis rubor, armaque et acres
Sponte sua strepuere tubæ. Mars sævus ab altis,
« Hostis io », conclamat, « equis, agite, ite, propinquat »;
Ac simul hinc Colchos, hinc fundit in æquora Persen;

23. *Alienæ sanguine.* Vatic. cod. et edd. ante Carr. *Alieno sanguine.* Boooo. cod. — 24. *Tantos,* et versu seq. *Ignoti.* Junt. Maser. Ald. Engent. Carr. *Tanti venisse labores per maris ignoti.* Boooo. cod. Bonoo. I et II. De vera lectinne jam monuerat Pius. Ed.

cum ad usum loquendi conformarent, in quibus maxime placuit, quod amicissimus Mullerus Cizensis suo exemplari adscripserat: *adferri Minyis*. Forsan tamen ab ipso usu loquendi non discesseris, si *adfari* dividas, ita: *edocet mandata fari* (effari) *ad Minyas*. Locum similem invenisse mihi videbar apud Ciceronem de Offic. III, 16, ubi *adigere arbitrum* est pro *agere*, *cogere ad arbitrum*.

16. *Fraudemque*, de fraude, *tyranni ut moneant, quinam error hinc*, ex partibus Persæ, *animos averterit*, abalienaverit, quum tamen Perses eo ipso, quod vellus Argonautis tradendum suasisset, iram Æetæ et bellum in se concitaverit.

22. *Æetæ fidem non esse loco*, fluxam, instabilem esse.

26. Dum hæc Perses ad Jasonem ferri mandata jubet, *aureus effulsit campis rubor*, vel auroræ, vel Martis curru advenientis fulgor, *armaque* non concussa, *et acres tubæ* non inflatæ *strepuere sponte; Mars sævus ab altis equis*, curru, *Hostis io!* conclamat, *agite, ite, propinquat.* Deproperat verba, uti mos est, ubi periculum est in mora. Sil. Ital. IV, 98: *Arma, viri, rapite arma, viri.* — Conf. Virg. Æn. IX, 38. Ed.

30. *Fundit in æquora*, planitiem.

Tunc et quæque suis committit prælia terris,
Voxque dei pariter pugnas audita per omnes.
Hinc, age, Rhipæo quos videris orbe furores,
Musa, mone, quanto Scythiam molimine Perses
Concierit, quis fretus equis per bella virisque.
Verum ego nec numero memorem, nec nomine cunctos,
Mille vel ora movens; neque enim plaga gentibus ulla
Ditior, æterno quamquam Mæotia pubes
Marte cadat; pingui numquam tamen ubere defit,
Quod geminas Arctos, magnumque quod impleat anguem.
Ergo duces solasque, deæ, mihi promite gentes.

31. *Quæque suis commisit prælia terris.* Vatic. et Bonon. codd. Bonon. I et II. Junt. Maser. Engent. Carr. I. *Quæque suis commisit prælia telis.* Ald. *Quæque suis committit prælia terris.* Carr. II. Heins. *Quisque.* Burm. ex conj. Ed.

31. *Quæque* refertur ad *prælia.* Lectio *terris*, potior *telis*, ut quæ latiorem sensum efficit, quem sic evolvo: Mars, eodem tempore quo Scythas et Colchos in *æquor* pugnæ *fundit*, alios quoque (*et*) populos, suis quosque (in) *terris*, regionibus, inter se *committit.* Sic major apparet belli deus, qui, præsens ubique, pugnarum omnium per totum orbem eodem tempore signum dat. Grandis certe cogitatio, cui, tanquam fastigium, accedit sublimis ille versus: *Voxque dei pariter pugnas audita per omnes.* Ed.

33. Prius quam ipsam describat pugnam Valerius, ad exemplum Homeri in Catalogo navium, et Virgilii, Æn. VII, duces utriusque partis gentesque enumerat, in quarum nominibus tamen non Argonautarum semper ætatem, sed seriorem sequitur. *Musa mone* (*doce*, I, 5).

36. *Nec numero memorem,* memorare possim, *nec nomine cunctos, mille vel ora movens.* Homerus, Il. II, 489, non nisi *decem linguas decemque ora*; Virgilius, Æn. VI, 625, et Ovidius, Metam. VIII, 532, *centum*; Noster *mille* adeo sibi non suffecturas linguas fatetur.

37. *Neque enim plaga gentibus ulla ditior*, nulla regio tot parvas numerat nationes; teste enim Strabone, XI, p. 761, ed. Almelov. in solis Caucasiis montibus septuaginta, vel, si aliis credere fas sit, trecentæ gentes dicuntur habitasse. Idem confirmant nuperi peregrinatores, v. c. *Güldenstädt*, I, 458 sq. et *Reineggs*, I, 33 sq.

38. *Æterno quanquam Mæotia pubes Marte cadat*, perpetuis bellis minuatur, *pingui nunquam tamen ubere defit*, ob multitudinem incolarum non deest, *quod* septentrionales regiones (quas astronomice circumscribit poeta: *geminas Arctos, magnumque anguem*) *impleat* incolis. Monitos tamen lectores velim, Va-

Miserat ardentes, mox ipse sequutus, Alanos
Heniochosque truces jam pridem infensus Anausis,
Pacta quod Albano conjux Medea tyranno;
Nescius, heu, quanti thalamos ascendere monstri
Arserit, atque urbes maneat qui terror Achæas,
Gratior ipse deis, orbaque beatior aula.
Proxima Bisaltæ regio, ductorque Colaxes,
Sanguis et ipse deum, Scythicis quem Jupiter oris
Progenuit, viridem Myraceen Tibisenaque juxta
Ostia, semifero (dignum si credere) captus
Corpore, nec nymphæ geminos exhorruit angues.
Cuncta phalanx insigne Jovis, cælataque gestat
Tegmina dispersos trifidis ardoribus ignes;

48. *Coraxes.* Eugent. cum Pio. — 50. *Maracen.* Junt. Ald. Eugent. *Sævaque juxta.* Bonon. I et II. Ed.

lerium latissimo sensu Scythiam sumpsisse, nec ordinem sequi semper regionum, uti quæque vicinitate alteram excipit, sed magnos subinde facere saltus.

42. Primus est *Anausis*, *Alanorum et Heniochorum* (hodie *Abchasii et Lazii*) rex, iratus, quod præ Albanorum regis filio, Stiro, generum se aspernatus esset Æetes. — Plin. VI, 5, *Heniochorum gentem feram*. Ed.

45. At bonus ille Anausis *nescius* erat, *quanti monstri*, Medeæ, *thalamos ascendere arserit*, tantopere concupierit, *atque urbes maneat qui terror Achæas*, quam cruenta spectacula præbitura Græcis esset Medea, *gratior ipse deis*, cui melius dii, quam sibi ipse consulebat, *orbaque beatior aula*, felicior, quam si voti compos thalami talem sociam accepisset.

48. *Colaxes*, dux *Bisaltarum*, Thracum, ad Strymonem fluvium habitantium, filius Jovis, qui *juxta viridem Myraceen Tibisenaque ostia* eum progenuit. In his fluviis variant libri. Quod si vero Tibisus (Ammiano, XVII, 3, *Tibissus*) is est, quem hodie *Theis* appellamus, pro *Myraceen* malim, præeuntibus pluribus codicibus, *Maracen (Marosch)* qui in Tibiscum se exonerat.

51. *Semifero (dignum, fas est; si credere) captus corpore, nec nymphæ* Horæ, v. 58, *geminos exhorruit angues.* Tacent interpretes, sed semiferum in eo constitit, ut in duos angues desineret virgo formosa superne. De hoc virginis monstro, quæ tamen non ex Jove, sed ex Hercule primos Scythiæ conditores peperit, vide Herodotum, IV, 9.

53. *Cuncta phalanx insigne Jovis gestat*, nempe *tegmina*, scuta, *cælata*, in quibus cælati essent *dispersi trifidis ardoribus ignes*, fulmina; Ovid. Amor. II, 5, 52: *tela Jovis trisulca;* confer supra, II, 500.

Nec primus radios, miles Romane, corusci
Fulminis, et rutilas scutis diffunderis alas.
Insuper auratos collegerat ipse dracones,
Matris Horæ specimen, linguisque adversus utrinque
Congruit, et tereti serpens dat vulnera gemmæ.
Tertius unanimis veniens cum millibus Auchus
Cimmerias ostentat opes, cui candidus olim
Crinis inest, natale decus; dat longior ætas
Jam spatium, triplici percurrens tempora nodo;
Demittit sacro geminas a vertice vittas.
Dathin, Achæmeniæ gravior de vulnere pugnæ,

56. *Diffuderis.* Junt. Maser. Ald. Engent. — 60. *Anchus.* Junt. Maser. Ald. En.

55. *Nec primus radios, miles Romane, corusci fulminis* (alia periphrasis), *et rutilas scutis diffunderis alas. Diffunderis* eodem græcismo, quo, v. 53, *cælata*, sed paullo duriori: diffusi radii per scuta tua. Facilius *diffuderis*, nec abludunt libri. Cæterum, alata fulmina in clipeis militum Romanorum antiquis nummisque ubique obvia, nec facile erit, qui legionem fulminatricem ignoret, de qua scriptores historiæ ecclesiasticæ olim fabulabantur.

57. *Insuper auratos collegerat*, junxerat in fibula, *ipse dracones, matris Horæ specimen* (e Virgilio, Æn. XII, 164, *Solis avi specimen*), in documentum ortus sui a nympha in dracones desinente.

58. *Linguisque adversus utrinque congruit, et tereti serpens dat vulnera gemmæ*, ita apte elaborati erant sibi oppositi serpentes, ut mediam, quæ paludamentum contineret, gemmam mordere dentibus viderentur; conf. supra, III, 190, et ibi adscripta.

60. *Auchus Cimmerias ostentat opes*, acies, *cui candidus olim*, inde a nativitate, *natale decus, crinis est*; nam toti populo communis iste color et in honore est.

62. *Dat longior ætas Jam spatium triplici percurrens tempora nodo*, ætate jam provectior, capillos longiores in triplicem nodum collegerat; *demittit sacro a vertice*, non enim rex solum, sed sacerdos etiam erat more prisco, *geminas vittas.*

65. *Daraps gravior*, tardior, non satis valens corpore, *de vulnere Achæmeniæ pugnæ*, in pugna contra Persas accepto, *misit in arma Dathin, circum quem martia acies est Gangaridum, potaque Gerys quos efferat* (ab *efferare*) *unda*, feri accolæ Geryos fluvii, *quique lacum cinxere Bicen.* Paludem *Bycen* et, qui in eam sese effundit, fluvium *Gerrhum* novi, inveniesque ad Istrum Chersonesi Tauricæ; *Gangaridæ* suspecti, nam hujus nominis populus Indiæ intra Gangem nimis distat: Strabo, II, 347, habet *Gargaridas.* Recte, namque eodem loco Strabo,

Misit in arma Daraps, acies quem martia circum
Gangaridum, potaque Gerys quos efferat unda,
Quique lacum cinxere Bicen. Non defuit Anxur,
Non Rhodalo cum fratre Sydon; Acesinaque lævo
Omine fatidicæ Phryxus movet agmina cervæ;
Ipsa comes, setis fulgens et cornibus aureis,
Ante aciem celsi vehitur gestamine conti,
Mœsta, nec in sævæ lucos reditura Dianæ.
Movit et Hylæa supplex cum gente Syenen
Impia germani prætentans vulnera Perses.
Densior haud usquam, nec celsior extulit ullas
Silva trabes; fessæque prius rediere sagittæ,
Arboris ad summum quam pervenere cacumen.
Quin et ab Hyrcanis Titanius expulit antris

66. *Darabs*. Edd. ante Heins. — 67. *Gerus*. Vatic. Bonon. codd. et edd. ante Carr. — 68. *Bycen*. Vatic. cods et Masar. Vide Voss. not. — 69. *Radelo*. Vatic. Bonon. codd. et edd. præter Eugent. *Sidonya cæsinaque*. Vatic. cod. *Fidon : Iacesinaque*. Carr. *Sydon : Cesinaque*. Bonon. cod. Bonon. I. Junt. Ald. — 73. *Necis sævæ luco*. Vatic. Bonon. codd. et edd. præter Ald. qui *nec in sævæ luco*. — 78. *Arboris*, etc. Abest hic versus a Vatic. et Carr. codd. Ed.

p. 356, et urbem *Darapsum*, unde *Daraps* Noster nomen habet, commemorat.

69. *Phryxus*, fortasse *Chrixus*, quod mavult Heinsius, *Acesina*, ab Acesino fluvio ad Panticapæum in Taurica (Plin. Hist. Nat. IV, 26), *movet*, ducit, *lævo*, infausto, *omine agmina fatidicæ cervæ;* quæ qualis sit, et cur *fatidicæ* nomine veniat, fateor me ignorare. —Vide ad calcem hujus libri not. 69. Ed.

74. *Syenes*, quem Perses, *impia* fratris Æetæ *vulnera* (vid. V, 272) *prætentans* (insolitum pro *monstrans*), excitaverat *supplex*, adduxit *Hylæam gentem*. *Hylæa* non tam gens fuit, quam regio, arboribus dives, quo nomine jam olim laudaverat Herodotus, lib. IV, 19, 76. Poeta noster non contentus multitudinem arborum celebrare, addit etiam proceritatem altitudinemque, eamque ita auget, ut sagittas cacumina non attigisse, sed fatigatas quasi in medio volatu decidisse dicat; conf. Virgil. Georg. II, 123, 124, et Plin. Hist. nat. VII, 2.

79. *Cyris*. Interpretes vel urbem, vel fluvium, vel ducem volunt. Equidem ducem malim ob additum *Titanium*, de quo tamen et ipso cognomine nihil habeo quod dicam. *Hyrcani* vix locum tueri posse videntur, præsertim quum, v. 114, iterum occurrant. Latet fortasse flu-

Cyris in arma viros, plaustrisque ad prælia cunctas
Coraletæ traxere manus; ibi sutilis illis
Est domus, et crudo residens sub vellere conjux,
Et puer e primo torquens temone cateias.
Linquitur abruptus pelago Tyra, linquitur et mons
Ambenus, et gelidis pollens Ophiusa venenis:
Degeneresque ruunt Sindi, glomerantque, paterno
Crimine nunc etiam metuentes verbera, turmas.
Hos super æratam Phalces agit æquore nubem

80. *Cyrus*. Maser. — 81. *Cœiuletæ*. Vatic. Bonon. codd. Bonon. II. *Cœialeæ*. Bonon. I. Junt. Ald. Eugent. *Cœaleæ*. Maser. *Futilis*. Vatic. et Bonon. codd. Bonon. I. Junt. Ald. — 84. *Abruptis*. Bonon. cod. Bonon. I et II. — 88. *Hos super ereptam*. Bonon. cod. *Erectam*. Edd. ante Carr. Ed.

vius *Hypanis* vel *Hypacyris*, et ex *antris* a poeta memoratis, Troglodytas accolas fuisse colligere non sine causa possis.

81. *Coraletæ*, si tamen sana lectio est, nomadicam vitam agentes, *plaustris ad prælia cunctas traxere manus*, *ibi*, in his plaustris, *est illis sutilis*, e pellibus consuta, *domus*, *et crudo*, non subacto et mollito, sed pilis setisque horrido, *residens sub vellere conjux*, *et puer e primo temone* pronus pendens (conf. Propert. IV, 8, 21, et Phædri fabb. III, 6, 5), *torquens*que *cateias*. Cateia est proprie hasta Teutonica; occurrit etiam apud Virgil. Æn. VII, 741, ubi vid. Heynius; cf. et Silius Ital. III, 272, et ibi *Ruperti*. Vitam Scytharum nomadicam desumpsisse videtur poeta ex Herodoto, IV, 46.

84. *Linquitur abruptus pelago*, qui præceps in mare defluit, *Tyra (Dniester)*; *linquitur*, deseritur ab incolis, in bellum proficiscentibus, *mons Ambenus, et gelidis pollens Ophiusa venenis*. Hæc urbs ad Tyran fluvium sita abundabat serpentibus, unde et Græcum nomen; conf. *Mannert*. IV, 234.

86. *Sindi*, ad Hypanin (*Kuban*) habitantes, *degeneres*, non qui degenerassent, a virtute majorum discessissent, sed ignobiles, viles (quo sensu etiam apud Virg. Æn. IV, 13), *ruunt, glomerantque turmas*, equis vecti in bella procedunt, *paterno crimine* (ob crimen patrum) *nunc etiam metuentes verbera*. Nempe, quum Scythæ belli causa aliquando diutius abfuissent, jamque revertentes obviam sibi venire viderent, qui et uxorum interea et facultatum potiti essent, servos, vi quidem et armis initio cogere in ordinem eos voluere; quibus quum nihil profecissent, fustibus et flagellis rem peragere cœperunt, quo facto, reliquiæ non cæsorum servorum in hanc regionem concesserant, Vide Herodot. IV, 3; Justin. II, 5; Ammian. XXII, 8.

88. *Phalces* dux (infra 245) *æratam nubem*, multitudinem, ut sæpe (melius tamen, quod Burmannus

Cum fremitu, densique levant vexilla Coralli,
Barbaricæ quis signa rotæ, ferrataque dorso
Forma suum, truncæque Jovis simulacra columnæ;
Prælia nec rauco curant incendere cornu,
Indigenas sed rite duces, et prisca suorum
Facta canunt, veterumque, viris hortamina, laudes.
Ast ubi Sidonicas inter pedes æquat habenas,
Illinc juratos in se trahit Æa Baternas,

94. *Fata.* Vatic. et Bonon. codd. — 96. *In se trahit.* Vatic. et Bonon. codd. et edd. ante Carr. II. *Secum.* Carr. Ed.

suadet, *pubem*), *agit æquore*, per campum, *densique*, conferto ordine incedentes, *levant vexilla Coralli, barbaricæ quis signa rotæ.* Uti spolia ab hostibus capta (hæc enim sunt, quæ *barbarica* appellat poeta) omnino in templis servabant Veteres (Virgil. Æn. II, 504, *Barbarico postes auro, spoliisque superbi*; conf. eumdem, VII, 183-186, et ibi Heyninm), ita et *currus*. Sil. Ital. I, 618, *In foribus sacris, primoque in limine templi Captivi currus*; Juvenal. X, 135, *curtum temone jugum*; ipse Noster, I, 837, *galeis rotisque prætexta domus.* Forsan igitur rotas curribus exemptas pro signis Scythæ habuerunt, quod non magis mirum videri potest, quam *cervi*, v. 70, et, qui sequuntur, *sues*, et *Jovis columnæ*, quæ omnia a nostris militaribus signis longe discrepant.

90. *Ferrata dorso forma suum.* Sues igitur, quibus pro setis aculeos ferreos addiderant? Ferarum imagines uti omnino priscis signa militaria fuisse scimus, ita in primis de Germanis testatur Tacitus, Hist. IV, 22, et Germ. VII. Romani adeo *aprum* in vexillis habuere. Vid. Plin. H. N. X, 4; Sext. Pomp. Fest. pag. 356, ed. Dacer. conf. libellum *J. Phil. Cassel* de porco in vexillis Magdeb. 1748. Sed quum Scythæ, teste Herod. IV, 63, *sues* aversarentur, et ne alerent quidem, Maserio, qui de *hystricibus* exponit, accesserim. — Vid. Pii nott. Ed.

91. *Truncæque Jovis simulacra columnæ.* Non Martem solum, quanquam hunc in primis, sed Jovem etiam a Scythis cultum esse, idem narrat Herodotus, IV, 59: simulacra igitur ejus, vel protomas truncis arborum imposita pro signis fuisse verisimile fit. — Jovem aliosque deos colebant quidem Scythæ, sed uni Marti statuas ponebant. *Truncæ* igitur *columnæ*, ut mihi videtur, quum vim fulminis omnia frangentis exhiberent, Jovis emblemata, statuarum loco, Scythis habebantur. Ed.

92. *Prælia nec rauco curant incendere cornu*, non tubis lituisve excitant suos ad certamen ineundum, sed res a majoribus gestas decantant, *veterum laudes, viris hortamina*, quibus se ad eamdem laudem impellant.

95. *Baternæ* in Colchos conjurati veniunt *illinc*, ex regione, *ubi pedes*

Quos, duce Teutagono, crudi mora corticis armat,
Æquaque, nec ferro brevior nec rumpia ligno.
Nec procul albentes gemina ferit aclyde parmas,
Hiberni qui terga Noæ, gelidumque securi
Eruit, et tota non audit Alazona ripa;
Quosque Taras, niveumque ferax Evarchus olorum.

100. *Tybarni*. Bonon. II. *Noeæ*. Vatic. Bonon. codd. Bonon. I et II. Ald. Eugent. *Noræ*. Carr. cod. — 102. *Tyras*. Eugent. cum Pio. Ed.

mixtus *inter habenas*, equos, equites, *Sidonicas (Sidones*, Basternarum gentis pars*)*, *æquat* cursu eorum velocitatem. Ed.

97. *Quos crudi mora corticis armat*, scutum ex arboris cortice, quod moretur tela, nec ad corpus penetrare patiatur; sic *loricæ moræ*, Virgil. X, 485; *æris moræ*, Sil. Ital. V, 319.

98. *Æquaque, nec ferro brevior nec rumpia ligno*. Rumpia in telis numeratur a Gellio, Noct. Attic. X, 25, estque, uti locus noster docet, hastarum genus, quarum et pars lignea, et ferrea cuspis eadem apud omnes erat longitudine.

99. Sequuntur accolæ fluminum Scythicorum quorumdam, *Noæ, Alazonis, Taræ, Evarchi. Nec procul albentes*, nudas, puras, sine insignibus, *parmas*, acuta, *gemina ferit aclyde*, duobus jaculis. Bina spicula habet Virgil. Æn. VII, 687, ex quo VII, 730, et ipsam aclydem mutuatus sine dubio est Valerius. Heynius ibi per jaculum amentatum loro aptatum exponit. Est etiam apud Silium Ital. III, 363, et VIII, 550, ubi v. *Ruperti*.

100. *Hiberni qui terga Noæ* (est etiam apud Herodotum, IV, 49), *gelidumque securi eruit, et tota non audit Alazona ripa*. Alazon, hodie *Alasan*, est Albaniæ fluvius; vid. Strab. XI, 344; Plin. H. N. VI, 10; *Mannert*, IV, 428. Hoc, nisi fallor, vult Poeta: accolas istorum fluminum, glacie per hiemem ad imum usque fundum ita constrictorum, ut per totam ripam delabentium sonitus audiri possit nullus, securibus excidere solere glaciei segmenta, e quibus potum sibi parent liquefactis. De frigore in plaga septentrionali vide omnino Virgil. Georg. III, 351; item Ovidium, Trist. III, X, 23, et alibi.

102. *Quosque Taras* (Tyras esse non potest, qui supra jamjam, v. 84, memoratus est, sine dubio *Torus*, quem Colchidis fluvium habet Strabo, lib. XI), *niveumque*, perpetuum epitheton *olorum ferax Evarchus*, de quo apposite laudat locum Etymologici magni Burmannus: Φασὶ δὲ καὶ ποταμόν τινα παρὰ τὴν Σινώπην Εὔαρχον ὑπὸ τῶν Ἀργοναυτῶν προσηγορεῦσθαι, ἀφ' οὗ πρῶτον ἔπιον, ὡς φησὶν Εὐφορίων· « Ἠὲ καὶ Εὐάρχοιο φέρε κλέος ἀμφὶ ῥέεθρον ». — Unum me adhuc in hoc loco vellicat, quod non satis liquet, unde τὸ *quosque*, v. 102, pendeat; nam ad *quos*, v. 97, referri vix potest, nisi versus transpositos suo-

Te quoque venturis, ingens Ariasmene, seclis
Tradiderim, molem belli, lateque ferentem
Undique falcatos deserta per æquora currus.
Insequitur Drancæa phalanx, claustrisque profusi
Caspiadæ, quis turba canum non segnius acres
Exsilit ad lituos, pugnasque capessit heriles;
Inde etiam par mortis honos, tumulisque recepti
Inter avos positusque virum: nam pectora ferro
Terribilesque innexa jubas ruit agmine nigro
Latratuque cohors, quanto sonat horrida Ditis
Janua, vel superas Hecates comitatus ad auras.
Ducit ab Hyrcanis vates sacer agmina lucis

106. *Drangæa.* Junt. et seqq. usque ad Heins. — 107. *Acre.* Engent. — 113. *In aulas.* Vatic. Bonon. codd. et edd. ante Carr. *Auras.* Jam Pius ex conj. — 114. *Vate sacer.* Vatic. cod. *Vates acer.* Bonon. et Burm. codd. Ed.

que loco motos velis, ita ut noster statim ponatur post v. 98: *quosque* sc. *armat*, armatos mittit, Taras, et Evarchus.

103. *Ariasmenum*, regulum Scytharum, *ingentem* ob proceritatem corporis, *molem belli*, intellexerim de eo, quod haud leve momentum afferret, utri parti accederet.

104. *Lateque ferentem Undique falcatos deserta per æquora currus*, qui curribus suis tam late prostravit hostes, ut nullus per campos superstes conspiceretur; confer infra v. 387.

106. *Insequitur Drancæa phalanx, claustrisque*, portis Caspiis, *profusi Caspiadæ, quis non segnius* (sic ordines verba) *turba canum ad lituos acres*, graviter sonantes, *exsilit, pugnasque capessit heriles*, in pugnæ societatem venit cum dominis.

109. *Inde*, quo fit ut, *par mortis honos* contingat, *tumulisque recepti inter positus virum*, locum obtineant mortui inter sepulcra hominum. Vix alibi reperias *positus* sic usurpatos, sed sensus alius esse non potest, et amat talia Valerius, v. c. *inceptus*, infra, v. 124.

110. *Nam pectora ferro Terribilesque innexa jubas*, pectora et cervices ferreis laminis collaribusque adversus sagittas gladiosque munita, *ruit agmine nigro Latratuque cohors, quanto sonat horrida Ditis Janua*, Cerberi latratu, *vel superas Hecates comitatus ad auras*. Sumunt interpretes de Furiis, quæ tamen non magis huc vocandæ sunt, quam apud Virgil. Æn. VI, 257, ubi canes inferi Hecaten comitantes intelligendi, jubente Heynio.

114. *Ab Hyrcanis*, urbe Thraciæ Hyrcania? (Vide Stephanum de Urbibus.) *agmina ducit Varus sacer vates*, quos multos Scythiam habuisse narrat Herodotus, IV, 67.

Varus; eum Scythiæ jam tertia viderat ætas
Magnanimos Minyas Argoaque vela canentem.
Illius et dites monitis spondentibus Indi,
Et centumgeminæ Lagea novalia Thebes,
Totaque Rhipæo Panchaia rapta triumpho.
Discolor hastatas effudit Iberia turmas,
Quas Otaces, quas Latris agunt, et raptor amorum
Neurus, et expertes canentis Iazyges ævi.
Namque, ubi jam viresque aliæ, notosque refutat
Arcus, et inceptus jam lancea temnit heriles,

115. *Vanus.* Vatican. et Bonon. codices. Bonon. I et II. Junt. Maser. Ald. *Vannus.* Engent. cum Pio. *Æstas.* Vatican. Bonon. et edd. ante Carr. II. — 118. *Lagæ novalia Thebes.* Vatican. cod. *Lagæ navalia Thebes.* Bonon. cod. Bonon. I. Junt. *Lagi navalia Thebæ.* Bonon. II. *Lagi navalia Thebes.* Maser. Engent. *Lagi novalia Thebes.* Ald. *Longæva novalia Thebes.* Carr. *Lagæa novalia* emendavit Gronov. Obss. I, 18. — 120. *Turbas.* Engent. — 121. *Quas Sotaces.* Junt. et posterr. usque ad Carr. — 123. *Notusque refutat.* Vatic. Bonon. codd. et edd. ante Carr. — 124. *Argus.* Vatic. Bonon. codd. Bonon. I et II. Junt. *Angor.* Maser. cum Sabell. *Arcus.* Jam aliud emendaverat Pius. Ed.

115. *Eum Scythiæ jam tertia viderat ætas*, quod senectutem viri indicat, et ad Homeri Nestora adumbratum est, *magnanimos Minyas canentem*, qui Argonautarum adventum prædixerat.

117. *Illius monitis spondentibus*, victoriam certam promittentibus, *et dites Indi, et centumgeminæ*, ἑκατομπύλου, *Lagea novalia Thebes* in Ægypto, *totaque Panchaia*, pars Arabiæ Troglodyticæ pro tota Arabia, *Rhipæo triumpho*, ad triumphum in Scythia, *rapta*, excita. *Lagea novalia* debentur Gronovio, Obss. lib. I, c. 18 (nam ante eum libri habebant *navalia*), per πρόληψιν a Ptolemæo Lagi filio sic dicta. *Arva Lagi* sunt apud Lucanum, VIII, 443. In his vero tam longe remotis regionibus Burmannus putat respici ad victorias, quas Scythæ olim ad Ægyptum ulteriusque protulisse jactabant; vid. Justin. II, 3.

120. *Discolor*, non de colore faciei, sed varietate vestium armorumque accipiendum, *hastatas effudit Iberia* (hodie *Georgia*, Russis *Grusinia*) *turmas*.

121. *Raptor amorum*, pignorum amoris, infantium, puellarum, conjugum. Sic infra, v. 268: *nostrosque feret qui victor amores*.

122. *Et expertes canentis Iazyges ævi*, voluntaria morte canitiem prævertentes.

123. *Namque, ubi jam vires aliæ*, non eædem, quæ antea, *notosque refutat arcus*, recusat, non potest tendi ab eo, qui hucusque tetenderat, *et inceptus*, conamina vibrandi, *jam lancea temnit heriles*.

Magnanimis mos ductus avis, haud segnia mortis
Jura pati, dextra sed caræ occumbere prolis,
Ense dato; rumpuntque moras natusque parensque,
Ambo animis, ambo miseri tam fortibus actis.
Hic et odorato spirantes crine Micelæ,
Cessææque manus, et qui tua jugera nondum
Eruis, ignotis insons, Arimaspe, metallis.
Doctus et Auchates patulo vaga vincula gyro
Spargere, et extremas laqueis adducere turmas.
Non ego sanguineis gestantem tympana bellis
Thyrsageten, cinctumque vagis post terga silebo
Pellibus, et nexas viridantem floribus hastas.
Fama, ducem, Jovis et Cadmi de sanguine; Bacchum

125. *Magnanimus mox dietus avis*. Vatic. Bonon. codd. Bonon. I et II. *Magnanimis mos dictus avis*. Junt. Maser. cum Sabell. *Mos ductus*. Jam Pius, Eugent. — 129. *Mycael*. Vatic. cod. pro *Mycæi* juxta Heins. *Michael*. Bonon. cod. et edd. præter Ald. qui *Meletæ*. *Metletæ*. Sabell. — 132. *Cyro*. Vatican. Bonon. codd. et edd. usque ad Carr. præter Maser. Ed.

125. *Magnanimis*, fortibus, *mos ductus* (ab) *avis*, *haud segnia* (segniter) *mortis jura pati*, moriendi necessitatem sponte subire; sed filiis ipsi se tradunt ense conficiendos, *rumpuntque moras*, sine mora, illico, et pater et filius res suas agunt, *ambo miseri animis et fortibus actis*, miseri patres, qui hæe animis concipere, miseri filii, qui desideria patrum explere sustinent, pii parricidæ.

129. Adsunt porro *Micelæ*, crinibus odoratis, *Cessæi*, *Arimaspi*, unoculi (nam, Scythica lingua, *arima* est *unus*, et *spu*, oculus; vid. Herodot. IV, 27), *ignotis insontes metallis*, vitiis nondum inquinati, quippe quæ debentur metallis, melius latentibus.

132. *Auchates doctus*, peritus, *vaga vincula*, laqueos per aerem, *patulo gyro*, per apertum campum, equitans *spargere, et extremas*, in ultima acie constitutas, *turmas* hostiom *laqueis adducere*, in terram detrahere, ut retiarii in spectaculis Romanorum: conf. Herodot. VII, 85; Pausan. I, 21, et *Beckmanns kleine Anmerk. Stück*, I, *S.* 1, *ff.*

134. Nec silendus *Thyrsagetes*, *tympana gestans*, *cinctusque vagis*, fluitantibus, *post terga pellibus*, ferarum exuviis, *et nexas viridans floribus hastas*, viridibus floribus, hederis in primis, thyrsos ornans.

137. *Fama* est *ducem*, *Jovis et Cadmi*, cujus filia Semele, *de sanguine*, *Bacchum hac*, sic armata, *manu*, sive exercitu, *felicia regna*, *turiferos Sa-*

Hac quoque turiferos, felicia regna, Sabæos,
Hac Arabas fudisse manu; mox rumperet Hebri
Quum vada, Thyrsagetas gelida liquisse sub Arcto.
Illis omnis adhuc veterum tenor, et sacer æris
Pulsus, et Eoæ memoratrix tibia pugnæ.
Jungit opes Eumeda suas, sua signa sequuti
Exomatæ, Torinique, et flavi crine Satarchæ;
Mellis honos Torinis; ditant sua mulctra Satarchen;
Exomatas venatus alit, nec clarior ullis
Arctos equis; abeunt Hypanin fragilemque per undam,
Tigridis aut sævæ profugi cum prole leænæ;
Mœstaque suspectæ mater stupet aggere ripæ.
Impulit et dubios Phryxei velleris ardor

139. *Manum*. Vatic. cod. *Manus*. Bonon. cod. Junt. Ald. Maser. *Duxisse manus*. Ald. — 140. *Quum juga*. Carr. — 143. *Emeda*. Vatic. cod. Bonon. I. Junt. Ald. *Emenda*. Bonon. cod. *Emoda*. Bonon. II. Maser. Eugent. — 145. *Ditat*. Bonon. cod. Bonon. II. En.

bæos (Virgil. Georg. I, 57: *India mittit ebur, molles sua tura Sabæi*), *hac Arabas fudisse*.

139. *Mox Hebri vada quum rumperet*, Hebrum fluvium superasset, *Thyrsagetas gelida liquisse sub Arcto*, tanquam coloniam, uti *Sesostris*, V, 422, Ægyptios suos *Phasidis imposuit agris*.

141. *Illis omnis adhuc veterum tenor*, a majoribus traditos mores retinuerunt, *et sacer æris pulsus*, tympana, v. 134, *et Eoæ memoratrix tibia pugnæ*, quæ bella in Oriente olim gesta in memoriam revocaret. Conferas velim omnino supra, V, 74-80.

143. Incolæ montis *Eumedæ* (aliis *Emodæ*).... *Exomatæ*, iidem, qui aliis *Iaxamatæ*.... *Torini*..... *Satarchæ*.

145. *Torinis mellis honos*, apes alunt, et mellificio vivunt. Sic sæpe *honos* de largo proventu agrorum, de anni tempestatum pulchritudine, etc. *Satarchen ditant sua mulctra*, pecuariam agunt Satarchæ.

146. *Exomatas venatus alit*, optimosque in toto septentrione equos pascunt.

147. *Abeunt*, transeunt, *Hypanin; fragilemque per undam*, glacie tenui vix adstrictam (*perfidum glacie flumen* eodem sensu habet poeticæ elocutionis amans Florus, III, 4), *profugi*, Exomatæ nempe, celeriter redeuntes, *cum prole*, catulis raptis, *tigridis aut sævæ leænæ*; cf. I, 491.

149. *Mœstaque mater stupet aggere ripæ suspectæ*, non audent catulis orbatæ matres tam lubrica, periculosa, vestigia sequi.

Centoras, et diros magico terrore Choatras.
Omnibus in superos sævus honor, omnibus artes
Monstrificæ : nunc vere novo compescere frondes,
Nunc subitam trepidis Mæotin solvere claustris.
Maximus hos inter Stygia venit arte Coastes;
Sollicitat nec Martis amor, sed fama Cytææ
Virginis, et paribus spirans Medea venenis.
Gaudet Averna palus, gaudet jam nocte quieta
Portitor, et tuto veniens Latonia cælo.
Ibant et geminis æquantes cornibus alas
Ballonoti, comitumque celer mutator equorum
Mœsus, et ingentis frenator Sarmata conti.

159. *Et tuto.* Sic acute Gronov. *Toto.* Codd. et edd. ante Heins. — 161. *Ballo-niti.* Vatic. cod. *Ballanoti.* Bonon. I et II. Ed.

151. *Centores..... Choatræ.* Centoras *dubios*, medios, qui neutri sese parti adjungere maluissent, *impulit tamen Phryxei velleris ardor, et Choatras, quibus in superos sævus* (posteriori syllaba producta, quod sibi aliquando permittunt poetæ in cæsura) *honor*, qui victimis humanis deos placabant, *quibus artes monstrificæ*, magicæ, prodigiosæ, *nunc vere novo compescere frondes*, foliorum in arboribus proventum magicis artibus impediunt, *nunc subitam trepidis Mæotin solvere plaustris*, per Mæotin glacie citius exspectatione liberatam currus agunt tanta cum audacia, ut ipsi currus timeant, ne mergantur. — Sensus est, ut nobis videtur, utque explicat Burmannus, Choatras arte magica subito solvere Mæotin constrictam glacie, trepidantibus illis qui plaustra per eam agunt, et metuentibus ne, soluta glacie, submergantur. Ed.

155. *Maximus Stygia*, magica, *arte venit Coastes*, quem tamen non tam amor pugnæ, *quam fama Cytææ* (Colchicæ) *virginis sollicitat, et paribus spirans Medea venenis* (*spirans* ablativo junctum, ut supra, 129, et *redolere*, IV, 15), non minus quam ipse herbas odoratas et alia veneficia tractans. In tam famosæ veneficæ notitiam venire ita cupiebat, ut de incantationibus nunc non cogitaret, ut manes non evocaret, ut Charonti somno indulgere permitteret, *gaudet nocte quieta portitor*, ut Lunam non devocaret æthere, *gaudet tuto veniens Latonia cœlo.*

160. Ultimi nominantur *Ballonoti..... Mœsi..... Sarmatæ;* at *Ballonoti geminis æquantes cornibus alas*, ex utraque parte aciei eodem numero cornua tegentes.

161. *Mœsus comitum celer mutator equorum*, una voce, *desultor*, qui ex uno in alterum transiliebat equum. Locus de his desultoribus classicus

Nec tot ab extremo fluctus agit æquore, nec sic
Fratribus adversa Boreas respondet ab unda,
Aut is apud fluvios voluerum sonus, æthera quantus
Tunc lituum concentus adit, lymphataque miscet
Millia, quot foliis, quot floribus incipit annus.
Ipse rotis gemit intus ager, tremebundaque pulsu
Nutat humus; quatit ut sævo quum fulmine Phlegram
Jupiter, atque imis Typhona reverberat arvis.
  Prima tenent illinc patriis Absyrtus in armis,
Et gener, ingentesque inter sua millia reges.

165. *Antis.* Vatican. et Bonon. codd. *Auctus.* Edd. ante Carr. præter Ald. qui *nec tot. Volucrum clamor.* Vatic. et Bonon. codd. — 166. *Lituum conceptus.* Vatic. et Bonon. codd. Bonon. I. Junt. Maser. Ald. *Concentus agit.* Carr. — 170. *Typhæa verberat.* Vatic. et Carr. codd. *Typhæa reverberat.* Bonon. cod. Junt. Ald. Eugent. *Antris.* Sabell. Ed.

est apud Mauilium, V, 85 sq.... *et ingentis frenator Sarmata conti*, longam gravemque hastam perite moderans.

163. Sic igitur enumeratis, qui a Scytharum et Persæ partibus stabant, populis, multitudinem et strepitum tot millium variis exornat comparationibus. *Non tot ab extremo æquore*, nam quo latius est longiusque mare, eo plures altioresque existunt fluctus, *fluctus agit Boreas; nec sic*, tanta vi, *fratribus*, seu aliis ventis, *respondet*, adversum spirat; *aut is apud fluvios volucrum sonus*, clangor, clamor inconditus; est ex Homero, Iliad. II, 459.

166. *Lymphata miscet millia*, nullo ordine inter se confusa hominum millia, eaque pugnandi cupidine furibunda.

167. *Quot foliis, quot floribus incipit annus.* Solennis ad multitudinem exprimendam comparatio, desumpta a foliis vel vere procrescentibus (de quibus præter Homerum, Il. II, 468, Pindarus, Pyth. IX, 82: ὅσσα τε χθὼν ἠρινὰ φύλλ' ἀναπέμπει), vel autumno decidentibus; de his vide Virgil: Æn. VI, 309, et qui ibi ab Heynio laudantur.

168. *Ipse rotis* plaustrorum *gemit* (quod de rebus inanimatis dicitur omnibus, quæ premuntur, in quibus elaboratur; sic, III, 64: *robur gemit adactis cuneis*) *intus*, non in superficie tantum tactus, *ager, tremebundaque pulsu* equorum, ungularum, *nutat humus*.

169. *Quatit ut sævo quum fulmine Phlegram Jupiter*, in certamine contra Gigantes, *atque imis Typhona reverberat arvis*, surgere conantem iterum iterumque reprimit.

171. Jam ad alterum, Colchorum exercitum progreditur poeta. *Prima tenent patriis*, Æetæ, *in armis Absyrtus* filius, *et gener* destinatus Stirus, *ingentesque inter sua millia*, quæ quisque ducebat, *reges*, duces,

At circa Æsoniden Danaum manus, ipsaque Pallas
Ægide terrifica, quam nec dea lassat habendo,
Nec pater horrentem colubris vultuque tremendam
Gorgoneo; nec semineces ostendere crines
Tempus adhuc, primasque sinit concurrere pugnas.
Impulit hos contra Mavors pater, et mala leti
Gaudia, Tisiphoneque caput per nubila tollens
Ad sonitum litui, mediaque altissima pugna,
Necdum clara, quibus sese Fuga mentibus addat.
  Illi ubi consertis junxere frementia telis
Agmina, virque virum galeis afflavit adactis:
Continuo hinc obitus, perfractaque cædibus arma,

175. *Horrendum.* Bonon. et Burmann. codd. — 180. *Ad sonitus,* Edd. ante Carrionem. Ed.

reguli. At Jasonem Græci sui juvabant, et *ipsa*, quæ multis millibus potior esset, *Pallas*, *ægide terrifica*, *quam nec dea lassat habendo*, tractando (*lassare* h. l. eodem sensu, quo alias *fatigare* de rebus, quibus crebro et cum contentione utimur), nunc nondum vibrat, *nec pater horrentem colubris vultuque tremendam Gorgoneo*, Medusæ capite. Quid *pater*, in quo tamen nihil variant libri, hic sibi velit, equidem non video. Scripsit sine dubio Valerius *quatit*, vel propius ad scripturam *quatere*, quod jungas sequentibus: *nec tempus* erat.

176. *Nec tempus adhuc semineces ostendere crines*, qui non alii esse possunt, nisi iidem Medusæ caput cingentes angues, sed cur *semineces?* Haud inepte ad sensum Friesemannus conjicit *saxificos*, quod tamen a vestigiis scripturæ nimium recedit. *Semineces* si retineas, explicari possint pallentes, ἡμιθνῆτες. —Vide ad calc. h. l. not. 176. Ed.

177. *Primasque sinit concurrere pugnas*, nunc nil nisi committit pugnantes, Ægida promit demum infra, versu 396, qui locus omnino lucem affert nostro.

178. Tanto vero acrius incendunt prælium et *Mavors pater*, quod nomen diis apponere omnino amat Noster, *et mala leti gaudia (Mordlust)*, et *Tisiphone caput per nubila tollens*, ut undique conspici possit, *mediaque altissima pugna*.

181. Nec abest *Fuga*, quasi dea, *nondum tamen clara* (ut Græcorum δῆλος), nondum certa, dubia adhuc, *quibus sese mentibus addat*, utri exercitui fugiendi partes attribuat, quorum animos formidine impleat, ut primi fugam capessant.

182-188. His versibus diram poeta in universum imaginem pingit et prælii ipsius, et campi, in quo pugnatur. *Ubi consertis junxere frementia telis agmina*, magna conclama-

Corporaque, alternus cruor, alternæque ruinæ;
Volvit ager galeas, et thorax egerit imbres
Sanguineos; hinc barbarici glomerantur ovatus,
Hinc gemitus, mixtæque virum cum pulvere vitæ.
Caspius Ææum correpto crine Monesen
Abstulit: hunc pariter Colchi Graiique sequuntur
Missilibus: rapit ille necem, prædamque relinquit;
Nec sociis jam cura viri. Dypsanta Caresus,
Strymonaque obscura spargentem vulnera funda
Dejicit; Albani cadit ipse Cremedonis hasta,
Jamque latet, currusque super turmæque feruntur.

186. *Erigit imbres.* Vatic. Bonon. codd. el edd. ante Carr. — 190. *Hinc pariter.* Vatic. Bonon. codd. et edd. ante Carr. — 191. *Relinqui.* Junt. Ald. Engenl. — 194. *Chremodonidis.* Vatic. cod. *Cremedonidis.* Bonon. cod. *Medonidis.* Bonon. II. *Cadit is Cremedonidis.* Junt. Maser. Engent. *Cader ipse Medonidis.* Ald. — 195 et 196. Hi duo versus desiderabantur in Carr. cod. Ed.

tioue ad mauus ventum est, *virque virum galeis afflavit adactis*, ita implicautur, ut levi ventulo motis galearum cristis faciem sibi invicem tangerenl.

186. *Volvit* rotundas *ager galeas*, *et thorax egerit imbres sanguineos*, thorace perfosso, emical sanguis copiosissimus.

187. *Hinc*, ex hac parte, *barbarici glomerantur ovatus*, coudensantur ovanles (sic *fremitus coire*, versu 232), *hinc*, ex altera parte, *gemitus mixtæque virum cum pulvere vitæ*. Audacius et hic abstractum pro concrelo, pro viris adhuc quidem spirautibus, sed ita graviter vulneratis, ut surgere nou possent.

189-426. Singularia nunc certamina describenda sibi sumit Valerius, in quo varia pugnæ et mortis genera, uisi eadem, qua Ovidius in pugna Centaurorum et Lapitharum, lib. XII, ingenii ubertale, satis tamen probabiliter prosequitur.

189. *Caspius*, Scytha, *Monesen Ææum*, Colchum, *correpto crine abstulit*, proripuit: *hunc pariter*, simul, *Colchi Graiique* jaculis petunt: *rapit ille necem*, eo celerius conficit hostem, *prædamque relinquit*, spolia tameu detrahere uon potest. *Nec sociis jam cura viri*, mortem ulciscendi tempus nou est.

192. *Caresus* Colchus *Dypsanta*, *et Strymona vulnera spargentem obscura* ex insidiis, qui plures jamjam lapidibus e funda projectis vulneraveral, *dejicit*, conficit; v. paullo post 218; I, 191; II, 330; Virgil. Æn. X, 319, *dejecit leto*; uec ipsi prosaici respuunt; vid. Coru. Nepos in Thrasyb. III, 1.

195. *Jamque latet*, nihil ejus conspici potest, ita proculcatus protritusque eral equis et curribus.

Processere Melas et Hidasmenus; incipit hasta
Ante Melas, levis ast abies elusit utrumque.
Ensibus inde ruunt; prior occupat ære citato
Cassidis ima Melas; infracta est vulnere cervix.
Mixta perit virtus: nescit cui debeat Œbreus,
Aut cui fata Tyres. Dum sibila respicit Iron
Cuspidis Argivæ, Pyliam latere accipit hastam.
Viderat Hyrcanos paribus discurrere fratres
Castor equis, pater armento quos dives ab omni
Nutrierat, fatisque viam monstrarat iniquis.
Tum magis atque magis peditem candore notato
Tyndariden incendit amor; simul obvius hastam
Pectus in adversum Gelæ jacit alipedemque;
Constitit excusso victor duce: risit ab alta
Nube pater, prensisque equitem cognovit habenis.

196. *Melas Fidasmenus*. Vatic. et Bonon. codd. Bonon. I. *Melas et Fidasmenus*. Junt. Ald. — 200. *Ocheus*. Vatic. cod. et edd. ante Carr. *Orcheus*. Bonon. cod. — 207. *Hasta*. Vatic. et Bonon. codd. — 208. *Gleacit*. Vatic. et Burm. codd. *Subito jacet*. Bonon. cod. Junt. Ald. *Subito jacit*. Bonon. I et II. Maser. Eugent. *Graviter jacit*. Carr. *In alipedemque*. Bonon. I. *Alipede inque*. Bonon. II. Eo.

196. *Melas*, filius Phryxi, V, 462, et *Hidasmenus*. *Levis abies*, hasta (conf. v. 236), *elusit utrumque*, aberravit, neuter hostem feriit. *Prior occupat ære citato*, ense promptior, *cassidis ima*, infimam galeam ad occipitium, *Melas*.

200. *Mixta perit virtus*, fortissimi ex utraque parte cadunt, ita tamen, ut singulorum facta non possent dignosci præ turba et tumultu, uti recte exponit Burmannus.

201. *Dum sibila respicit cuspidis*, per aera advolantem cum sibilo hastam.

203-218. Res a *Castore* adversus *Gelam et Medorem* gestæ enarrantur admodum jucunde.

204. Burmannus jungit *dives ab armento*, i. e. armenti, quamquam rariorem istam constructionem ipse fatetur. Malim igitur Pio accedere, qui conjungit *nutrierat ab omni armento*, scil. separatos ad militiam, cui explicationi et τὸ *omni* videtur favere, et quæ sequuntur: *fatis viam monstrarat iniquis*, eo ipso bonis illis animalibus, nil tale merentibus, male consuluerat.

206. Castor igitur *candore notato*, equi enim isti albi erant, ejusdem igitur coloris, quo Cyllarus suus, quem domi reliquerat, I, 426, ardet iis potiri.

207. Vide ad calcem hujus libri not. 207. Ed.

At pariter luctuque furens visuque Medores
Tyndariden petit, et superos sic voce precatur:
«Hunc, age, vel cæso comitem me reddite fratri,
Primus et hic nostra sonipes cadat impius hasta,
Credita qui misero non rettulit arma parenti,
Meque venit contra, captivaque terga ministrat».
Dixerat, Actæi sed eum prior hasta Phaleri
Dejicit; ad socias sonipes citus effugit alas.
Quis tibi fatales umquam metuisset Amyclas
Œbaliamque manum, tot, Rhyndace, montibus inter
Diviso, totidemque fretis? cadit impiger una
Inguine tranfosso clari Taulantis alumnus
Semidea genitrice Tages, cui plurima silvis
Pervigilat materna soror, cultusque laborat.
Tenuia non illum candentis carbasa lini,

211. *Medontes.* Edd. ante Carr. — 213. *Nunc age.* Bonon. cod. Bonon. I et II. — 217. *Hasta parenti.* Ex fine vers. 215, Vatic. cod. *Parentis.* Bonon. cod. *Attei...parentis.* Bonon. I. Junt. Maser. *Ææi...parentis.* Bonon. II. *Ææti...parentis.* Ald. Engent. — 219. *Quis tibi*, etc. Hic versus post vers. 215 legebatur in Bonon. et Burm. codd. Ed.

211. Tum vero *furens luctu* ob amissum fratrem, *visuque*, quod Castora fratris equo vectum contra se venire conspiceret, *Medores superos precatur: Hunc* (forsan *nunc*), si ita lubet, adeo *me cæso fratri reddite comitem; primus cadat sonipes impius*, infidus, *qui contra me venit captivaque terga ministrat*, præbet novo sessori.

217. *Sed eum prior hasta dejicit*, equo *Phaleri Actæi*, Atheniensis, Argonautæ; tum *ad socias sonipes*, equus, non Castoris, sed Medoris, *citus effugit alas*.

219-241. Nec his fortiter gestis contentus Castor cædit plures. *Quis tibi, Rhyndace, fatales Amyclas Œbaliamque manum* (utrumque spectat ad Laconiam, unde Castor oriundus) *metuisset, tot montibus inter diviso totidemque fretis.* Sic casui postpositum *inter* et adverbialiter usurpatum est græcum μεταξὺ, totusque locus fere ad verbum ex Homero, Il. I, 156, desumptus: μάλα πολλὰ μεταξὺ Οὔρεά τε σκιόεντα, θάλασσά τε ἠχήεσσα.

221. Vide ad calcem hujus libri not. 221. Ed.

225. Nil juvant pulchræ illæ vestes Tagetem, *tenuia candentis carbasa lini.* Sæpe apud Veteres occurrunt, ubi de Ægyptiis sermo est, nec hic alieno loco sunt, quum Colchi, coloni quippe Ægyptiorum

Non auro depicta chlamys, non flava galeri
Cæsaries, pictoque juvant subtemine bracæ.
Jamque novus mediæ stupefacta per agmina pugnæ
Vadit eques, densa spargens hastilia dextra,
Fulmineumque viris proturbans ingerit ensem
Huc alternus et huc; quum sævior, ecce, juventus,
Sarmaticæ coiere manus, fremitusque virorum
Semiferi: riget his molli lorica catena;
Id quoque tegmen equis: at equi porrecta per armos

228. *Jamque novus*, etc. Hic versus post versum 245 reperitur in Vatic. cod. — 230. *Profundis ingerit.* Vatic. cod. *Profundens ingerit.* Bonon. cod. et edd. ante Carr. — 234. *Tegmen quis age qui.* Corrupte Vatic. et Bonon. codd. *Avis at equi.* Pro varia lect. Bonon. cod. Bonon. II. Mascr. Eugent. *Tegmen avis age qui.* Bonon. I. Junt. *Tegmen equis at equi.* Ald. *Tegmen equis agitur porrecta per arma* Carr. cod. Ed.

(vid. supra, V, 419), linteas vestes in priscæ originis memoriam retinuerint.

226. *Non auro depicta chlamys*, paludamentum (Virgil. Æn. III, 483: *picturatæ auri subtemine vestes*), *non flava galeri*, galeæ vel pilei, *cæsaries*, crista (Virgil. Æn. VII, 688: *fulvosque lupi de pelle galeros Tegmen habent capiti*), *pictoque subtemine bracæ*, e panno, cujus stamini diversi coloris fila essent intertexta. De bracis Sarmatarum vide supra, V, 425.

228. *Jamque novus eques*, Castor, *stupefacta per agmina* hostium *vadit*, incedit alacriter, *densaque spargens hastilia dextra.* Ut versus sibi constet, jungenda quidem casu sexto *densa dextra*, ita tamen, poetarum more, ut densi notio non ad dextram, sed ad hastilia referenda sit. *Spargens*, modo hunc, modo illum hostem invadit lancea, *fulmineumque ensem*, coruscantem (conf. Virgil. Æn. IV, 580; IX, 442, et supra, III, 119, *præfulgurat ensem*), *ingerit proturbans*, præ se agens.

232. *Coiere fremitus virorum semiferi*, i. e. frementes viri, uti supra, 187, ubi *ovatus et gemitus glomerati* occurrunt.

233. *Riget his lorica molli*, tractabili, lenta, *catena; id quoque tegmen equis* cataphractariis inde dictis, de quibus vide Tacitum, Hist. I, 79, 5, ubi sermo de Sarmatis.

234. *At abies*, lancea, hasta (v. paullo ante, 197; paullo post, 243, *quercus*), *obnixa*, sustentata, adjuta, *genu*, *porrecta per armos et caput equi*, *ingentem campis hostilibus umbram fert*, in quo tamen ingenio nimis poeta indulsit, *vaditque* ista hasta *virum vi*, *vadit equorum*, h. e. viris equisque cum impetu irruentibus, robur ei accedit, *docilis* (poet. de re inanimata) *relegi docilisque relinqui*, manum equitis prompte sequebatur, ut et retrahi, erat enim

Et caput ingentem campis hostilibus umbram
Fert abies obnixa genu, vaditque virum vi,
Vadit equum, docilis relegi docilisque relinqui,
Atque iterum medios non altior ire per hostes.
Orbibus hos rapidis mollique per æquora Castor
Anfractu levioris equi deludit anhelos,
Immemoresque mori; sed non isdem artibus æque
Concurrunt, ultroque ruunt in funera Colchi.
Campesus impacta latus inter et ilia quercu
Tollitur, ac mediam moriens descendit in hastam.
Œbasus, infestum submisso poplite Phalcen
Evasisse ratus, lævum per luminis orbem
Transigitur; teneræ liquuntur vulnere malæ.
Contra autem, geminis fidens thoracibus, ictum

237. *Vadit equi.* Engent. cum Pio. — 247. *Transfigitur.* Bonon. cod. Bonon. I et II. Junt. Ald. *Tenero.* Vatic. et Bonon. codd. Bonon. I et II. *Linquuntur.* Vatic. Bonon. codd. Bonon. I et II. Engent. Ed.

amentata, et in hostis corpore fixa relinqui posset.

238. *Atque iterum medios non altior ire per hostes.* Hoc obscurius. Burmannus explicat: «non in eamdem, qua jacula, altitudinem torquetur»; quod nihili est. Heinsii mihi placet conjectura: *non tardior.* —Sic supra, V, 587: *non segnior.* Ed.

239. *Orbibus hos rapidis*, gyris celeribus, *mollique*, leni, *per æquora anfractu levioris equi deludit anhelos*, ut viri equique ilia ducant, *immemoresque mori*, de morte non cogitantes, securos.

241. Sed non eadem, qua Castor, fortuna pugnabant alii e Colchorum exercitu. *Campesus impacta*, adacta, *quercu*, hasta, *latus inter et ilia tollitur*, equo excutitur, *ac mediam moriens descendit in hastam*, pronus cadit in hastam adversarii. Alii poetæ sic *induere* hastam. Ovid. Metam. XII, 340: *ilia induit fractæ orno.* Virgil. Æn. X, 681: *mucrone se induere.*

245. *Œbasus*, dux Colchicus, *submisso poplite Phalcen* Scytham, qui tamen et ipse, v. 554, conficitur, *evasisse ratus, per luminis orbem*, lævum oculum, *transigitur, teneræ liquuntur vulnere malæ*, ossa sub oculis viri dissolvuntur, comminuuntur.

248. *Contra autem Sibotes geminis thoracibus*, duplicatæ loricæ, *fidens, gladio ferit ultima teli*, hastæ, ab adversario *Ambeno* missæ, *nequidquam: jam cuspis inest*, quam tamen defractam nil curat Ambenus, et alium, *Otrea trunco ligno*, lanceæ fragmento, *medium subit*, invadit.

Sustulit, et gladio Sibotes ferit ultima teli,
Nequidquam : jam cuspis inest, nec fragmina curat
Ambenus, et trunco medium subit Otrea ligno.
Seminecem Taxes Hypanin vehit, atque remissum
Pone trahit fugiens, et cursibus exuit hastam;
Dumque recollectam rursus locat, irruit ultro,
Turbatumque Lacon et adhuc invadit inermem.
Impulit adverso præceps equus Onchea conto,
Nequidquam totis revocantem viribus armos.
In latus accedit sonipes, accedit et ipse
Frigidus; arma cadunt, rorat procul ultima cuspis.
Qualem populeæ fidentem nexibus umbræ

251. *Ocrea.* Vatic. Bonon. et Burm. codd. — 256. *Ochea.* Edd. ante Carr. Ed.

252. *Taxes* Scytha *Hypanin* Colchum, cognominem fluvio, quod sæpe fit in his terris, uti modo *Ambenus* et montis, v. 85, et ducis nomen est, *vehit*, proripit, *atque remissum*, debilitatum, viribusque defectum, *pone trahit*, *et cursibus exuit*, dum currit, retrahit, *hastam*.

254. *Dumque recollectam (relegere sic, 237) rursus locat* ad genua (v. 236) pugnam continuaturus, *Lacon* (sine dubio Castor vel Pollux) *irruit ultro*, prior occupat (*prior* et *ultro* junguntur, II, 124), *et invadit adhuc inermem*, priusquam hastam suo loco reponeret.

256. *Onchea* Scytham *adverso conto*, lancea in adversarium directa, *præceps*, in genua procidens, *equus impulit*, excussit, *nequidquam totis revocantem viribus armos*, equum prolapsum frustra conantem erigere. —Vide ad calcem hujus libri not. 256. Ed.

258. *In latus accedit* (melius, usitatius saltem *assedit*, inclinatur) *equus*, *accedit et ipse frigidus*, mortuus; *rorat procul ultima cuspis*, defracta, sanguine ipsius madida, longius projicitur.

260. *Qualem populeæ fidentem nexibus umbræ*, densis frondibus arboris tutam se putantem, *si quis avem summi deducat ab arbore rami*, ab alta, in aerem porrecta arbore, *ante manu tacita cui plurima crevit arundo.* Hoc aucupum commentum, quo calamos calamis, quorum summus visco erat oblitus, ita adjungerent, vel infigerent, ut paulatim ad arboris excrescerent altitudinem, sæpius memoratur a Veteribus. Vid. Tibull. II, 5, 30; Propert. II, 15, 24; Martial. XIV, 2, 18; Petron. 40, et 109; in primis huc facit Silius Ital. VII, 674: *Ut qui viscatos populatus arundine lucos, Dum nemoris celsi procera cacumina sensim Substructa certat tacitus contingere meta, Sublimem calamo sequitur crescente volucrem.* — *Qualem populeæ.* Sic Virg. G. IV, 11: *Qualis populea.*

Si quis avem summi deducat ab aere rami,
Ante manu tacita cui plurima crevit arundo;
Illa dolis viscoque super correpta sequaci
Implorat ramos, atque irrita concitat alas.
  Parte alia infestis (nam fors ita junxit) in armis
Stirus adest, lætusque virum cognoscit Anausin,
Et prior : « En cujus thalamis Æetia virgo
Dicta manet, nostrosque feret qui victor amores!
Non, ait; invitoque gener mutabere patri ».
Tum simul adversas collatis cursibus hastas
Conjiciunt; fugit adductis Albanus habenis
Saucius, atque datum leto non sperat Anausin,

261. *Ab arbore rami.* Carr. cod. — 262. *Credit harundo.* Bonon. cod. Bonon. I. Junt. Ald. *Crescit.* Bonon. II. Maser. — 265. *Nam forsitan junxit inanis.* Vatic. cod. *Nam fors ita junxit inanis.* Bonon. cod. *Nam fors adjunxit in armis.* Junt. et posterr. usque ad Carr. — 269. *En, ait.* Carr. Ed.

263. *Illa* (avis) *dolis viscoque correpta sequaci*, tenaci, *implorat ramos*, docte, in auxilium vocat, arborem repetere contendit, *atque irrita concitat alas.* Comparatio ista per se considerata haud invenusta est, cum præcedentibus tamen nullo, vel tenuissimo filo cohæret.

265. Pugna *Stirum* inter et *Anausin*, Medeæ nuptias utrosque ambientes, illum juventutis Albanorum principem, hunc Alanorum regem (v. 43, et III, 497), describitur. *Parte alia, nam fors ita junxit*, casu sibi invicem oblati sunt, *infestis armis Stirus adest, lætus virum* æmulum *cognoscit Anausin. Virum* admodum friget; malim igitur cum Heinsio *viri*, ut jungatur læto: *Vergnügt, seinen Mann zu treffen.* Sic supra, III, 659: *lætus opum pacisque.*

267. *Et prior*, ultro, non exspectans alterius orationem: *En cujus thalamis Æetia virgo dicta*, addicta, *manet, nostrosque feret qui victor amores.* Ironice dictum. *Non* (feres); *invitoque gener mutabere patri*, non tu, sed alius gener quærendus erit.

271. Stirus *fugit saucius, atque datum leto non sperat Anausin, nec videt*, a se quidem non interfectum esse scit, nescit tamen, cur tam subito evanuerit. Sed reapse erat morti proximus Anausis, falsus tamen in eo, quod Stirum a se letaliter vulneratum opinaretur, qua opinione ductus ironiam illi rependit: *ad soceros pactæque conjugis sinus*, amplexus, *fugis*, vulnus referens, quod *nullo veneno Medea sustineat* cohibere, sanguinem sistere profluentem queat. *Sustentare* eodem sensu apud Sil. Ital. IX, 174, occurrit.

Nec videt; ille autem telo moribundus adacto,
« Ad soceros pactæque sinus en conjugis, inquit,
Stire, fugis, vulnus referens, quod carmine nullo
Sustineat, nullisque levet Medea venenis. »
Dixerat, extremus quum lumina corripit error,
Voxque repressa gelu, percussaque vertice tellus.
Hinc animos acies auget; magnoque doloris
Turbine Gesandrum Mavors rapit; ille morantes
Increpat, et stricto sic urget Iazygas ense:
« Nempe omnes cecidere senes, nempe omnis ademptus
Ante pater; quæ vos subito tam fœda senectus
Corripuit, fregitque animos, atque abstulit iras?
Aut mecum mediam, juvenes, agite, ite per urbem,
Argolicamque manum, aut caris occumbite natis ».
Irruit, et patrias cœptis ferus advocat umbras:

277. *Corripit horror.* Junt. et posterr. usque ad Carr. — 279. *Magnosque dolores.* Vatic. Bonon. codd. et edd. usque ad Carr. — 286. *Aut claris occumbite factis.* Junt. et posterr. *Aut claris occumbite fatis.* Vet. Paris. at Carr. I et II. Ed.

277. *Dixerat, extremus quum lumina corripit error.* Recte *error* (non *horror*, quod aliis placuit), de caligine morientis oculis offusa, quæ facit, ut, quæ oculis obversantur, non amplius clara atque distincta appareant.

279-385. Res a *Gesandro*, Iazygum rege, præclare gestæ pluribus enarrantur. *Hinc*, hac morte Anausis, *animos acies auget*, exasperatur exercitus; *magnoque doloris turbine*, impetu, nimio dolore perturbatum (*turbo* est in vocabulis, quæ Valerius amat), *Gesandrum Mavors rapit*, qui Iazygas, cives suos, *morantes increpat.*

282. Ad intelligendam acerbam, quæ sequitur, objurgationem, in memoriam revocandus est apud Iazygas receptus mos, ut senes non sua morte morerentur, sed filiis sese interficiendos committerent; v. supra 122. Rex igitur increpat ignavos: *Nempe* (quæ vocula itidem ut *scilicet* in ironia solet adhiberi) *omnes cecidere senes, nempe omnis ademptus pater: quæ fœda senectus*, quam dispar ab patrum senectute, quæ ignavia *corripuit?*

285. *Aut mecum ite..... aut caris occumbite natis*, filiorum manibus interficiamini.

287. *Irruit, et patrias cœptis ferus advocat umbras*, manes patris provocat, ut pugnæ testes adsint.

288. *Sancte Voraptc pater*, nam manes priscis pro numinibus erant,

« Sancte mihi Vorapte pater, tua pectora nato
Suggere nunc animumque parem, si fata peroso
Tarda tibi turpesque moras non segnius ipsi
Paruimus, parvique viam didicere nepotes ».
Hæc ait, auditurque Erebo; tunc corripit ensem
Turbidus, et furiis ardens quatit arma paternis.
Indigenis sacratus aquis, magnique sacerdos
Phasidis Arctois Aquites errabat in armis,
(Populeus cui frondis honor, conspectaque glauco
Tempora nectuntur ramo) te, Cyrne, parentis
Immemorem duræ cupiens abducere pugnæ;
Jamque omnes impune globos diversaque lustrans
Agmina, quem quærit, nusquam videt, atque iterum instat
Vociferans, iterum belli diversa peragrat;
Lancea cæruleas circum strepit incita vittas.

291. *Parvique eam.* Vatic. Bonon. codd. *Parvique etiam.* Bonon. I et II, et edd. ante Carr. — 292. *Auditus.* Vatic. Bonon. codd. et edd. ante Carr. — 300. *Agmina non usquam videt atque iterum intrat.* Vatic. cod. *Agmina non usquam videt atque iterum intrat in æquor.* Bonon. cod. et edd. ante Carr. qui *intrat* retinet. Ed.

tua pectora, animum, fortitudinem *suggere*, da, *nato: si tibi fata tarda turpesque moras peroso*, si tibi, quem nimis longæ vitæ tædium cepisset, *non segnius ipsi paruimus*, si prompte tibi manum olim intuli, *parvique viam*, hanc gentis nostræ disciplinam consuetudinemque parentes interficiendi, *didicere nepotes*, si et ego eamdem (impiam) pietatem a filiis mihi meis contingere opto.

292. *Auditur Erebo*, preces ad inferos pertingunt; *et furiis ardens quatit arma paternis*, incitatus, actus, hastam vibrat.

294. Primus, quem obviam haberet, fuit *Aquites, indigenis sacratus aquis*, h. e. quod ipse addit poeta, *magni sacerdos Phasidis*, *Arctois errans in armis*, per campum, ubi pugna jam conserebatur. Vide sacerdotes præliis se immiscentes etiam apud Virgil. Æn. VII, 750; X, 537; XI, 768, et ibi Heynium; Sil. Ital. II, 150, et ibi *Ruperti*.

296. *Populeus cui frondis honor*, sertum, *conspectaque*, περίβλεπτα, insignia, *tempora glauco* (est color viridis albo mixtus, *grünlich*; Virg. Georg. II, 13: *glauca canentia fronde salicta*, et supra, III, 436) *nectuntur ramo*, *te*, *Cyrne*, (hoc filio nomen erat) *parentis*, monitorum patris, *immemorem*, *duræ*, sævæ, *cupiens abducere pugnæ*.

301. *Vociferans, belli diversa*, h. e.

Opprimit admissis ferus hunc Gesander habenis.
Ille manum trepidans atque irrita sacra tetendit:
« Teque per hanc, inquit, genitor tibi si manet, oro
Canitiem, compesce minas, et sicubi nato
Parce meo ». Dixit; contra sic victor adacto
Ense refert: « Genitor, turpi durare senecta
Quem mihi reris adhuc, ipse hac occumbere dextra
Maluit, atque ultro segnes abrumpere metas.
Et tibi si pietas nati, si dextra fuisset,
Haud medii precibus tereres nunc tempora belli,
Præda future canum. Juveni sors pulcrior omni;
Et certare manu decet, et caruisse sepulcro ».

305. *Genitor, inquit.* Vatic. Bonon. codd. et edd. ante Carr. — 314. *Et certasse.* Vatic. Bonon. codd. et edd. ante Carr. *Quam certasse.* Ald. Ed.

utramque et popularium et hostium aciem (hostes enim non excludendos esse suadet præcedens *impune*), *iterum peragrat.*

303. *Opprimit*, improvisus adest, *ferus Gesander admissis*, laxatis, *habenis.* Sic Ovid. Metam. I, 532, *admisso passu;* Tit. Liv. II, 19, *equum admittere;* Noster, V, 587; VIII, 139: *immissis habenis.*

304. *Ille irrita sacra*, vittas, vel aliud, quod manibus teneret, sacerdotii insigne, *tetendit, et Per hanc, inquit, canitiem oro, genitor tibi si manet*, si pater tibi adhuc in vivis est, *compesce minas, et sicubi* (adde *incideris*) *nato parce meo.*

307. *Contra sic victor* armatus inermi respondet: « *Genitor, quem turpi senecta durare*, superstitem esse, opinaris, *ipse hac* mea *occumbere dextra maluit, atque ultro segnes abrumpere metas;* conf. supra, 290, *turpes moras.*

311. *Et tibi si pietas nati, si dextra fuisset*, si dextra filii pia exstitisset, officium fecisset, *haud precibus tereres*, inutiliter consumeres, *medii tempora belli*, ubi pugnandum, non precandum est, *præda future canum.* Sarcasmus priscis solennis, vel ex Homero notus, apud quem omnino, uti cel. cujus favore lætor *Gurlitt*, Animadvers. spec. I, p. 35, observat, heroes antiqui, si *unum locum* exceperis, acerbe illudere occisis solent.

313. *Juveni sors pulchrior omni; Et certare manu decet, et caruisse sepulcro.* Obscurus locus Burmanno visus, quod idem et mihi accidit. Burmannum offendunt priora: *juveni omni*, quæ tamen sic satis bene explices: juvenum mors omnino lætior et magis decora. Ego vero ultima expedire non possum: *caruisse sepulcro*, quo si carent, idem patiuntur, quod Gesander seni antea minatur, ut præda fiant canum. Sed nec hoc durius videatur, si Scy-

Dixerat; ille deos moriens cælumque precatur,
Dextera ne misero talis foret obvia nato.
Te quoque, Canthe, tui non inscia funeris Argo
Flevit, ab invita rapientem tela carina.
Jam Scythicos miserande sinus, jam Phasidis amnem
Contigeras; nec longa dies, ut capta videres
Vellera, et Euboicis patrios de montibus ignes.
Illum, ubi congressu subiit Gesander iniquo,
Territat his: « Tu, qui faciles hominumque putasti
Has, Argive, domos, alium hic miser adspicis annum,
Altricemque nivem, festinaque tædia vitæ.

324. *Amnem.* Bonon. et Burm. codd. vid. v. 319. *Annum.* Pro varia lect. Bonon. cod. Ed.

tham memineris loqui. Nam, quod aliis cultioribus nationibus erat curæ, ut ne post mortem insepulti abjicerentur, de eo Scythæ non erant solliciti.

315. *Ille moriens deos cælumque*, deos in cælis, superos, precatur, ne tam immanis hostis filio obviam fiat.

317-384. Hoc occiso, Gesander in *Canthum* incidit Argonautam, quem poeta ita alloquitur: *Te quoque, Canthe, tui non inscia funeris Argo* (v. supra, I, 451) *flevit, ab invita* (prosopopœia, ut præcedens *inscia*), dolente, *rapientem tela carina.*

320. *Non longa dies*, proxime instabat tempus, *ut capta videres vellera, et Euboicis patrios de montibus ignes*, ut in patriam redux ignes in Eubœæ promontorio Caphareo in usum navigantium accensos videres.

322. *Illum ubi congressu* subiit*, oppressit, *Gesander iniquo*, ideo, quod Canthus, nondum ad pugnam compositus, arma tantum e navi comportarat. Quæ sequitur vitæ Scytharum descriptio non invenusta est et ad veritatem expressa, eam tamen ob causam non suo loco posita existimanda, quod ira percitus et in ipso pugnandi actu tam longam sermocinationem Gesander habuisse vix est credendus.

323. *Territat his: Tu, qui faciles hominumque putasti has domos. Domos* bis sumas, faciles domos, et hominum domos. Qui putasti faciles, commodas, hospitales invenire, et hominum, qui tamen semiferi simus. — *Argive*, i. e. Græce, nam Canthus erat ex Eubœa. Ed.

324. *Alium hic miser aspicis annum*, sc. anni tempestates, cælum, aeris temperiem; *altricemque nivem*, quasi pro patria tellure nivem dicit, uti Gesner Thes. v. *Altrix* recte exponit, *festinaque tædia vitæ*, quo fit, ut filios nostros ipsi, ut nos interficiant, oremus.

Non nos aut levibus componere brachia remis
Novimus, aut ventos opus exspectare ferentes;
Imus equis, qua vel medio riget æquore pontus,
Vel tumida fremit Hister aqua; nec mœnia nobis
Vestra placent: feror Arctois nunc liber in arvis,
Cuncta tenens mecum; omnis amor jacturaque plaustri
Sola, nec hac longum victor potiere rapina:
Ast epulæ quodcumque pecus, quæcumque ferarum.
Mitte Asiæ, mitte Argolicis mandata colonis,
Ne trepident; numquam has hiemes, hæc saxa relinquam,
Martis agros, ubi jam sævo duravimus amne
Progeniem, natosque rudes: ubi copia leti
Tanta viris? Sic in patriis bellare pruinis
Prædarique juvat, talemque hanc accipe dextram.»

329. *Premit Hister* Bonon. cod. et edd. præter Eugent. — 330. *Nam liber.* Carrion. — 335. *Relinquat.* Vatic. et Bonon. codd. Bonon. I. Junt. Maser. Ald. *Relinquant.* Carr. — 336. *Tam sævi. Martis agro subitam sævi.* Vatic. cod. *Tam sævi.* Bonon. cod. Bonon. I et II. Junt. Maser. Ald. Eugent. Carr. Ed.

326. *Non levibus*, (contemptim) *remis brachia componimus, nec opus nobis ventos exspectare ferentes*, secundos; *imus equis, qua vel medio riget æquore Pontus* glacie adstrictus, *vel tumida fremit Hister aqua*, nec reformidamus æstuantem Danubium equitando trajicere; *nec mœnia*, urbes, *placent.*

330. *Feror liber Arctois in arvis, cuncta tenens mecum;* hoc adumbratum ex Virgil. Georg. III, 343, quem locum omnino consuli jubet Heynius.

331. *Omnis amor jacturaque plaustri sola*, jucunda cum brevitate dictum: omnes divitiæ in plaustris, quæ si perdimus, leve tamen damnum est: *nec hac longum*, diu, *victor potiere rapina.*

334. *Mitte Asiæ, mitte Argolicis mandata colonis*, nuntiari jubeas popularibus tuis, *ne trepident:* superbe dictum; hoc enim vult dicere; possim equidem arma mea facile ad illas regiones transferre, sed non lubet; *numquam relinquam has hiemes* perpetuas, *hæc saxa, Martis agros* (conf. supra, V, 641), Marti sacros, bellis idoneos, *ubi jam sævo*, frigido, *amne duravimus progeniem natosque rudes*, recens natos: conf. Virg. Æn. IX, 604. *Durum a stirpe genus, natos ad flumina primum Deferimus, sævoque gelu duramus et undis.*

337. *Ubi copia leti tanta viris*, ubi terrarum tot viris fortibus mortem oppetendi occasiones præbentur? hic *bellare* et *prædari* me *juvat.*

Dixit, et Edonis nutritum missile ventis
Concitat; it medium per pectus et horrida nexu
Letifer æra chalybs. Trepidus super advolat Idas,
Ac simul OEnides, pariterque Menœtius, et qui
Bebrycio propius remeavit ab hospite victor.
At vero ingentem Telamon procul extulit orbem,
Exanimem te, Canthe, tegens: ceu septus in arcto
Dat catulos post terga leo, sic cominus hastam
Æacides gressumque tenet, contraque ruentem
Septeno validam circumfert tegmine molem.
Nec minus hinc urget Scythiæ manus, armaque Canthi
Quisque sibi, et Graio pœnam de corpore poscens.
Arduus inde labos, medioque in corpore pugna

347. *Hastá.* Vatic. Bonon. codd. Junt. et seqq. — *Sic omnibus hastam.* Carr. II. — 351. *Poscit.* Ald. Eo.

talemque hanc accipe dextram, talem me esse, statim experieris.

340. *Dixit, et Edonis ventis* (Hor. Od. IV, 12, 2, *Thraciæ animæ*) *nutritum*, exquisite pro *celerius factum*, *incitatum* (est autem Homeri ἀνεμοτρεφὲς ἔγχος, Il. XI, 256; κῦμα, XV, 625), *missile concitat.*

341. *It medium per pectus, et horrida nexu æra*, per loricam catenulis munitam (conf. supra, v. 233), *letifer chalybs*, lancea.

342. *Trepidus*, anxius, *super advolat Idas*, *OEnides*, Meleager, *Menœtius, et qui Bebrycio propius remeavit ab hospite victor*, Pollucem puta, qui post propiorem cum Amyco conflictum victor discesserat.

345. *At vero ingentem Telamon procul extulit orbem*, in altum sublato clypeo procul advolavit, *ceu septus in arcto* (in arcta mole, I, 757), cinctus a venatoribus, *dat catulos post terga leo*, revocat vagantes, et pone se cedere jubet. Totum locum aperte mutuatus est Valerius ex Homero, ubi de Patroclo cæso pugnat Ajax. Iliad. XVII, 128 seqq. Αἴας δ' ἐγγύθεν ἦλθε, φέρων σάκος ἠΰτε πύργον... Εἱστήκει, ὥς τίς τε λέων περὶ οἷσι τέκεσσιν, ᾧ ῥά τε νήπι' ἄγοντι συναντήσονται ἐν ὕλῃ Ἄνδρες ἐπακτῆρες, κ. τ. λ.

347. *Sic cominus hastam Æacides*, Telamon, *gressumque tenet*, gradum sistit, hoc solum spectans, ut se tueatur, et *septeno validam circumfert tegmine molem*. Magnitudinem hoc auget et firmitatem clypei. *Septemplex* clypeus est infra, 367.

350. *Nec minus hinc*, ex altera parte, *urget Scythiæ manus*, *quisque sibi Graio pœnam*, vindictam, *de corpore poscens.* Sic pœnam poscere apud Virgil. Æn. II, 72; Tit. Liv. IV, 19: *id pœnæ hostibus redditum.*

Conseritur: magno veluti quum turbine sese
Ipsius Æoliæ frangunt in limine venti,
Quem pelagi rabies, quem nubila, quemque sequatur
Ille dies; obnixa virum sic cominus hæret
Pugna, nec arrepto velli de corpore possunt.
Ut bovis exuvias multo qui frangere olivo
Dat famulis, tendunt illi, tractuque vicissim
Taurea terga domant, pingui fluit unguine tellus;
Talis utrimque labos, raptataque limite in arcto
Membra viri miseranda meant: hi tendere contra,
Hi contra, alternæque virum non cedere dextræ.
Hinc medium Telamon Canthum rapit; hinc tenet ardens
Colla viri, et molles galeæ Gesander habenas,
Insonuit quæ lapsa solo, dextramque fefellit.
Ille iterum in clypei septemplicis improbus orbem

354. *Euboiæ*. Bonon. cod. et edd. usque ad Carr. *Æoliæ* jam dederat Pius. — 358. *Et vobis exuvias*. Vatic. Bonon. codd. Bonon. I. — *Frangit*. Vatic. Bonon. Carr. codd. Bonon. I et II. Ed.

— *Medio in corpore conseritur pugna*, ita cominus confligebant, ut certatim alter alterum a cadavere dejiceret.

353. Vid. ad calcem hujus libri not. 353. Ed.

356. *Obnixa virum sic cominus hæret pugna*, ita pertinaciter sibi invicem obnituntur.

358. Aliam subnectit comparationem poeta: *Ut bovis exuvias* (bene monet Burmannus, exuvias epico carmine digniores esse, quam pellis, vel corium) *multo qui frangere*, emollire; *olivo* (oleo) *dat famulis: tendunt*, in longitudinem trahunt, *illi, tractuque vicissim taurea terga domant*, mitigant; *pingui fluit unguine*, succo olivæ, *tellus*. Totus locus expressus ex Homeri Iliade, XVII, 389.

361. *Raptata limite in arcto*, brevi spatio, *membra viri meant*, commeant, e manu in manum migrant.

364. *Telamon medium corpus rapit, Gesander tenet ardens*, cupide et firmiter *colla, et galeæ molles habenas* (*galeæ nexus ac vincula*, VII, 636), lora lenta et facile cedentia, galea tamen *dextram fefellit*, invito excidit, *soloque lapsa insonuit*.

367. Iterum *in clypei septemplicis orbem* Telamonis *arietat* (trisyllab.), impetum facit, non secus ac aries, quo ad pulsanda mœnia utebantur, *et Canthum* (nihil enim aliud cogitat) *sequitur, Canthumque reposcit*, quem tamen Argonautæ cum sociis a ter-

Arietat, et Canthum sequitur, Canthumque reposcit;
Quem manus a tergo socium rapit, atque receptum
Virginis Euryales curru locat. Advolat ipsa
Ac simul Hæmonidæ, Gesandrumque omnis in unum
It manus. Ille novas acies, et virginis arma
Ut videt: « Has etiam contra bellabimus? inquit;
Heu pudor! » inde Lycen ferit ad confine papillæ,
Inde Thoen, qua pelta vacat; jamque ibat in Harpen,
Vixdum prima levi ducentem cornua nervo,
Illabentis equi tendentem frena et Henippen;
Quum regina, gravem nodis auroque securim
Congeminans, partem capitis galeæque ferinæ
Dissipat. Hic pariter telorum immanis in unum
It globus: ille diu conjectis sufficit hastis,

376. *Vix tum*. Vatic. cod. *Ductantem*. Junt. et posterr. usque ad Carr. — 377. *In labantis*. Bonon. I et II. *Inque labantis*. Junt. Maser. Ald. Engent. *Enhippen*. Vatic. et Bonon. codd. Bonon. I. Junt. *Neippen*. Bonon. II. Ald. *Nehippen*. Maser. *Cenhippen*. Engent. Ed.

go rapiunt, et in *Euryales* Amazonis *curru locant*. Fuere, qui curru Amazonis offenderentur, quæ non nisi equis pugnasse tradantur; sed et alii *currus* habent, v. c. Statius, Theb. XII, 524.

370. *Advolat ipsa* Euryale, *ac simul* plures *Hæmonidæ*, Argonautæ; omnes ruunt in Gesandrum, qui, quum et cum feminis rem sibi fore videret, hoc sibi dedecori esse clamitat.

374. *Lycen ferit ad confine papillæ*, haud procul a mamma; *inde Thoen, qua pelta vacat*, ubi clypeus deficit, corpus non tegit.

375. *Jamque ibat in Harpen, Vixdum prima levi ducentem cornua nervo*, quæ tum prima arcum tendendi experimenta dabat., *et Henippen illabentis*, collabentis, proni, *equi tendentem*, adducentem, *frena*. Sic ordinatus versus, asterisco notatus, non incommodum sensum dat. Nomina harum Amazonum ficta; Harpe tamen est etiam apud Silium, II, 117.

378. *Quum regina, gravem nodis auroque*, aureis nodis bullisque, *securim congeminans*, bis repetito ictu (*duplicatam securim* vide supra, III, 140, qui locus omnino est nostro simillimus; *congeminata* est etiam apud Virgil. Æn. XI, 698), *partem capitis galeæque ferinæ*, e corio confectæ, *dissipat*, disjicit.

381. *Ille*, Gesander, *diu conjectis sufficit*, par est, *hastis*, quibus *gravior* ob molem cuspidum clypeo infixarum, *nutuque*, inclinatione et

Quis gravior nutuque cadens exterruit Idam.
Tunc ruit, ut montis latus, aut ut machina muri,
Quæ scopulis trabibusque diu confectaque flammis
Procubuit tamen, atque ingentem propulit urbem.
Ecce locum tempusque ratus, jamque et sua posci
Prælia, falcatos infert Ariasmenus axes,
Sævaque diffundit socium juga, protinus omnes
Grajugenas, omnes rapturus ab agmine Colchos.
Qualiter, exosus Pyrrhæ genus, æquora rursus
Jupiter atque omnes fluvium si fundat habenas,
Ardua Parnasi lateant juga, cesserit Othrys
Piniger, et mersis decrescant rupibus Alpes:

382. *Quin etiam gravior.* Vatic. et Bonon. codd. *Quis gravior.* Edd. præter Ald. *Nutuque carens.* Vatic. et Bonon. codd. Bonon. I. Cart. — 385. *Protulit urbem.* Vatic. cod. — 389. *Ab inguine.* Junt. Ald. Engent. Ed.

vacillatione corporis, *cadens exterruit Idam* Argonautam, cui cadens adhuc fuit terribilis.

383. *Tunc ruit, ut montis latus, aut ut machina muri*, turris, *quæ scopulis*, saxis ingentibus e tormentis missis, *trabibusque*, arietibus, *confectaque flammis*, malleolis, *procubuit tamen* (melius *tandem*) *atque ingentem propulit urbem*, magnam muri urbisque partem secum rapit: conf. Silium Ital. I, 362 seq.

386-426. Alius Scytharum dux, *Ariasmenus*, in pugnam procedit, curribus falcatis instructus, quibus tandem ipse conciditur. *Sua et prælia ratus posci*, *sæva diffundit sociorum juga*, currus in latitudinem extendit, *protinus rapturus ab agmine*, temere sibi persuadens, se statim primoque impetu ordines turbaturum *Græcorum et Colchorum*.

390. Non secus, ac si Jupiter novum diluvium orbi terrarum immitteret, quod ornatum ab effectu: *qualiter exosus Pyrrhæ genus*, ætate ejus viventes (*seculum Pyrrhæ*, Horat. Od. I, 2), *Jupiter æquora rursus atque omnes fluviorum fundat habenas* (translatio audacior!), ut, qui altissimi habentur montes, aquis obruantur, *ardua Parnasi juga lateant*, *piniger Othrys* Thraciæ *cesserit*, *et mersis decrescant rupibus Alpes*. Non injucunde variat elocutionem Valerius: *merguntur... latent... cadunt... decrescunt.* Hoc ultimum in primis naturæ accommodatum; quo altius enim assurgunt aquæ, eo magis minuitur montium altitudo. Ausonius in Mosella, 146, 147: *magna surgunt Æquora, vicinique timent decrescere montes.* Conf. supra, II, 6, ubi, quo longius Argo per altum procedit, eo minores apparent in Pelio monte orni, donec superfi-

Diluvio tali, paribusque Ariasmenus urget
Excidiis, nullo rapiens discrimine currus.
Ægida tum primum virgo spiramque Medusæ
Tercentum sævis squalentem sustulit hydris,
Quam soli vidistis, equi. Pavor occupat ingens
Excussis in terga viris, diramque retorquet
In socios non sponte luem; tunc ensibus uncis
Implicat, et trepidos lacerat Discordia currus.
Romanas veluti sævissima quum legiones
Tisiphone regesque movet, quorum agmina pilis,
Quorum aquilis utrimque micant, eademque Parentis
Rura colunt, idem lectos ex omnibus agris

404. *Quorum aqualis.* Vatic. cod. *Quorum qualis.* Bonon. cod. et Bonon. I. *Atque aquilis.* Bonon. II. Ed.

ciem maris æquare e longinquo viderentur.

396. Jam vero, quum tam grave Argonautis suis periculum immineret, Pallas ipsa in prælium redit, tantumque terrorem injicit equis, ut currus falcati in ipsos dominos irruerent, ipseque Ariasmenus dissecaretur. *Ægida tum primum* (conf. supra, v. 176) Pallas caputque *Medusæ*, cujus terribilem formam circumscribendo auget poeta: *spiram Medusæ tercentum sævis squalentem hydris..... sustulit*, ita tamen, ut soli equi viderent.

398. *Pavor* (ut persona, consideratus, uti etiam paullo post *Discordia*, quæ Pavori etiam jungitur, II, 204) *occupat* equos, ut vectores excutiant.

399. *Diramque retorquet In socios non sponte luem*, efficit Pavor, ut equi inviti atque inscii cladem agitatoribus suis inferrent.

400. *Tunc ensibus uncis*, falcibus, *implicat Discordia, et trepidos* (sic *trepida puppis*, V, 221; *trepida plaustra*, VI, 155) *lacerat currus.*

402. Hoc illustratur comparatione a bellis Romanorum civilibus desumpta. *Romanas veluti legiones Tisiphone movet regesque*, duces omnino, quo sensu sæpe apud Nostrum habuimus; nihil amplius. Nimis docte de regnum olim affectantibus Cæsare et Pompeio Burmannus, de Galba, Othone et Vitellio Casaubonus explicare videntur.

403. *Quorum agmina pilis*, hastilibus illis brevibus, ferrea cuspide munitis, quibus plerasque Romani victorias debebant, et *aquilis utrimque micant, eademque Parentis* (sic typis exprimi jussi litera majuscula, ut sit pro Patria Roma, suadente Friesemanno, p. 112) *rura colunt; idem Thybris infelix lectos ex omnibus agris*, omnes accolas suos, *misit non ad hæc* civilia *prælia*. Adumbratum ex Virgil. Æn. IV, 646: *ensem-*

Miserat infelix non hæc ad prælia Thybris;
Sic modo concordes externaque fata petentes
Palladii rapuere metus; sic in sua versi
Funera concurrunt, dominis revocantibus, axes.
Non tam fœda virum Laurentibus agmina terris
Ejecere Noti, Libyco nec talis imago
Litore, quum fractas involvunt æquora puppes.
Hinc bijuges, illinc artus tenduntur heriles,
Quos radii, quos frena secant; trahiturque trahitque
Currus cæde madens, atroque in pulvere regum
Viscera nunc aliis, aliis nunc curribus hærent.
Haud usquam Colchorum animi, neque cura cavere

413. *Arcus.* Vatic. Bonon. codd. Bonon. I et II. — 417. *Neque in peste revinctos*, ut versu seq. Vatic. et Bonon. codd. *Meque peste revinctos.* Bonon. I. Junt. Maser. *Neque peste recinctos* Eugent. *Meque inclyta dextris* pro var. lect. Bonon. cod. *Non inclyta dextris.* Bonon. II. Ald. En.

que recludit Dardanium, non hos *quæsitum munus* in usus.

407. *Sic* igitur et Scythas *modo*, paullo ante *concordes externaque fata petentes*, non nisi de hostibus cædendis cogitantes, *Palladii*, a Pallade immissi, *rapuere metus; sic in sua* (suorum) *versi funera axes*, currus, *concurrunt*, *dominis revocantibus*, quidquid clamarent, retroque vertere cuperent vectores.

410. *Non tam fœda* aspectu *virum agmina Laurentibus terris ejecere* (solennis vox de naufragis) *Noti*, *nec Libyco talis imago* (in) *litore*, *quum fractas involvunt æquora puppes*; fragmina navium per fluctus volvuntur.

413. *Hinc bijuges*, equorum; *illinc heriles*, aurigarum, *artus tenduntur*, omnes et viri et equi vires intendunt, ut contra nitantur, *quos radii*, rotæ falcatæ, *quos frena*, duriori e corio confecta, *secant*, non dissecant, sed vulnerant, cutem lædunt, *trahiturque trahitque* (verborum sic activa et passiva juncta sæpe apud Ovidium obvia; conf. infra, VII, 594) *currus cæde*, sanguine, *madens*, *atroque in pulvere regum*, ducum, *viscera nunc aliis*, *aliis nunc curribus hærent*. *Ater pulvis* h. l. est cruore tinctus, uti apud Virgil. Æn. II, 272: *aterque cruento pulvere*.

417. *Haud usquam Colchorum animi* sunt, exerere se possunt, *neque cura*, nil opus est, *cavere tela*, *sed misera in peste*, mutua cæde, *implicitos et revinctos confodiunt*, *nec forma necis non altera*, non alia, eadem ubique, *surgit*, ob oculos venit, *quam ubi venator non Umbro*, venatico cane ex Umbria (*Umber hians*, Virgil. Æn. XII, 754; Seneca, Thyest. Act. III, 498 seq.), *edaci*

Tela, sed implicitos miseraque in peste revinctos
Confodiunt; ac forma necis non altera surgit,
Quam cervos ubi non Umbro venator edaci,
Non penna petit, hærentes sed cornibus altis
Invenit, et cæca constrictos excipit ira.
Ipse recollectis audax Ariasmenus armis
Desilit, illum acies curvæ secat undique falcis,
Partiturque rotis, atque inde furentia raptus
In juga, Circæos tetigit non amplius agros.
Talia certatim Minyæ sparsique Cytæi
Funera miscebant campis, Scythiamque premebant,

421. *Non pinna*. Vatic. cod. Junt. Maser. Ald. Eugent. *Non pruinas*. Bonon. cod. et Bonon. I. *Non pinnis*. Bonon. II. — 422. *Accipit ira*. Vatic. Bonon. codd. Bonon. I et II. Junt. Maser. Carr. *Excipit*. Jam Pius, Ald. Eugent. Ed.

(epitheton ornans, nam venatici omnes edaces, nec erat, cur mallet Vossius *sagacem*), *non penna petit*. *Pennam* intelligit Burmannus telum, sagittam. Quidni vero de funiculo, linea, plumis intexta, quam *formidinem* appellabant venatores, quaque cervi territi in retia aguntur? conf. Ovid. Metam. XV, 475: *pinnis includere cervas*; Virg. Georg. III, 372, in primis Æn. XII, 750.

421. *Hærentes sed cornibus altis Invenit, et cæca constrictos excipit ira.* Et hic impetrare a me non possum, Burmanno ut accedam, qui *hærentes*, cervos arborum ramis implicitos, et *cæcam iram* de impetu venatoris ex occulto, qui cervo inexspectatus sit, explicat. Ego autem Valerium puto cogitasse de cervis libidine æstuantibus, decertantibusque de femina, quos suis ipsorum cornibus implicitos venator invenit, et *cæca ira*, furore, qui facit, ut nihil eorum, quæ circa se fiunt, videant vel audiant, *constrictos excipit*, opprimit.

423. *Ariasmenus* ita est *audax*, ut, *recollectis armis*, ex hac equorum et curruum turba se vellet proripere, *sed acies curvæ falcis*, falces acutæ, *secant undique*, *partiunturque rotis*, curribus, ut caput forte ab hoc, brachia ab illo, pedes a tertio curru exciperentur.

425. *Atque inde furentia raptus In juga*, *Circæos tetigit non amplius agros*, non rediit in prælium. Hæc admodum elumbia et frigida.

427. Pugnis gravibus non tam finem hic facit poeta, quam inducias, nam paullo post redintegrata vidimus certamina. Jam vero in eo est, ut Junonem sistat animum Medeæ Jasonis amore imbuentem. *Talia certatim* Argonautæ *et Cytæi*, Colchi, *miscebant funera*, quidquid hostium occurreret, cædebant, *quum Juna regina* (v. 430) Jasoni suo his omnibus nec vellus,

Quum Juno Æsonidæ, non hanc ad vellera cernens
Esse viam, nec sic reditus regina parandos,
Extremam molitur opem, funesta priusquam
Consilia ac seras aperit rex perfidus iras.
Increpat et sævis Vulcanum mœsta querelis,
Cujus flammiferos videt inter regia tauros
Pascua Tartaream proflantes pectore noctem.
Hæc etenim Minyas ne jungere Marte peracto
Monstra satis jubeat Cadmei dentibus hydri
Ante diem, timet, et varias circumspicit artes.
Sola animo Medea subit, mens omnis in una
Virgine, nocturnis qua nulla potentior aris.
Illius ad fremitus sparsosque per avia succos

432. *Ac sævas*. Vat. Bon. codd. et edd. ante Carr. — 433. *Seris*. Codd. et edd. ante Carr. — 434. *Inter egentia*. Carr. cod. — 438. Post hunc vers. deest nunc folium integrum in Vatic. cod. a versu 439, *sola animo*, etc. usque ad vers. 477, *Cingitur arcanis*, etc. — 441. *Illius ad fletus*. Bonon. cod. Bonon. I. *Ad flatus*. Bonon. II. *Adflatus*. Junt. Maser. Engent. *Afflatus*. Ald. En.

nec reditum in patriam parari videns, *extremam molitur opem*, omnes sibi vires intendendas existimat, *prius quam rex perfidus seras*, diu dissimulatas, tandem *aperiat iras*.

433. *Increpat et sævis Vulcanum*, filium, *querelis*; *cujus flammiferos tauros videt Tartaream proflantes noctem*. Lusum verborum poeta an sectatus sit in opponendis sibi invicem *flamma* et *nocte*, nescio; hoc scio, Tartaream noctem nil nisi mortem significare posse.

436. *Hæc*. Burmannus malit *rex*, quod, ut magis perspicuam reddere orationem non eo infitias; nihil tamen necesse est, si τὸ *rex* e versu 432 repetas. *Hæc* ego retulerim ad monstra, et in sequentibus post *ante diem*, interpunctionem mutarim, ut *ante diem* jungendum sit τῷ *jubeat* nempe rex. *Hæc etenim Minyas ne jungere Marte peracto Monstra satis jubeat Cadmei dentibus hydri Ante diem*, *timet*, quæ sic recte ad meam sententiam procedunt: *Hæc monstra*, tauros ignivomos, *ne* rex prœlio peracto jubeat ante diem, citius, quam (Juno) vellet, aratro jungere, et semina spargere Cadmei draconis dentes, timet Juno, et varias circumspicit artes.

439. *Sola animo Medea subit*, *nocturnis qua nulla potentior aris*, Hecates, sacris nocturnis, magicis.

441. Hanc Medeæ artem amplificat poeta: *Illius ad fremitus*, murmura magica (sic recte Burmannus), *sparsosque per avia*, sola et deserta loca, *succos sidera fixa pa-*

Sidera fixa pavent, et avi stupet orbita Solis:
Mutat agros fluviumque vias, suus alligat igni
Cuncta sopor, recoquit fessos ætate parentes,
Datque alias sine lege colus. Hanc maxima Circe
Terrificis mirata modis, hanc advena Phryxus,
Quamvis Atracio lunam spumare veneno
Sciret, et Hæmoniis agitari cantibus umbras.
  Ergo opibus magicis et virginitate tremendam
Juno duci sociam conjungere quærit Achivo.
Non aliam tauris videt et nascentibus armis

443. *Alligat imis.* Bonon. cod. *All. ignis.* Bonon. I. Junt. Maser. Ald. Engent. *Ingens.* Bonon. II. — 444. *Recolit fessos.* Bonon. cod. et edd. ante Carr. *Refovet.* Aliqui ap. Pinm. *Recoquit* ex conj. Gron. Obss. IV, 21. — 447. *Qua visa Tartareo.* Bonon. et Burm. codd. *Qaa visa Tracio.* Bonon. I; unde restituit *quamvis Atracio* Sabell. — 449. *Opibus magnis.* Perperam Carr. II. Ed.

vent, timent, ne cælo devocentur.

443. *Mutat agros fluviorumque vias*, ut agri undis mergantur, fluvii alio alveo incedant; *suus alligat igni cuncta sopor.* Hæc non uno modo possunt exponi; ego quidem cum sequentibus, *recoquit fessos ætate parentes*, cohærere arbitror, hoc sensu: omnes, quos arte sua in vitam revocare promittit, sopori datos et in ahenum conjectos senes recoquit, quod reapse ita eam fecisse notum ex Ovidii Metam. VII, 160 sqq. quem omnino consuluisse non pœnitebit.

445. *Datque alias sine lege colus.* (colus, an *colos* scribas, perinde est), fata vitæque terminos hominibus a Parcis præstitutos mutat pro lubitu. *Hanc maxima terrificis modis*, famosissima incantatrix, *Circe mirata* est.

447-448. Et *Atracia* et *Hæmonia* Thessaliæ sunt nomina. Hanc miratus est Phryxus Thessalus quanquam patriæ suæ artes bene noverat, quibus feminæ Lunam ad iram ita excitarent, ut spuma in terram herbasque roris instar deflueret, quam veneficæ *luna pernocte*, Ovid. Met. VII, 268, colligerent; conf. *sanguineam Lunæ iram*, infra, VII, 330, et VIII, 83; Virgil. Æn. IV, 513, *messas ad Lunam pubentes herbas;* et Lucan. VI, 669, *lunare virus*.

449. Hanc itaque virginem *opibus magicis, et virginitate*, quia Dianæ erat sacerdos, quæ illibatæ debebat esse pudicitiæ (conf. V, 240: *fert castos Medea choros*), *tremendam*, Juno Jasoni suo *sociam*, et auxiliatricem, dare constituit. — *Virginitate tremendam* sic explicat Adolphus *Dureau de Lamalle:* cujus pudicitiam metuit Juno, ne sit consiliis suis impedimento. Ed.

451. *Quippe non aliam tauris videt et nascentibus armis*, armatis viris e terra procrescentibus, *parem*.

Quippe parem; medio quam si stet in agmine flammæ,
Nullum mente nefas, nullos horrescere visus.
Quid? si cæcus amor sævusque accesserit ignis?
Hinc Veneris thalamos, semperque recentia sertis
Tecta petit. Visa, jam dudum prosilit altis
Diva toris, volucrumque exercitus omnis Amorum;

452. *Medio quæ stet in imagine.* Bonon. cod. *M. quæ stet in agmine.* Bonon. I. Iunt. *M. quæ sistet in a.* Bonon. II. Maser. *M. quæ staret in a.* Ald. Engenl. *Neque quæ medio stet in a.* Carr. *Quam, si medio stet in a.* Heins.—453. *Horrescere nisus.* Nonnulli apud Pium. *Horresceret ausus.* Ald. Ed.

452. *Medio quam si stet in agmine flammæ, Nullum mente nefas, nullos horrescere visus.* Locus salebrosus, varie tentatus ab interpretibus. Mihi offendiculo est vocula *quam*, cujus loco, suffragante non uno codice, ponere *quæ*, et *horrescere* pro infinitivo, quem vocant, historico, sumere liceat; reliqua mihi saltem satis plana videntur: quæ si flammis undique urgeatur, involvatur, uti est VII, 74, mente tamen immota, nec *nefas*, damnum a flammis, conf. III, 284, nec aspectum taurorum igniferorum horrescit. *Visum* pro *aspectu*, pro rebus, quas videmus, sæpius Noster adhibet, v. c. infra, 549; VII, 121, etc.; non igitur erat, quod *visus* mutari nonnulli vellent in *ausus*.

454. *Quid, si* his omnibus *cæcus amor sævusque accesserit ignis*, vehemens amor, virgini hucusque incognitus?

455. Ad consilium hoc suum persequendum Veneris opem sibi implorandam rata (Virgilius etiam Junonem habet cum Venere agentem, Æn. IV, 89 sq.), *thalamos ejus, semperque recentia sertis*, floribusque, *tecta petit.* Deos nempe deasque singulas domos in Olympo habuisse, jam supra monuimus ad finem libri IV. Ovid. Met. I, 172, *deorum atria nobilium.* Veneris palatium Vulcani conjugis opus erat. Apollon. III, 36: μέγα δῶμα Κύπριδος, ὅ ῥά τε οἱ δεῖμεν πόσις ἀμφιγυήεις, Ὁππότε μιν ταπρῶτα παραὶ Διὸς ἦγεν ἄκοιτιν. Laudat post Pium Burmannus Claudianum etiam, Epithal. Honorii, v. 50 sq. qui, quanquam non domunculam Veneris in Olympo, sed antrum in insula Cypro describit, tamen ita vivis omnia coloribus pingit, ut ab exscribendo vix temperem.—Videsis ad calcem hujus libri not. 455. Ed.

456. Qua *jam dudum*, e longinquo, *visa, prosilit altis diva toris*, honoris causa obviam currit, *volucrumque exercitus omnis Amorum.* Præter Cupidinem illum, Veneris filium, multi alii ejusmodi pueruli alati in comitatu deæ erant, de quibus Claudianus, loco modo laudato, v. 71: *mille pharetrati ludunt in margine fratres Ore pares, similes habitu, gens mollis Amorum. Hos nymphæ pariunt, illum Venus aurea solum Edidit;* quæ tamen omnium Cupidinum mater nominatur infra, VII, 171; conf. *Manso Versuche,* S. 350.

Ac prior hanc placidis supplex Saturnia dictis
Aggreditur, veros metuens aperire timores:
« In manibus spes nostra tuis omnisque potestas
Nunc, ait; hoc etiam magis annue vera fatenti.
Durus ut Argolicis Tirynthius exsulat oris,
Mens mihi non eadem Jovis atque aversa voluntas,
Nullus honor thalamis, flammæve in nocte priores.
Da, precor, artificis blanda aspiramina formæ,
Ornatusque tuos, terra cœloque potentes. »
Sensit diva dolos, jam pridem sponte requirens
Colchida, et invisi genus omne exscindere Phœbi;
Tum vero optatis potitur. Nec passa precari

458. *Ac prior placidis.* Bonon. cod. *Atque prior placidis.* Edd. ante Carrion. — *Ac prior hanc blandis.* Carr. — 463. *Adversa voluntas.* Bonon. cod. et edd. *Aversa* emendavit Gronov. Obss. IV, 21. Ed.

458. *Ac prior Saturnia supplex et placidis verbis* (quibus non semper usa est) *aggreditur, veros metuens aperire timores*, curas, sollicitudines.

462. *Durus* (vox ambigua, quæ et in laudem, et in vituperium trahi potest, ad labores obduratus, vel pertinax) *ut*, ex quo, *Tirynthius*, Hercules, *Argolicis exsulat oris* (callide suam hujus exsilii culpam reticet), *mens mihi non eadem Jovis*, *nullus honor thalamis*, nec *flammæ in nocte priores*, me conjugem minus amat, frigidiores sunt amplexus. Ingenua profecto simplicitas! sed matronæ hujusmodi calamitates in sinum sibi invicem dicuntur effundere.

465. *Da, precor, artificis blanda aspiramina formæ*, artificiose elaboratum cingulum, quod cuique, qui gestat, amorem inspirat. Adumbrata omnia ex Homero, qui omnino conferendus, Il. XIV, 197-214. Est autem illi *artifex forma*, ἱμὰς ποικίλος· *blanda aspiramina*, θελκτήρια· *terra cœloque potentes*, δαμνᾷ ἀθανάτους, ἠδὲ θνητοὺς ἀνθρώπους.

467. *Sensit diva dolos, jam pridem sponte requirens*, cupiens, *genus omne exscindere Phœbi*, bene memor proterviæ, qua furtivos amores suos Vulcano prodiderat, risuique totius Olympi exposuerat; conf. Barthium ad Statii Theb. V, 59.

469. *Tum vero optatis potitur*, haud diu exspectatam occasionem arripuit; *dedit acre*, periculosum, *decus*, *fecundaque monstris*, malis fere incredibilibus, *cingula*, quorum vis egregie exponitur 1° negative, *quibus non pietas*, amor in parentes, *aut custodia famæ*, *aut pudor* (*Ehrgefühl*, *Bescheidenheit*); 2° positive, *at contra levis*, inconsiderata, *et festina cupido*, *affatusque mali*, insidiosi sermones, blanditiæ, *dulcisque labantibus error*, imaginata amo-

Ulterius, dedit acre decus fecundaque monstris
Cingula, non pietas quibus aut custodia famæ,
Non pudor, at contra levis et festina cupido,
Affatusque mali, dulcisque labantibus error,
Et metus, et demens alieni cura pericli.
« Omne, ait, imperium, natorumque arma meorum
Cuncta dedi; quascumque libet nunc concute mentes. »
Cingitur arcanis Saturnia læta venenis,
Atque hinc virgineæ venit ad penetralia sedis,
Chalciopen imitata sono formaque sororem.
Fulsit ab invita lumen procul, et pavor artus
Protinus, atque ingens Aeetida perculit horror.
« Ergo nec ignotis Minyas huc fluctibus, inquit,
Advenisse, soror, nec nostro sola parenti
Scis socias junxisse manus? At cætera muros
Turba tenet, fruiturque virum cælestibus armis;
Tu thalamis ignava sedes, tu sola paterna

470. *Dedit ecce decus.* Junt. Mascr. Ald. Engent. — 472. *Festiva cupido.* Bonon. cod. — 473. *Labantibus.* Sic Sabell. *Labentibus.* Contra metrum Bonon. cod. Bonon. I et II. Junt. Ald. — 474. *Alienaque cura.* Bonon. cod. Bonon. I et II, et edd. ante Carr. — 480. *Numen.* Vatic. Bonon. codd. et edd. ante Heins. — 486. *Ignara.* Carr. cod. et ed. II. Ed.

ris dulcedine ad peccandum facilis propensio, *et metus, et demens alieni cura pericli;* cura et sollicitudo de amati vel amatæ periculis, quod Medeæ accidit in Jasone. — De his vide ad calc. huj. libri, n. 471. Ed.

477. Hoc igitur cingulo (*arcana venena* appellat poeta) induta Juno læta pergit ad Medeam, *Chalciopen sororem et sono vocis et forma imitata:*

480. *Fulsit ab invita*, quanquam splendorem deæ dissimulare vellet, *lumen procul*, pavorque et horror ingens Medeam perculit.

482. *Ergo nescis, Argonautas huc ignotis fluctibus*, per maria nondum antea tentata, advenisse, fœdusque cum patre pepigisse?

484. *At cætera muros turba* matronarum et virginum *tenet*, quod facere solebant in præliis ad ipsa mœnia, uti notum ex Homero, Il. III, 150 sqq. et conf. Ovid. Metam. VIII, 19, 20.

485. *Fruiturque virorum cælestibus armis*, voluptatem capit ex egregiorum aspectu heroum. *Tales quando tibi cernere reges continget?*

Fixa domo? tales quando tibi cernere reges?»
Illa nihil contra; nec enim dea passa, manumque
Implicat, et rapidis mirantem passibus aufert.
Ducitur infelix ad mœnia summa, futuri
Nescia virgo mali, et falsæ commissa sorori;
Lilia per vernos lucent velut alba colores
Præcipue, quis vita brevis, totusque parumper
Floret honor, fuscis et jam Notus imminet alis.
Hanc residens altis Hecate Perseia lucis
Flebat, et has imo referebat pectore voces:
«Deseris, heu, nostrum nemus, æqualesque catervas.
Ah misera, ut Graias haud sponte vageris ad urbes!
Non injussa tamen; neque te, mea cura, relinquam.
Magna fugæ monumenta dabis, spernere nec usquam

500. *Nec unquam.* Bonon. cod. Ed.

488. *Illa nihil contra.* Juno enim, non exspectato responso, secum abripit in muros hanc tantam celeritatem admirantem.

490. *Ducitur ad mœnia summa, nescia mali futuri, et falsæ commissa sorori.* Commissa pendet ab *nescia*, more græco, pro inscia, se commissam esse; conf. Virgil. Æn. II, 377, *sensit delapsus in hostes.* Sic infra, VII, 145, *agnoscit raptata.*

492. *Lilia velut alba per vernos colores lucent præcipue*, præ aliis splendent vernis floribus, *quibus (liliis) vita brevis* (quod verbum bis etiam Horatius adhibet de *liliis*, Od. I, 36, 16; de *rosis*, ibid. II, 3, 13), *totusque parumper*, per exiguum tempus, *floret honor*, vigor atque pulchritudo durat, *et fuscis*, atras nubes cogentibus, *jam Notus imminet alis*, excutere minatur flores. *Fuscæ alæ* et alibi Noto tribuuntur: supra, I, 611, est *nocti concolor.* — Stat. Silv. III, 3, 128: *Qualia pallentes declinant lilia culmos, Pubentesque rosæ primos moriuntur ad Austros.* Ed.

495. Hanc Medeæ instantem sortem ipsa deplorat Hecate. *Deseris, heu, nostrum nemus, æqualesque catervas*, comites virgines ejusdem ætatis; conf. VII, 181.

498. *Ah misera, haud sponte, non injussa tamen*, abibis ad Græcas urbes; *neque te, mea cura*, quam tantopere amo, *relinquam*, deseram, semper tibi adero.

500. *Magna fugæ monumenta dabis*, miræ res fugam tuam *non spontaneam*, versu 498, celebrem reddent; *nec usquam spernoris mendaci captiva viro*, noli metuere ne, negligi te atque repudiari a conjuge perfido, passura sis; immo vero *magistram*, deam, dominam, *me sentiet, et raptu pudendo*, turpi, *fa-*

Mendaci captiva viro, meque ille magistram
Sentiet, et raptu famulæ doluisse pudendo ».
Dixerat, ast illæ murorum extrema capessunt,
Defixæque virum lituumque fragoribus horrent:
Quales instanti nimborum frigore mœstæ
Succedunt ramis, hærentque pavore volucres.
Jamque Getæ, jamque omnis Hiber, Drancæaque densa
Strage cadit legio, et latis prosternitur arvis.
Semineces duplicesque inter sua tela, suosque
Inter equos, sævam misero luctamine versant
Congeriem, et longis campos singultibus implent.
Victores contra patrium Pæana Geloni
Congeminant; eadem redeunt mox gaudia victis,
Qua deus et melior belli respexit imago.
Quis tales obitus dederit, quis talia facta,

509. *Seminecesque duces* ex Pii conj. Junt. et aliæ usque ad Burmann. — 510. *lustramine*. Junt. Maser. Ald. — 512. *Victores patrium contra.* Codd. et edd. ante Carr. Ed.

mulæ, sacerdotis, *me dolere*, lædi.

503. Medea comite, *murorum extrema*, turrim conscendit Juno, *defixæque*, oculis deorsum versis, *horrent*, *quales instanti nimborum frigore*, imminentem tempestatem præsentientes, *aves succedunt ramis, hærentque pavore*, pavidæ arborum frondes densas petunt.

507. Depugnantes invicem gentes nominantur: *Getæ*, *Hiberi*, *Drancæi*, *Geloni*.—*Semineces duplicesque* Burmannus explicat vulneribus incurvatos, uti apud Ovid. Met. VI, 293, *duplicata vulnere cæco est*, Virgil. Æn. XI, 645; XII, 927, ubi *duplicatus poples*, i. e. inflexus; sic Heynius. Possis etiam simplicius de coacervata ex utraque parte cæsorum strue intelligere, quod suadere videtur sequens *congeries*; sed illud doctius.

510. *Misero luctamine*, ut se in pedes iterum erigant, *versant sævum congeriem*.

512. Dubium diu prælium est et anceps, modo hi, modo illi victores sibi videntur. Hoc ita effertur: *Victores Geloni, patrium Pæana congeminant*, semel iterumque cantu læto victoriam celebrant, canunt ἐπινίκιον; *eadem redeunt mox gaudia victis*, *qua* (ubi) *deus et melior belli respexit*, iterum favere visa est, *imago*, aspectus. Hanc esse poetæ mentem, vix dubitandum; utinam dilucidius exprompsisset! Heinsius etiam offendit, et pro *imago* conji-

Dic age, tuque feri reminiscere, Musa, furoris.
Absyrtus clypei radiis curruque coruscus
Solis avi, cujus vibrantem cominus hastam
Cernere, nec galeam gentes potuere minantem,
Sed trepidæ redeunt, et verso vulnera tergo
Accipiunt, magnisque fugam clamoribus augent;
Proterit impulsu gravis agmina, corporaque atris
Sternit equis, gemitusque premit spirantis acervi.
Nec levior comitatur Aron, horrentia cujus

516. *Tuque veri*. Vatic. et Bonon. codd. *Tu veri*. Edd. ante Carr. — 523. *Spirantia cervi*. Vatic. Bonon. codd. Junt. Masor. *Spirantia cerni*. Bonon. I et II. Veram lectionem restituebat Pius. Ed.

cit *Enyo*, i. e. Bellona. Acute, uti plerumque, sed tum esset belli Bellona. Jam ad singularia procedit Valerius certamina, eaque tam gravia, ut Musam ad ea canenda in auxilium vocet. — *Geloni* sunt hoc loco, ut videtur, *Scythæ*. Ed.

517. *Absyrtus*, Æetæ filius, occasionem dedit hisce pugnis. *Curru Solis avi* sui *coruscus* incedebat, *cujus vibrantem*, (rectius *vibratam*, sed sic solet Noster; vid. II, 67, ubi *vibrat ensis*) *cominus hastam cernere, nec galeam gentes potuere minantem*, recte: nec aliter, VII, 577; galeas enim ferarum simulacris terribiliores facere solebant; non erat igitur, cur *micantem* legi mallet Heinsius.

520. *Sed terga vertunt, magnisque fugam clamoribus augent*, intendunt, faciunt, ut effusius omnes fugiant.

522. *Proterit impulsu*; proculcat vehementi impetu, *agmina, corporaque atris* pulvere (v. supra, 415.) *sternit equis, gemitusque premit spirantis acervi*, finem facit gemitibus exspirantium, qui diu mortem exoptaverant.

524. *Nec levior*, non mitior, æque terribilis, *comitatur Aron*; v. supra, V, 591; *cujus discolor chlamys*, paludamentum, *acu barbarica ardet*; figuris acu, pro more illius regionis, pictis splendet, coruscat, *super arma squalentesque ære*, fusco colore, *lacertos*; *tremefactaque*, inflata, fluitans, *vento*, *implet*, totum tegit, *equum* a tergo. *Qualis roseis it Lucifer alis*. Nescio, quid acciderit commentatoribus, ut de equo Luciferi hic cogitarent omnes, variisque conjecturis non illustrarent locum, sed obscurarent. Tota comparatio non ad proxime præcedentem equum, cujus non nisi obiter fit mentio, sed ad ipsum spectat Aronem. Hic chlamyde aurata haud secus incedit, ac *alis roseis*, Auroræ quippe anteambulo (v. omnino *Voss. mythol. Briefe*, II, 9), *Lucifer, quem Venus illustri gaudet producere cælo*: quod expressum e Virg. Æn. VIII, 590, *Quem Venus ante alios astrorum diligit ignes*. Apud Claudian. de ra-

Discolor arma super squalentesque ære lacertos
Barbarica chlamys ardet acu, tremefactaque vento
Implet equum; qualis roseis it Lucifer alis,
Quem Venus illustri gaudet producere cælo.
At non inde procul Rhamelus et acer Otaxes
Dispulerant Colchos pariterque inglorius Armes.
Fraude nova stabula et furtis assuetus inultis
Depopulare greges, frontem quum cornibus auxit
Hispidus, inque dei latuit terrore Lycæi.
Hac tunc attonitos facie defixerat hostes.
Quem simul ignota formidine bella moventem
Vidit Aron: « Pavidos te, inquit, nunc rere magistros
Et stolidum petiisse pecus; non pascua, nec seps
Hic tibi: nocturnis mitte hæc simulacra rapinis,

526. *Arcet.* Codd. et edd. præter Engent. *Tumefacta.* Aliqui apud Pium. — 527. *Qualem roseis ut.* Vatic. cod. *Roseis cit* legit Pius. *Qualem r. it.* Bonon. cod. Bonon. I. *Qualis r. et.* Ald. — 529. *Rambelus.* Vatic. Bonon. codd. Bonon. I et II. *Rhambelus.* Heins. Vid. Burm. not. — 530. *Armis.* Vatic. Bonon. codd. Bonon. I et II. Junt. Maser. Engent. *Arnes.* Ald. — 533. *Hipsidus.* Junt. Maser. Engent. — 535. *Agnota.* Vatic. Bonon. codd. Bonon. I et II. *Ac nota.* Burmann. ex conj. — 537. *Non pascua nexos.* Vatic. Bonon. codd. Bonon. I. *N. p. nec bos.* Bonon. II. Junt. Maser. Ald. Carr. I. *Nec spes.* Carr. II. *Nec seps.* Salmas. ad Spartian. — 538. *Nocturnus.* Junt. Maser. Ald. *Simulacra Panis.* Vatic. cod. *Simulacraque Panis.* Bonon. cod. Bonon. I. Junt. Maser. Ald. *Panos.* Bonon. II. En.

ptu Proserp. 121, Venus eumdem nominat *suum*; adde Sil. Ital. VII, 639: *Oceani renovatus Lucifer unda Laudatur Veneri.*

529. *At non inde procul inglorius Armes*, non bello strenuus, sed *fraude nova*, commento singulari, *stabula et greges furtis inultis*, impune adhuc, *depopulare* solitus; *frontem* enim *cornibus auxit*, capiti præfixit, ut procerior videretur, *hispidus*, horridus, passis capillis, *inque dei latuit terrore Lycæi* (a monte Arcadiæ Lycæo, non Lyceo), Panis personam induit, ut Panicum, quem vocant, obviis terrorem incuteret.

534. Hac igitur facie hostes aliquandiu deceptos quum tenuisset, *ignotaque formidine*, terriculamento insolito, in prælium procederet, *Aron*, *pavidos*, inquit, *nunc* putas *magistros* pecudum, pastores, *et stolidum petiisse pecus; non pascua, nec seps hic tibi; nocturnis mitte*, permitte, serva, *hæc simulacra rapinis; deus quoque* (εἰρωνικῶς) *consere dextram*, nec deum ego timeo.

Neve deum mihi finge, deus quoque consere dextram ».
Sic ait, intentaque adjutum missile planta
Dirigit, et lapsis patuerunt vulnera villis.
Nec minus Æolii proles Æetia Phryxi
Fertur et ipsa furens, ac se modo læta Cytæis
Agminibus, modo cognatis ostentat Achivis.
Atque hos in medio duri discrimine belli,
Laudibus inque ipsis gaudens ubi vidit Iason:
« Macte, ait, o nostrum genus, et jam certa propago
Æoliæ, nec opina, domus; sat magna laborum
Dona fero, satis hoc visu quæcumque rependo ».
Dixit, et in Sueten magnique in fata Ceramni
Emicuit, clypeumque rotans, hunc poplite cæso
Dejicit, illum aperit lato per pectus hiatu

539. *Dextra.* Vatic. et Burm. codd. Junt. Ald. — 541. *Et lapsis.* Vatic. Bonon. et Carr. codd. Bonon. I et II. Hanc lection. jam vindicaverat Pius, probant Voss. et Heins. et reposuit cl. Harles. Ed.

540. Tum vero *intenta planta*, in digitos pedum paullulum erectus, *adjutum missile*, hastæ majorem vim roburque majus addidit, *et lapsis villis*, quibus se involverat pellibus, *patuerunt* magna, lata, *vulnera*.

542. Nec minus fortiter res suas agit *Phryxi Æetia proles*, nepos ex filia Chalciope, Argus, vid. supra, V, 461; *ac se modo lætus*, de quo lætarentur, *Cytæis*, Colchis, *modo Achivis*, Argonautis, *ostentat.*

545. *Atque hos* (cur hoc, quum de uno sit sermo? Sed respicitur et ad alterum Phryxi filium, Melan, qui jam antea non sine laude pugnaverat; vid. supra, 196), utrumque igitur, *gaudens videt Jason laudibus in ipsis*, in ipso actu rerum, quas agerent præclare.

547. *Macte, ait, o nostrum genus, et jam certa, nec opina*, non tantum credita, sed jam explorata, *Æoliæ domus propago*, gratulor et vobis et mihi, tam fortes habenti cognatos.

548. *Sat magna laborum dona*, præmia, *fero, satis hoc visu quæcunque rependo*, quæ pertuli mala, facile hoc tali gaudio pensantur.

550. His dictis *emicat Argus in Sueten* (*Schrader* in Observatt. pag. 79, mavult *Seuthen*, quod nomen quibusdam Thraciæ regibus fuisse constat. Vid. *Cary, Hist. des Rois de Thrace, Paris*, 1752, IV, p. 8, 10, 27, 47), *magnique in fata*, ad mortem inferendam, *Ceramni; hunc poplite cæso*, succiso, *dejicit*, sternit ad terram. Nec his contentus *Argus utrumque, et Zacorum et Phalcen ab equis ingenti arvo porrigit* (τανυσθεὶς, Homer. Il. XVI, 485; ἐκτάθη κεί-

Argus: utrumque ab equis ingenti porrigit arvo
Et Zacorum et Phalcen; peditem pedes haurit Amastrum.
Sanguinis ille globos, effusaque viscera gestat
Barbarus, et cassa frendens sublabitur ira.
Dat Calais Barisanta neci, semperque propinquas
Rhipea venali comitantem sanguine pugnas.
Centum lecta boum bellator corpora, centum
Pactus equos; his ille animam lucemque rependit
Crudelis; tandem dulces jam cassus in auras
Respicit, ac nulla cælum reparabile gaza.
Labitur intortos per tempora cærula crines
Tunc quoque materna velatus arundine Peucron.
At genitrix imis pariter Mæotis ab antris
Inplevit plangore lacus, natumque vocavit,

553. *Porrigit auro*. Vatic. Bonon. codd. Bonon. I et II. *Ictu*. Carr. — 556. *Ridens*. Vatic. Bonon. codd. Bonon. I et II. *Frendens* aut *stridens*. Pius. — 559. *Læta*. Bonon. cod. et edd. ante Heins. *Læta hominum*. Carr. — 564. *Peucon*. Codd. et edd. ante Carr. II. Ed.

μενος, Alciphron, III, 22, et alibi), ut magnum campi spatium occuparent, *peditem pedes haurit*, confodit, *Amastrum*.

555. *Sanguinis ille globos* (v. 573, *ingentem sanguinis undam*), *effusaque viscera gestat*, trahit, vel manu reprimere intra ventrem voluit (sic Homer. Il. XX, 418: προτί οἱ δ' ἔλαβ' ἔντερα χερσὶ λιασθείς), *et cassa*, irrita, *ira frendens sublabitur*, humi procidit.

557. *Calais* interficit *Rhipea*, qui non nisi mercenarius, et præmio accepto, in præliorum communionem veniebat.

559. *Centum* nempe *lecta boum corpora*, egregios, magnos pinguesque boves, *bellator* (nescio, quid acciderit Burmanno, qui in *bellatore*, vel in *his ille* aliud nomen proprium latere autumat. Omnia referenda ad unum Rhipea, vitam pro equis vendentem. Mihi vero *crudelis*, et omnino versus 561 et 562 frigidiusculi videntur) *pactus* erat, *centumque equos*.

560. *His ille animam lucemque rependit*, vitam æquiparat, *crudelis* in se ipsum.

561. *Cassus*, melius *fessus*.

563. *Labitur* et *Peucron*, *crines per tempora cærula*, erat enim nymphæ marinæ filius, *intortos*, crispos, fortasse tamen, *intonsos*.

565. Mater *Mæotis* obitum ejus deplorat, *natumque* desiderans *vocat*, *jam non per ripas*, *per curva stagna*, paludis Mæotidos anfractus, *volantem*, *nec in medio truncantem marmore*, glacie constricta palude, *cervos*.

Jam non per ripas, jam non per curva volantem
Stagna, nec in medio truncantem marmore cervos.
Eurytus Exomatas agit æquore. Nestoris hastæ
Immoritur primævus Helix (nec reddita caro
Nutrimenta patri) brevibus præreptus in annis.
At Latagum Zatenque Daraps; illum exigit hasta,
Hunc fugat, ingentem subiti quum sanguinis undam
Vidit, et extremo lucentia pectora ferro.
Ecce autem muris residens Medea paternis,
Singula dum magni lustrat certamina belli,
Atque hos ipsa procul densa in caligine reges
Agnoscit, quæritque alios Junone magistra,
Conspicit Æsonium longe caput, ac simul acres
Huc oculos sensusque refert animumque faventem;
Nunc, quo se raperet, nunc, quo diversus abiret,

571. *Brevibus ereptus.* Vatic. cod. *Primis ereptus.* Bonon. cod. Bonon. I et II, et edd. ante Carr. — 572. *Ablatacum.* Vatic. cod. et edd. ante Carr. Ed.

569. *Eurytus* Argonauta *Exomatas agit æquore* campi. *Nestoris hastæ immoritur* (i. q. supra, 244, *mediam moriens descendit in hastam*) *Helix primævus*, in flore juventutis constitutus, *nec reddita cara nutrimenta patri*, qui fructus educationis sollicitæ videt perire.

572. *At*, ne tamen sine aliqua clade discederent Colchi, *Latagum Zatenque Daraps* aggreditur. Hoc nomen vix sanum esse crediderim eam ob causam, quod supra, 66, Daraps, ob vulnus in prælio adversus Persas acceptum, huic bello non interfuisse, sed Dathin ducem suum misisse dicitur. Quid si igitur hunc Dathin et hic reponas? Daraps itaque vel Dathis *illum*, Latagum, *exigit hasta* (supra, IV, 390, similis est locus, ubi tamen casus quartus: *exigit harpen*. Utrumque exquisite pro *trajecit*, interfecit), *hunc* Zaten, *fugat*. Hoc ita intelligendum: Zates, non exspectato Darapis impetu, fugit, quum Latagi in pectore videret hastam prominere, multumque eum sanguinis profundere, *sanguinis undam*.

575. Antequam Jasonem ipsum in pugnam producat, quid Medea interea secum egerit, enarrat poeta. Singula dum prælia lustrat, et partim ipsa *densa in caligine*, nubibus denso pulvere coactis, duces agnoscit, partim *a Junone magistra* nomina illorum cupit edoceri, *conspicit Æsonium caput*, Jasonem præ aliis eminentem, et conspicit *longe*, eminus; amor enim acuit oculos, totaque in eo occupata est, *huc simul acres oculos sensusque animumque faventem refert*.

581. *Nunc quo se raperet*, in quos

Ante videns; quotque unus equos, quot funderet arma,
Orantesque viros quam densis sterneret hastis:
Quaque iterum tacito sparsit vaga lumina vultu,
Aut fratris quærens, aut pacti conjugis arma,
Sævus ibi miseræ solusque occurrit Iason.
Tunc his germanam aggreditur, ceu nescia, dictis:
« Quis, precor, hic, toto jam dudum fervere campo
Quem tueor, quemque ipsa vides? nam te quoque tali
Attonitam virtute reor ». Contra aspera Juno
Reddit agens stimulis, ac diris fraudibus urget:
« Ipsum, ait, Æsoniden cernis, soror, æquore tanto

582. *Fuderat arma.* Vatic. Bonon: codd. Bonon. I et II. Junt. Maser. Eugent. — 583. *Errantesque viros.* Sabell. *Palantes.* Ald. *Sisteret hastis.* Vatic. cod. *Sisteret armis.* Bonon. cod. Bonon. I et II, et edd. ante Carr. Ed.

impetum facturus, *nunc quo diversus abiret*, alio loco manus conserturus esset, *ante videns*, conjiciens, suspicans, *quot equos unus, quot arma funderet*, lanceas hostium frangeret, *quam densis*, crebro repetitis, *hastis viros sterneret orantes;* eo adigit, ut de vita supplicentur.

584. *Quoque iterum tacito sparsit vago lumina vultu*, si quando oculos alio circomtulit, sed *tacito*, non ita cupido, fugitivo *vultu*, animi affectu vultu expresso, *aut fratris* Absyrti *quærens, aut pacti conjugis*, sponsi Stiri, *arma*, res ab utroque fortiter gestas, *sævus ibi miseræ solusque occurrit Iason.* Junxerim *sævum miseræ*, hoc sensu: solum spectat eum, qui tamen mox ipsi tot curarum atque periculorum causa futurus sit.—Præpropere, ut nobis videtur, Wagnerus de Jasonis sævitia nunc cogitat: *sævus*, hoc loco, idem est quod *terribilis*. Ed.

587. *Tunc his germanam*, simulatam a Junone, *aggreditur dictis, ceu nescia*, quasi non nosset Jasonem, optime autem noverat.

590. *Contra Juno aspera*, crudelis satis, quæ animum virginis perturbatum magis instigaret, ac *diris fraudibus urgeret*, hæc verba *reddit*, respondet ita, ut Jasonis laudes callide augeat.

592. *Ipsum Æsoniden cernis*, laudandum eum 1° ob susceptum tanti periculi iter; *æquore tanto*, per tot maria, *debita* cognationis jure *vellera Phryxi* repetit; 2° ob nobilitatem generis: *nec nunc laude prior generis, nec sanguinis usquam* (si qua generis et sanguinis differentia quærenda sit, quod tamen non adeo necessarium esse videtur, accederem Harlesio, qui ita: nemo inter pugnantes majore laude generis ortusque nobilitatus et celeber est, nemo arctiori necessitudinis vinculo nobis junctus); 3° ob pulchritudinem; *Minyas inter proceresque*

Debita cognati repetit qui vellera Phryxi;
Nec nunc laude prior generis, nec sanguinis usquam.
Aspicis, ut Minyas inter proceresque Cytæos
Emicet effulgens, quantisque insultet acervis;
Et jam vela dabit, jam litora nostra relinquet,
Thessaliæ felicis opes, dilectaque Phryxo
Rura petens; eat atque utinam, superetque labores!
Tantum effata, magis campis intendere suadet,
Dum datur, ardentesque viri percurrere pugnas.
 At simul hanc dictis, illum dea marte secundo
Impulit, atque novas egit sub pectora vires.
Ora sub excelso jam dudum vertice coni
Sæva micant; cursuque ardescit, nec tibi, Perse,
Nec tibi, virgo, jubæ lætabile sidus Achivæ;
Acer ut autumni canis, iratoque vocati
Ab Jove fatales ad regna injusta cometæ.
Nec sua Crethiden latuit dea, vimque recentem

594. *Laude precor.* Vatic. Bonon. codd. Bonon. I et II. Junt. Ald. *Nec sanguine quisquam.* Vatic. Bonon. codd. et edd. ante Carrionem. — 596. *Fminet.* Bonon. cod. — 603. *Intulit.* Vatican. et Bonon. codices. Bonon. I et II. Junt. Maser. *Impulit.* Jam Sabell. Ed.

Cytæos, Colchos, *emicat effulgens*; 4° ob fortitudinem: *quantis insultat acervis!* quot hostium per strages victor incedit!

597. Tandem incendit eo, quod talis viri usum dicat brevem futurum esse: mox *jam vela dabit, Thessaliæ opes*, Thessaliam opulentam, repetiturus. Quod ut bonis avibus faciat, optes mecum. Fruere igitur ejus adspectu, dum licet.

602. At vero, uti Medeam *Juno* dictis, ita Jasonem *marte secundo*, felici certaminum, quæ hucusque inierat, eventu, *impulit, atque novas egit sub pectora vires.*

604. *Ora sæva*, dirus vultus, *sub excelso jam dudum vertice coni*, sub galea, *micuerat; cursuque ardescit*, acrius intendit cursum, *nec tibi, Perse, nec tibi, virgo, jubæ Achivæ*, cristæ in galea, *lætabile sidus*, tristia potius portendens.

607. *Acer ut autumni canis*, Sirius, et *cometæ ab Jove irato vocati ad regna injusta* punienda, *fatales*, tyrannis perniciem minitantes. Eadem comparatio est supra, V, 369.

609. *Nec sua Crethiden*, Jasonem (vid. Tab. genealog.), *latuit dea*, sensit eam sibi adesse, favere, *ac se super agmina tollit*, tantum emi-

Sentit agi membris, ac se super agmina tollit,
Quantus ubi ipse gelu magnoque incanuit imbre
Caucasus, et summas abiit hibernus in Arctos.
Tunc vero, stabulis qualis leo sævit opimis
Luxurians, spargitque famem, mutatque cruores;
Sic neque parte ferox, nec cæde moratur in una
Turbidus, inque omnes pariter furit, ac modo sævo
Ense, modo infesta rarescunt cuspide pugnæ.
Tunc et terrificis undantem crinibus Hebrum,
Et Geticum Priona ferit; caput eripit Auchi
Brachiaque, et vastis volvendum mittit arenis.
At genitus Jove complerat sua fata Colaxes;
Jamque pater mœsto contristat sidera vultu,
Talibus ægra movens nequidquam pectora curis:

618. *Undantem crinibus.* Vatic. Bonon. codd. nec aliter el. Harles. *Undantem cornibus.* Edd. ante Carr. Ed.

net, *quantus ubi ipse gelu magnoque incanuit imbre*, pruina, quod suadet τὸ incanuit, *Caucasus, et summas abiit hibernus in Arctos*, nivium mole ad sidera usque procrevit.

613. Luxuriat poeta comparationum frequentia (tres enim intra decem versiculos occurrunt) et coloribus. *Tunc vero, stabulis qualis leo* (conf. in primis Virgil. Æn. IX, 339 sq.) *sævit opimis*, in quibus multæ pecudes, *luxurians, spargitque famem*, dividit, non in uno explet, *mutatque cruores*, cædes, ita ut mox hoc, mox illud animal invadat. Sic *mutat hostem*, Sil. Ital. V, 286. Exquisitius et insolentius dicta, quæ tamen quodammodo illustrantur versu sequenti, ubi *non in una parte* ad *spargit*, *non in una cæde* ad *mutat cruores* referre voluisse Poeta videtur.

616. *Modo sævo ense, modo infesta rarescunt cuspide pugnæ*, gladio hastaque hostium sensim numerum sibi minuit.

618. *Undantem crinibus* est vel de densis crinibus, cæsarie, intelligendum, ut *undans* idem sit, quod abundans, uti I, 539, et III, 117; vel, quod verius, de cincinnis leviter circa cervicem fluitantibus.

620. *Vastis volvendum mittit arenis*, amplo et arenoso campo ubi se volutet. — Conf. Virg. Æn. X, 555: *truncumque tepentem Provolvens.* Ed.

621. Jam vero in graviorem incidit adversarium Jason, ipsius Jovis filium *Colaxen*, qui *jam sua fata complerat*, terminum vitæ a Parcis (vide v. 644) constitutum attigerat, quem terminum ne Jupiter quidem ipse poterat proferre.

« Hei mihi, si duræ natum subducere sorti
Moliar, atque meis ausim confidere regnis!
Frater adhuc Amyci mœret nece, cunctaque divum
Turba fremunt, quorum nati cecidere cadentque.
Quin habeat sua quemque dies, cunctisque negabo,
Quæ mihi ». Supremos misero sic fatus honores
Congerit, atque animis moriturum ingentibus implet.
Ille volat campis, immensaque funera miscet
Per cuneos. Velut hiberno proruptus ab arcu
Imber agens scopulos, nemorumque operumque ruinas,
Donec ab ingenti bacchatus vertice montis
Frangitur, inque novum paullatim deficit amnem;
Talis in extremo proles Jovis emicat ævo,
Et nunc magnanimos Hypetaona Gesithoumque,
Nunc Arinen Olbumque necat; jam saucius Apren,

625. *Molior.* Vatic. Bonon. codd. et edd. præter Eugent. — 633. *Iber agens.* Bonon. I et II. Junt. Ald. — 638. *Notat.* Vatic. Bonon. codd. et edd. ante Carr. *Rotat.* Sabell. En.

624. *Hei mihi!* sic secum Jupiter, quot mihi audiendæ essent a diis reliquis querelæ, si filium meum morti vellem subducere, summamque meam in eo potentiam declarare!

626. *Frater* Neptunus *adhuc Amyci* filii *mœret nece, cunctaque divum turba fremunt*, tumultuantur, et mecum altercantur.

628. *Quin habeat sua quemque dies* mortis. Sic, V, 12, *dies suus admonet omnes.*

629. *Sic fatus, supremos misero honores congerit*, hoc concedit, ut non nisi rebus fortissime gestis occumbat, vel, uti Valerius ipse addit, *animis moriturum ingentibus implet.*

631. *Ille volat campis, velut hiberno ab arcu imber,* postquam in cælo Iris apparuit (*imbrifer arcus*, Tibull. I, 4, 44), *proruptus*, prorumpens (*proruptam audaciam* habet ipse Cicero pro Rosc. Amer. c. XXIV; *proruptum mare*, Virgil. Æn. I, 246; *proruptum pelagus*, Sil. III, 51; *proruptum Vesevum* Noster, IV, 507), *agens scopulos*, saxa, *nemorumque operumque ruinas*, arbores excisas, magnorum ædificiorum rudera, trabes, etc.

634. *Donec ab ingenti bacchatus* (*venti* in primis poetis sæpe *bacchantur*) *vertice montis frangitur*, vim sensim amittit, *inque novum paullatim deficit amnem*, ità languescit, ut in tenuem fluvium abeat.

636. *Talis* igitur *extremo ævo*, ante obitum, *proles Jovis emicat*;

Et desertus equo Tydrum pedes excipit hasta
Phasiaden, pecoris custos de more paterni
Caucasus ad primas genuit quem Phasidis undas;
Hinc puero cognomen erat, famulumque ferebant
Phasidis intonso nequidquam erine parentes.
Jamque aliis instabat atrox, quum diva supremas
Rumpit iniqua colus, victorque advenit Iason.
Excipit hunc sæva sic fatus voce Colaxes:
« Vos Scythiæ saturare canes, Scythiæque volucres
Huc miseri venistis? » ait, saxumque prehensum,
Illius et dextræ gestamen et illius ævi,
Concussa molitur humo, quod regia Juno

nec *saucius*, et *equo amisso* remittit a pugnando; *pedes excipit hasta Tydrum Phasiadem*, filium Caucasi, ad Phasidem fluvium natum, unde *cognomen* traxit.

642. *Ferebant*, auferebant cadaver *parentes*, *famulum*, sacerdotem, *Phasidis intonso nequidquam erine*, alere eoim capillos solebant sacerdotio destinati. — Non verisimile est Tydri parentes adfuisse prælio; *parentes* eum *Phasidis famulum ferebant*, i. e. gloriabaotur quod suus filius Phasidi esset consecratus. Ed.

644. *Jamque aliis instabat ntrox* Colaxes, *quum diva iniqua*, sæva Parca, *supremas rumpit colus*, filum abscindit, victorque advenit Jason.

646. *Excipit hunc sæva voce Colaxes: Vos miseri, hue venistis saturare*, ad saturandos, *Scythiæ canes*, *Scythiæque volueres*. His minis oihil tritius. Vid. supra hoc ipso libro, v. 313. Scythia haud inepte bis posita; idem enim verbum repetere ira aliove affectu commoti solemus.

648. *Saxumque prehensum*, *illius et dextræ gestamen et illius ævi*. Perplacet, ob brevitatem io primis: saxum, quod nonnisi talis vir heroicæ illius ætatis loco movere et tollere potuisset. Adumbratom ex Homero, Il. V, 304, ubi Diomedes χερμάδιον λάβε χειρὶ... μέγα ἔργον, ὃ οὐ δύο γ' ἄνδρε φέροιεν, Οἷοι νῦν βροτοί εἰσιν. Conf. eumdem Homerum, Il. XII, 445, et ex eo Virgil. Æo. XII, 896, et qui enerves suæ ætatis homiues pingit, Juvenalem, Sat. XV, 65: *nou hunc lapidem, quales et Turnus et Ajax, Vel quo Tydides percussit poudere coxam Æneæ; sed quem valeant emittere dextræ Illis dissimiles, et nostro tempore natæ*; conf. deniqoe Ovid. Met. III, 60.

650. *Concussa molitur* boc saxum *humo*, viribus intentis e terra eruit, nec tameo ferit, qoem vult; illud enim *regia Juno flexit ad ignotum Monesi*, unius ex multis, *infletumque*, quem nemo desideraret, *caput*; ἀνοιμωκτὸν ἄνδρα, Æschylus, Choeph. 428. — Sic Virg. Æn. XI, 372: *Nos, animæ viles, inhumata infletaque turba*. Ed.

Flexit ad ignotum caput infletumque Monesi.
Præceps ille ruit: nato non depulit ictus
Jupiter; Æsoniæ vulnus fatale sed hastæ
Per clypeum, per pectus abit; lapsoque cruentus
Advolat Æsonides, mortemque cadentis acerbat.
Spargitur hinc, miserisque venit jam notus Alanis.
At regina virum (neque enim deus amovet ignem)
Persequitur lustrans, oculisque ardentibus hæret;
Et jam, læta minus præsentis imagine pugnæ,
Castigatque metus, et, quas alit inscia, curas,
Respiciens, an vera soror; nec credere falsos
Audet atrox vultus, eademque in gaudia rursus
Labitur, et sævæ trahitur dulcedine flammæ.
Ac velut ante comas ac summa cacumina silvæ

651. *Flexit in admoti caput, in fatumque M.* Carr. cod. edit. II et Heins. — 655. *Acervat.* Solenni *b* et *v* permutatione, Vatic. Bonon. codd. Bonon. I. Junt. Maser. text. Ald. — 657. *Ignes.* Bonon. I et II, et edd. ante Carr. — 663. *Sæva.* Vatican. cod. Ed.

652. *Præceps ille*, Colaxes, *ruit*; *Æsoniæ vulnus fatale*, letale, *hastæ per clypeum, per pectus abit.*

655. Advolat Jason, *mortemque cadentis acerbat*, acerbiorem facit insultando, sarcasmis. Exemplum aliud vide supra, IV, 314.

656. *Spargitur hinc*, ad alios properans, *miserisque venit jam notus*, testes enim fuerant rerum modo fortiter gestarum, *Alanis*.

657. *At regina*, Medea, *neque enim deus*, Cupido, *amovet ignem* (*facem*, v. 673), *virum persequitur* oculis ardentibus; *et jam læta imagine pugnæ minus præsentis*, animum colligit, quod remotius videt prælium, *castigatque metus, et quas alit inscia curas*, ipsa se reprehendit, quod tam sollicita sit de viro peregrino; ipsa se celare amorem vult, quem sentit reapse, oriturque levis adeo suspicio de comite sua, *respiciens, an vera soror, nec credere falsos audet atrox vultus*; non diu alit suspicionem, qua tamen injuriam fortasse facere possit sorori, *eademque in gaudia labitur*, vultum denuo explicat, *et sævæ trahitur dulcedine flammæ*, pernicioso, quo tamen jucunde afficitur, amore abripi se patitur, qui a parvo initio sensim ad incredibilem vehementiam progreditur. Hoc illustratur comparatione a ventis desumpta.

664. *Ac velut ante comas*, extrema singularum arborum folia, *ac summa cacumina silvæ*, totius silvæ extremitates, *lenibus alludit flabris levis Auster* (mollia omnia et apte

Lenibus alludit flabris levis Auster, at illum
Protinus immanem miseræ sensere carinæ;
Talis ad extremos agitur Medea furores.
Interdum blandæ derepta monilia divæ
Contrectat, miseroque aptat flagrantia collo;
Quaque dedit teneros aurum furiale per artus,
Deficit, ac sua virgo deæ gestamina reddit,
Non gemmis, non illa levi turbata metallo,
Sed facibus, sed mole dei, quem pectore toto
Jam tenet; extremus roseo pudor errat in ore.
Ac prior his: « Credisne patrem promissa daturum,
O soror, Argolicus cui dis melioribus hospes
Contigit? aut belli quantum jam restat acerbi?

666. *Sensere* deest in Vatic. cod. *Curvæ miseræque carinæ*. Bonon. cod. Bonon. I. *Curvæ sensere carinæ*. Aliæ usque ad Carr. — 677. *At belli*. Ald. cum Pio. En.

delecta verba ad tenues ventorum flatus exprimendos, in primis *alludit*, quasi *jocatur*. Eamdem imagunculam invenies apud Senecam, Thyest. 156: *ac tremens alludit patulis arbor hiatibus*).

666. *Protinus immanem miseræ sensere carinæ*, mox infesta et immensa ventorum vis ita augetur, ut naves mergat.

667. *Talis ad extremos agitur Medea furores*, eo amentiæ progreditur, ut extra se posita, quid agat, nesciat.

668. *Interdum blandæ derepta monilia* (cingulum, cestum Veneris, qui non semper pectus cingebat, sed baltei etiam ad instar ab humeris versus femina descendebat. *Jacobs*, Animadv. ad Anthol. vol. II, part. 3, p. 309) *divæ contrectat*, udendo tangit primum, *miseroque* deinde *aptat flagrantia collo*.

670. *Quaque*, ubicumque, *dedit teneros aurum furiale*, nocivum, *per artus*, *deficit*, extra se ponitur.

672. *Turbata*, animo emota, *non gemmis*, *non levi metallo*, *sed facibus*, *sed mole*, ponderosis flammis, sagittis ardentibus; *dei*, Cupidinis, *quem toto pectore jam tenet*.

674. *Extremus roseo pudor errat in ore*, qui genarum antea decor fuerat perpetuus, jam inconstans vagatur, leviter tingit malas, mox omnis evanescet. Elegans profecto pictura!

675. Jam amorem non intus et in pectore continet, sed communicat cum simulata sorore sollicitudinem, an fidem servaturus sit pater Jasoni, cui tantum debeat: *diis melioribus*, impense faventibus, *Græcus hospes contigit* patri, et quam exiguæ supersunt belli reliquiæ! *quantis sese*, et quidem *pro ignota*

Heu quibus ignota sese pro gente periclis
Objicit! » Hæc fantem medio in sermone reliquit
Incepti jam Juno potens, securaque fraudis.
Imminet e celsis audentius improba muris
Virgo, nec ablatam sequitur quæritve sororem.
At quoties vis dira ducum, densique repente
Æsoniden pressere viri, quumque omnis in unum
Imber iit, toties saxis pulsatur et hastis.
Primaque ad infesti Lexanoris horruit arcus,
Alta sed Æsonium supra caput exit arundo;
Teque, Caice, petit: conjux miseranda Caico
Linquitur, et primo domus imperfecta cubili.
Regius Eois Myraces interpres ab oris

681. *Et celsis.* Bonon. cod. Bonon. I et II. *Excelsis.* Sabell. *At celsis.* Junt. Maser. Engent. *Ut celsis.* Ald. *Audientibus.* Vatic. cod. *Audentibus.* Bonon. cod. Bonon. I et II. *Audentior.* Ald. — 683. *Ah quoties.* Edd. ante Carr. *Vis dura.* Vatic. et Bonon. codd. — 685. *Iber iit.* Bonon. I. Junt. Ald. Ed.

gente non tam exponit, quam sponte *objicit periculis!*

679. Hæc ita loquentem *medio in sermone relinquit Juno jam incepti potens fraudisque secura*, voti compos, et de dolosi consilii successu certa; conf. *promissi potens*, Virgil. Æn. VII, 541; *jussi potens*, Ovid. Metam. IV, 509.

681. *Imminet* prono corpore conspicua *a celsis muris audentius*, impudentius, *improba*, ardens, nihil aliud cogitans *virgo, nec ablatam sequitur* in urbem *sororem*, *nec quærit*, ne desiderat quidem.

683. *At quoties* viris armisque premi Jasonem videt suum, *quumque omnis in unum imber iit*, saxorum et hastarum, *toties saxis pulsatur et hastis*, ipsa sibi vulnerari videtur.

686. *Prima* (adverbial. pro *primum*, uti I, 1, et sequenti versu *alta* pro altius) *horruit ad Lexanoris* sagittam, quæ tamen non feriit, sed altius Jasonis caput transvolans *Caicum* percussit, qui nuptias nuper celebraverat, quod ad miserationis affectum accommodate ita effert poeta: *conjux miseranda Caico linquitur, et primo domus imperfecta cubili.* Est ex Homero, Il. II, 701: δόμος ἡμιτελής (Protesilai); ἡμιτελὴς θάλαμος, Anthol. Græca, *Jacobs*, vol. II, p. 172. *Frustra inceptam domum* appellat Catullus, Epigr. LXVIII, 75, ubi vide cl. *Doering*; *Sterilem domum*, Propert. IV, 11, 62. Conf. *Ruperti* ad Tacit. Ann. I, 3, 2.

690. *Myraces*, legatus regis Parthorum, *Eois ab oris*, ex Oriente venerat, ut donis oblatis *fœdera non*

Venerat, ut Colchos procul atque Æetia Parthis
Fœdera donato non irrita jungeret auro.
Tum juvenem terris Parcæ tenuere Cytæis,
Ac subiti Mavortis amor: simul armiger ibat
Semivir, impubemque gerens sterilemque juventam.
Ipse, pharetratis residens ad frena tapetis,
Nunc levis infesto procurrit in agmina curru,
Nunc fuga conversas spargit mentita sagittas.
At viridem gemmis et Eoæ stamine silvæ
Subligat extrema patrium cervice tiaram,
Insignis manicis, insignis acinace dextro;
Improba barbaricæ procurrunt tegmina plantæ.

700. *Patriam*. Carr. — 701. *Dextra*. Bonon. II. Maser. Ed.

irrita, firma atque certa, cum Colchis et rege Æeta *jungeret*. Huic fato destinatum erat, ut *procul* e remota patria hoc ipso tempore in Colchida veniret, ac pugnæ temere se immisceret; *simul armiger ibat semivir* (contemptim, conf. VIII, 347), spado, eunuchus.

696. *Ipse*, Myraces, *pharetratis residens ad frena tapetis*, currum regens, cujus sedes pretiosis stragulis vestita multisque sagittis circumdata erat (melius fortasse *pharetratus*), *nunc levis*, celeriter, *infesto curru*, adoriens *procurrit in agmina*, *nunc fuga mentita*, simulata, *conversus* retro *spargit sagittas*, more Parthorum. Fuga ipsa satis audacter sagittas spargens inducitur.

699. *At viridem gemmis*, smaragdis in primis, *et Eoæ stamine silvæ* (Heinsius hoc ultimum mutare voluit in *telæ*, uti supra, 223, quod necesse non est, judice Dorvilio ad Chariton. p. 533, ed. Lips. Porro *Eoam silvam* de *bombycina* idem intelligit Heinsius, contradicente tamen Ezech. Spanhemio, qui de *bysso* explicat, de usu et præst. numismatum, T. I, pag. 454: quem omnino de hoc loco consule, nam et tiaram, cujus hic mentio fit, descripsit, nummisque aliquot illustravit) *subligat* nempe *extrema patrium* (nil muta: est enim et mascul. et feminin. etiam Græcis ὁ τιάρας et ἡ τιάρα. Vid. Scholia in Platonem nuper e schedis Ruhnkenii edita, p. 185) *cervice tiaram*. Non eadem forma fuit tiaris: Phrygia erat planior, nec ita ampla, et sine loris; Persica (Parthica) autem turrita magis, et ultra cervicem protenta.

701. *Insignis manicis*, quæ ad luxum Orientis pertinent, Romæ signum mollitiæ erant; *insignis acinace dextro*, in dextro latere, secus ac nostri homines.

702. *Improba* (quo verbo omnia, quæ nimia sunt, vehementia, per-

Nec latuere diu sævum spolia illa Syenen,
Perque levem et multo maculatam murice tigrin
Concita cuspis abit; subitos ex ore cruores
Saucia tigris hiat, vitamque effundit herilem;
Ipse puer fracto pronum caput implicat arcu:
Sanguine tunc atro chlamys ignea, sanguine vultus
Et gravidæ maduere comæ, quas flore Sabæo
Nutrierat, liquidoque parens signaverat auro.
Qualem si quis aquis et fertilis ubere terræ
Educat, ac ventis oleam felicibus implet,
Nec labor assiduus, nec spes sua fallit alentem,

706. *Tigris ait.* Vatic. cod. *Adit.* Bonon. cod. *Hiat.* Pro varia lect. idem. *Agit.* Carr. I. — 713. *Nec labor*, etc. Hic versus desideratur in Junt. Mascr. Ald. Engent. edd. Ed.

tinacia, etc. exprimuntur), quæ modum pedis excedunt, *tegmina barbaricæ plantæ*, pedis, calcei, *procurrunt*.

703. *Nec latuere diu spolia illa Syenen*, gentis Hylææ ducem; vid. supra, vers. 74; *per levem*, tenuem, *et multo murice*, purpura, *maculatam tigrim*, fortasse ad pellem tigridis per se maculosam respicitur, quæ maculæ tamen purpureis laciniis auctæ erant, *concita cuspis*, sagitta, *abit*. — *Levem tigrin*. Sic Stat. VI, 719, *tigrin inanem*. Ed.

705. *Subitos ex ore cruores* (*os* non placet: quod si enim cum Pio sumas, tigridis caput in cono fuisse, tiaræ illi superinducta esse debuit, quod vix credibile; nec ex cono tantum sanguinis effluxisse videtur, quantum in sequentibus narrat Poeta) *saucia tigris hiat* (*hiare* active sumptum rarius, apud Propertium tamen, Eleg. II, 31, 6, occurrit), *vitamque effundit herilem*. Et hoc audacius dictum, nihil enim aliud esse potest, quam sanguinem emittit domini, qui ea tigride esset indutus.

708. Quæ sequuntur, ad verbum pene desumpta sunt ex Homero, Il. XVII, 51 sq. *Sanguine tunc atro chlamys ignea*, vividioris purpuræ, *et gravidæ* unguentis *comæ maduere* (δεύοντο κόμαι), *quas flore Sabæo*, nardo vel myrrha, *mater nutrierat*, inunxerat inde a juventute, *liquidoque auro*, in fila ducto, vel in tenues laminas tracto, *signaverat*, distinxerat; Πλοχμοί θ' οἳ χρυσῷ τε καὶ ἀργύρῳ ἐσφήκωντο.

711. *Qualem si quis aquis* (ἀναβέβρυχεν ὕδωρ) *et fertilis ubere*, ubertate, *terræ* (*ubere glebæ* est apud Virg. Æn. I, 531) *educat, ac ventis oleam* (ἔρνος ἐριθηλὲς ἐλαίης) *felicibus implet*, ita collocat, ut ventis, Favonio in primis, pateat (Varro de Re rust. I, 24: πνοιαὶ δονέουσι παντοίων ἀνέμων).

Jamque videt primam tenero de vertice frondem,
Quum subito immissis præceps aquilonia nimbis
Venit hiems, magnaque evulsam tendit arena;
Haud secus ante urbem Myraces atque ipsius ante
Virginis ora cadit; sed non magis illa movetur,
Unius ægra metu, quam te, Meleagre, furentem,
Quam Talaum videt, aut pugnas miratur Acasti
(At satis hos ipsæ gentes campique videbant)
Tempestate pari versis incumbere turmis.
Ante oculos fuga fœda ducum, largusque cadentum
It cruor, et currus dominis ingentibus orbi.
  Non tulit hos Perses gemitus, cladem que suorum
Tergaque versa tuens, his cælum questibus implet:
« Quid me jam patriis ejectum sedibus, istas
Ut struerem pugnas, Scythiamque in bella moverem,
Vos superi, vos augurio lusistis inani?
Quid fratris meritas tua, Jupiter, omina pœnas

714. *Jam quidet* pro *jamque videt.* Vatic. cod. *Nam qui det.* Bonon. cod. *Jam qui det.* Bonon. I. *Jam quæ det.* Bonon. II, et aliæ usque ad Carr. *Jam videt at primam.* Carr. cod. et ed. I. — 716. *Nigraque.* Vat. cod. Junt. Maser. Ald. Engent. Bipont. *Extendit.* Bonon. I et II. Junt. Maser. Ald. Engent. — 723. *Fuga fera.* Vatic. cod. *Fuga torva.* Carr. cod. — 729. *Lusistis.* Sic Heins. ex conj. *Jussistis.* Codd. et edd. ante Burm. — 730. *Quid fratris sævi.* Edd. ante Carr. *Tum, Juppiter omnia.* Vatic. cod. Engent. *Tunc J. omine.* Bonon. I et II. *Tunc J. omina.* Junt. Maser. Ald. En.

714. *Jamque videt primam tenero de vertice frondem* (βρύει ἄνθεϊ λευκῷ), *quum subito immissis præceps aquilonia nimbis venit hiems* (Ἐλθὼν δ' ἐξαπίνης ἄνεμος σὺν λαίλαπι πολλῇ), *magnaque evulsam tendit arena* (Βόθρου τ' ἐξέστρεψε καὶ ἐξετάνυσσ' ἐπὶ γαίῃ).

718. Myraces iste Sycnis sagitta ante ipsius virginis ora cadit; *sed non magis illa movetur* (*unius ægra metu*, de uno Jasone suo sollicita), quam rebus præclare ab Argonautis quibusdam gestis, qui *tempestate pari*, eodem impetu, *versis incumbere turmis*, fugientes hostes persequuntur.

725. *Perses*, hanc suorum cladem et fugam conspiciens, *cælum* (*deos*, supra, II, 167) *questibus implet.* Vos superi augurio inani in errorem me duxistis, ut Scythas in patriam excitarem meam. Tu, Jupiter, promiseras, fratrem injustitiæ mihi pœ-

Promisere mihi? nobis Argoa parabas
Scilicet auxilia, et tantas conjungere vires.
Sæva quidem lucis miseris mora; dent tamen, oro,
Unum illum mihi fata diem, quo fallat Achivos
Sic meritos, quoque hunc videam virtute superbum
Æsoniden, tantos flentem sine honore labores».
Dixerat hæc, pectusque suis everberat armis,
Et galeam fletu, galeam singultibus implet;
Ibat et in medii præceps incendia belli,
Ni prior adversis Pallas vidisset ab armis,
Et secum: «Ruit ecce ferox in funera Perses,
Quem genitor Colchis solioque reponere fratris
Jam statuit. Nostra vereor ne fraude peremptum
Increpet, et culpam hanc magno terrore rependat».
Hæc dicens atro nebulam diffundit amictu,

733. *Miseris modo.* Bonon. cod. Bonon. I. *Lux est miseris modo.* Bonon. II. — 734. *Fellet* pro *fallet.* Vatic. cod. *Fallet.* Bonon. cod. *Fallere.* Ald. *Fallere*, et versu seq. *quisque velit.* Bonon. I et II. Junt. Maser. Eugent. — 735. *Videam quoque hunc.* Ald. En.

mas daturum, promiseras Græcorum auxilium. *Scilicet!*

733. *Sæva quidem lucis miseris mora*, longioris vitæ tædet infelices, *hunc tamen fata diem dent, quo fallat Achivos sic meritos* (deest suppositum, quod vocant, nempe *rex Æetes*. Aptius tamen leges *qui*, sc. dies), *quoque videam* Jasonem *tantos flentem*, dolentem, *sine honore*, digna remuneratione, *labores*.

737. *Dixerat*, et *pectus suis everberat armis;* hoc voluisse videtur Valerius: ense feriit clypeum, quod facere in prælium procedentes Scythæ solebant (v. supra, hoc libro, v. 99); forsan tamen aliam posuerat vocem poeta, nam *armis* intra quatuor versiculos bis positum non satis placet.

738. *Galeam fletu et singultibus implet*, secum dolet, dolorem tamen galea tegit, et jam in eo est, ut in medios hostes se præcipitet.

740. *Ni prior adversis Pallas vidisset ab armis*, ex opposita acie Æetæ et Argonautarum, quibus aderat, et secum: *Ruit in funera*, mortem, *Perses*, quem tamen ipse Jupiter fratri successorem destinavit.

743. *Vereor, ne nostra fraude*, dolo maligno, *peremptum increpet* Jupiter, *et culpam hanc magno terrore*, gravissimis verbis, *rependat* ulciscatur.

745. *Hæc dicens atro amictu indu-

Stridentesque viri circum caput amovet hastas.
Ille super socias elementi turbine gentes
Erigitur, paullumque levi raptatus in æthra
Jam tandem extremas pugnæ defertur in oras,
Forte ubi serus Iber Essedoniæque phalanges
Marte carent, solisque juvant clamoribus agmen.
Nox simul astriferas profert mortalibus umbras,
Et cadit extemplo belli fragor, ægraque muris
Digreditur, longum virgo perpessa timorem.
Ut fera Nyctelii paullum per sacra resistunt,
Mox rapuere deum jam jam in quodcumque paratæ

ta *nebulam diffuadit*, hastasque in virum conjectas a capite ejus arcet. *Ille turbine*, procella, sed *clementi*, leni, *super socias gentes erigitur*, in altum extollitur, *paullumque levi raptatus in æthra*, per magnum aeris spatium abductus, *tandem in extremas pugnæ oras*, ultimam aciem, *defertur.*—Vide *oras belli* apud Virg. Æn. IX, 528. Ed.

750. Ibi *serus*, ignavus, tardus ad prælia, *Iber, Essedoniæque phalanges Marte carent*, cum aliis non in communionem veniunt pugnæ, *solisque juvant clamoribus agmen*, non nisi bellico clamore sociorum virtutem excitant.

752. Tandem *nox* ingruit; *cadit*, desinit, *belli fragor*, tumultus; Medea muris descendit, longum timorem perpessa, mox ad majorem, ad instar Bacchæ, reditura furorem. — Noctis interventu pugna dirimitur, ut sæpe fit. Noctis quietem ac pacem diurno belli tumultui opponere amant poetæ. Conf. Homer. Iliad. VIII, 488: Ἀσπασίη, τρίλλιστος, ἐπήλυθε νὺξ ἐρεβεννή. Magis placet Homeri vox ἐρεβεννὴ, *tenebricosa*, quam *astriferæ* Valerii, quod quidem otiosum mihi videtur epithethon, et eo minus hoc loco tempestivum quod, quum propter lucis defectum desinat pugna, alienum est astra, quæ lucem fundant, proferre, quum potius tenebras noctis pingere, immo, Homeri instar, (quæ vis est vocis ἐρεβεννὴ) opacare conveniat. Ed.

753. *Ægra*, non *ægre*, sed *ægro corde*, *le cœur malade*, ut ait noster *Lafontaine*, imitatus Anacreonta, od. 3, in fine: Σὺ δὲ καρδίαν πονήσεις. Ed.

755. *Ut fera*, sæva, *Nyctelii* (Orpheus, Hymn. LI, 4, νύκτερος; Virgil. Georg. IV, 521, *nocturnus*; Ovid. Metam. IV, 15, inter plura Bacchi cognomina et hoc habet) *Bacchi*, cui sacra noctu peragebantur, *per sacra*, dum sacra fiunt, *resistunt*, cessant aliquantisper a furore.—*Resistere* pro *quiescere*; quem sensum exemplis illustrat Burmannus. Conf. Terent. Andr. act. II, sc. 2, v. 7: *Dave... resiste*; Eunuch. II, 3, 45: *restiti*; Ovid. de Arte Am. III, 554: *novus, viso casse, resistet amans*. Ed.

756. *Mox rapuere deum*, imaginem,

Thyades: haud alio remeat Medea tumultu,
Atque inter Graiumque acies patriasque phalanges
Semper inexpletis agnoscit Iasona curis,
Armaque, quique cava superest de casside vultus.

statuam ejus circumferendam (conf. Euripidis Bacchas), *jamjam in quodcumque* scelus *paratæ Thyades: haud alio remeat Medea tumultu*, animi perturbatione.

758. Atque inter Argonautas patrisque duces, *Jasona semper agnoscit*, non aberrante oculo, sed *inexpletis curis*, nihil a cura, amore, sollicitudine remittens. — Confer Ovidium, Met. lib. III, vs. 439. Ed.

760. *Armaque, quique cava* (epitheton ornans) *de casside*, galea, *superest vultus*, exiguam illam faciei partem, quam galea non tegit, facile *agnoscit*. Heinsius corrigit: *quodque vultus* (genit.). Recte, nam τὸ *agnoscit* accusativum necessario requirit; brevius tamen adhuc defungi possis, si legas *vultum*.

IN LIBRUM SEXTUM

ARGONAUTICON

NOVI EDITORIS

NOTÆ.

V. 15. *Legatos placet ire duces; mandataque Perses*
Edocet, affari Minyas, fraudemque tyranni
Ut moneant.

Sic Virg. Æn. XI, 331:

> Centum oratores prima de gente Latinos
> *Ire placet.*

Valerii autem versus sic construe: *Perses edocet mandata*, nempe *affari Minyas, et ut moneant*, etc.

V. 26. *Hæc medio Perses dum tempore mandat.* — Medio, scilicet induciarum, *tempore*; vid. supra, VI, 276.

V. 36. *Verum ego nec numero memorem, nec nomine cunctos,*
Mille vel ora movens.

Prior versus ad verbum fere expressus est ex Homero, Il. II, v. 488:

> Πληθὺν δ' οὐκ ἂν ἐγὼ μυθήσομαι, οὐδ' ὀνομήνω.

V. 40. *Quod geminas Arctos magnumque quod impleat anguem.* — Virg. Georg. I, 240:

> Mundus, ut ad Scythiam Rhipæasque arduus arces
> Consurgit..................................
> Maximus hic flexu sinuoso elabitur Anguis
> Circum, perque duas in morem fluminis Arctos.

V. 48. *Proxima Bisaltæ regio, ductorque Colaxes.* — Pro *regio* Pius proponit *legio.* Placet emendatio: nam Bisaltæ non magis erant Alanorum Heniochorumve, quam Colchorum, vicini.

V. 49.............. *Scythicis quem Jupiter oris*
Progenuit, viridem Myraeen, Tibisenaque juxta
Ostia.

5.

Ortelius in Lexic. Geograph. ad vocem *Tibisena* hæc ait : « Scythiæ fluvius : vox mihi ignota ; an *Borysthenaque* pro ea substitui debeat, videant quibus codicum veterum copia est : hoc scio, fabulam, quam hoc loco refert Flaccus, describi ab Herodoti Melpomene in Hylea regione, vicina Borystheni ». — Pro *Myracen*, ignoto nomine, Pius ac post eum Heinsius proponunt *Tmyracen* contract. pro *Tamyracen*, nomen urbis Scythiæ, ac promontorii in Hylea regione positi. Quæ conjectura eo ingeniosior est, et aptior huic loco, quod cum Herodoti fabula, quam Valerius videtur expressisse, convenit.

V. 53. *Cuncta phalanx insigne Jovis, cælataque gestat*
Tegmina dispersos trifidis ardoribus ignes.

Tegmina nil aliud sunt quam *scuta*. Sic Virgilius, Æn. IX, 516 : *armorumque resolvit Tegmina*, ubi *armorum tegmina* sunt clypei in testudinis speciem, super capita densati. T. Livius, IX, 19, ait Romanorum *scutum* majus esse corpori *tegumentum*, quam Carthaginiensium clypeum. Sunt et alia exempla *tegminis* pro *scuto* adhibiti ; Virg. Æn. IX, 577 : *ille manum projecto* tegmine *demens Ad vulnus tulit ;* X, 887 :

Immanem ærato circumfert *tegmine* silvam ;

Valerius, I, 453 :

.... secat aurea fluctu
Tegmina Chalcidicas fugiens Euripus arenas.

Tegmina cælata ignes. Simili græcismo jam usus est Valerius, I, 402 :

Tum cælata metus alios gerit arma Eribotes.

Ignes dispersi trifidis ardoribus. Periphrasis pro *fulmina*, quæ vocantur Senecæ tragico *trisulca fax*, *trisulcum telum*.

V. 56. *Et rutilas scutis diffunderis alas.* — Alas fulmini tribuit et Virgilius, Æn. V, 319 : *et fulminis ocior alis*.

V. 61..................... *cui candidus olim*,
Crinis inest, *natale decus ; dat longior ætas*
Jam spatium.

Plinius, VII, 2, ait Albanis a pueritia statim canos fuisse capillos. Vide Solinum, cap. XV, et Salmas. in Solin. pag. 134 ; vide quoque A. Gell. IX, 4. — Capillorum *spatium* pro *longitudine* notanda est locutio. Ovidius ait de capillis cujusdam puellæ, Amor, I, 14, 3 : *quid erat spatiosius illis*.

V. 69..................... *Acesinaque lævo*
Omine fatidicæ Phryxus movet agmina cervæ.

« Possit quidem, sic pergit Wagnerus, *Dinna sæva*, v. 73, aliquem inducere eo, ut de Iphigenia cogitari posse credat, quam pro dea cultam

Scythis fuisse narrat ipse Herodotus, IV, 103; sed repugnat temporum ratio, et, quæ de Agamemnonis filia tradunt Tragici, nullam nostro affundunt lucem loco, cujus fundus fabella videtur fuisse Scythica. Fortasse rex quidam vel dux eorum cervam Dianæ sacram confecerat, cujus imago aurea ad deam placandam pro signo militari, v. 72, fuit. Aliam difficultatem, quæ premere locum visa est nonnullis, desumptam illam a cornibus, v. 71, quibus cervæ carent, non moror, videturque Valerius femineum sexum consulto posuisse, in quo rarius quidem, nonnunquam tamen cornua indagatores naturæ observarunt; conf. *Ruperti* ad Sil. Ital. III, 39, in Var. Lectt. et Heynium ad Apollodor. pag. 349.

Acesinus amnis, secundum Plin. IV, 12, fluebat juxta Hylæam et Chersonesum Tauricam. Hunc fluvium hic designari argumento est, quod lucus Dianæ Tauricæ, cujus hoc loco meminit Valerius, in Hylæa erat situs. Videtur Wagnerum, nominis errore lapsum, *Panticapæum* urbem accepisse pro fluvio, cui nomen *Panticapes*, Acesino proximo.

V. 73. *Mœsta, nec in sævæ lucos reditura Dianæ.* — *Mœsta*. Virgilius itidem sensum tribuit Chimæræ in galea Turni exsculptæ, Æn. VII, 787:

> Tam magis illa fremens et tristibus effera flammis,
> Quam magis effuso crudescunt sanguine pugnæ.

Sæva autem *Diana*, Diana est Scythica, quæ sacrificiis humanis placabatur. — *Lucos*. Luci Hecates in Hylæa meminit Ptolemæus, III, 5. Adeatur apud Danvill. *Orbis romani* pars Orientalis.

V. 76. *Densior haud usquam nec celsior extulit ullas*
Silva trabes, fessæque prius rediere sagittæ,
Arboris ad summum quam pervenere cacumen.

Quod Valerius de proceritate arborum in hac Scythiæ parte, id Virgilius de silvis Indiæ canit, Georg. II, 122:

> Aut quos Oceano propior gerit India lucos,
> Extremi sinus orbis; ubi aera vincere summum
> Arboris haud ullæ jactu potuere sagittæ.

Uter elegantius eamdem extulerit sententiam perpendere licebit lectori, si voluerit, ut verbis utar veteris gallicæ linguæ auctoris (*Froissart*), *s'habiliter et se delecter*.

V. 80. *Plaustrisque ad prælia cunctas Coraletæ traxere manus.* — Vetus Vatic. cod. habet *coeialætæ*. Lectio *Coraletæ* nullius est ponderis ac momenti, ut orta ex ἀποκρύφῳ Carrionis codice. Invenio apud Tacitum, Annal. III, 38, *Cælaletæ*, nomen cujusdam Thraciæ populi, quod nemini in mentem venit, perparum discrepans a corrupta Vaticani codicis lectione. *Cælaletis* apud Tacitum junguntur *Odrusæ*, quorum fere cognominis est ille potator, *Odrussa*, supra, V, 595, memoratus.

V. 84. *Linquitur et mons Ambenus.* — *Ambeni* solus meminit Valerius. Quidam legunt cum Hermolao *Embolus*, de quo meminit Herodotus, IV, 53, ad Borysthenis et Hypanis tractum.

V. 88. *Hos super æratam Phalees agit æquore nubem*
Cum fremitu, densique levant vexilla Coralli.

Tollit imaginem poeticam Burmannus, quom *pubem* pro *nube* suadet reponi. Valerium tuetur Virgilius, Æn. VII, 703: *Insequitur peditum* nimbus. — *Cum fremitu.* Hoc spectat profecto ad illum cantum vel potius clamorem quem *Barditum* vocant Germani; vide Tacit. de Moribus Germau. cap. III: *Sunt illis hæc quoque carmina, quorum relatu, quem* Barditum *vocant, accendunt animos...... affectatur præcipue asperitas soni, et fractum murmur, objectis ad os scutis, quo plenior et gravior vox repercussa intumescat.* — *Corallos Tomis* vicinos fuisse docent illi Ovidii versus, Epist. ex Ponto, IV, 2, 37:

> Hic mea cui recitem nisi flavis scripta *Corallis*
> Quasque alias gentes barbarus Ister habet.

Ibid. IV, 8, 83:

> Litora pellitis nimium subjecta *Corallis*
> Ut tandem sævos effugiamque Getas.

Tomis autem exsulabat Ovidius.

V. 90. *Barbariecæ quis signa rotæ.* — Tò *barbaricæ* hoc loco non eodem sensu nobis videtur quo *barbarico* (*auro*) apud Virgil. Æn. II, 504, adhibitum. *Barbaricam rotam* nil aliud significare puto, quam genus quoddam *rotæ* apud *Barbaros* usitatum, Romanis vero insolitum.

Ferrataque dorso Forma suum. De *hystricibus* Maserio Wagneroque non concedo. *Suem* enim non *porcum* tantum, sed etiam *aprum* significare quis nescit? Calydonis aper Ovidio vocatur, Metam. VIII, 359, *vulnificus sus.* Apud eumdem occurrunt *setigeri sues* pro *apris*, Metam. X, 547:

> non movet ætas,
> Nec facies, nec quæ Venerem movere, leones
> *Setigerosque sues.*

Suum igitur, h. e. aprorum, *forma* per metaphoram dicitur *ferrata*, quod hispidæ aprorum setæ, telorum speciem præbent. Sic Ovidius in descriptione Calydonis apri, Metam. VIII, 285:

> Et setæ densis similes hastilibus horrent;
> Stantque velut vallum, velut alta hastilia setæ.

Luporum et aprorum imagines pro signis militaribus habuerant olim Romani; vid. Plin. X, 4. Nec alienum erit referre sequentem Taciti locum, de Mor. German. XLV: *Matrem deum venerantur* (Germani):

insigne superstitionis formas aprorum *gestant. Id pro armis, omnique tutela: securum deæ culturem etiam inter hostes præstat.*

V. 95. *Ast ubi Sidonicas inter pedes æquat habenas.* — « Locus obscurissimus, in quo explicando valde desudarunt interpretes, nihil tamen profecerunt. Et primum quidem Heinsio *ast ubi* non satis apte respondere videtur sequenti *illinc*, quapropter mavult vel *hinc*, vel *post;* deinde, quum Strabo, lib. VII, c. 16, Sidonas Bastarnarum partem fuisse tradat, idem vir olim doctissimus, ne eumdem populum Valerius bis posuisse videretur (quod tamen nihil me movet, quum unius gentis plures nationes in eodem exercitu possint militiam agere), pro *Sidonicas* conjecerat *Essedunicas*, et sub voce *inter*, nomen aliquod gentis delitescere suspicatus erat, in quo adstipulantem habuit Burmannum. Mihi igitur, præsertim, v. 750, comparanti, talem invenisse gentem olim videbar, legebamque *Iber* pro *inter*, quam tamen conjecturam postea una delevi litura, partim, quod primam syllabam in *Iberis* ubique correptam deprehendi, partim, quod Iberi seorsim occurrunt, v. 120. Variis, quibus faciliorem loco sensum dari posse opinarer, excogitatis, tandem una litera mutata: *Est* pro *Ast*, omnia, uti jacent, servari posse credidi. *Est ubi*, i. e. *hinc* (habes igitur, quod opponatur τῷ *illinc*), *Sidonicas inter pedes æquat habenas* (est ubi inter S. habenas pedes æquat) hoc sensu: pari peditum equitumque numero in bellum iverunt Sidones. *Æquare* eodem sensu est infra, 160. Meliora nunc non habeo. — Nec minus impeditus est, v. 96. *Illinc juratos secum trahit Æa Baternas.* Quid enim? Æa quum Colchorum sit, non Scytharum, de quibus hic sermo, civitas, *secum* nullo modo fieri potest, lubensque accedo auctoritati Valesiani codicis et editionis Bononiensis, legentium: *juratos* IN SE (quod idem oræ exemplaris sui adscripsit Reinesius), i. e. Æa, rex Æetes, injuria fratri illata, effecit, ut Baternæ in eum conjurarent, et infesta manu regiam ejus peterent. Eumdem sensum haberes, si propius ad scripturam vulgatam legeres: *sibi contrahit;* sed et hoc durum ». Sic Wagnerus.

Secum manifestum est mendum; codices omnesque ante Carrionem editiones habent *in se*, quam lectionem in textum restitui. *Baternæ* sine dubio sunt *Bastarnæ* vel *Basternæ*, natio Germanis ac Sarmatis contermina, quibus, ut refert Tacitus, German. XLVI, mixtis utrorumque moribus, ambigue accedit. Vide et Plin. IV, 12 et 14. Basternarum igitur nomen paulum immutavit Valerius, metri causa, quemadmodum supra, v. 50; vide not. 49. Discimus ex Strabone, VIII, 306, Basternarum gentem in plures populos divisam fuisse, Atmonos, Sidones, Peneinos, Roxolanos. Proinde *Sidonicas*, v. 95, potuit dici vel proprie, vel per synecdochen pro *Bastarnicas; habenæ* sunt pro *equitibus;* hisque omnino verbis, *pedes æquat habenas*, pinxit Valerius velocitatem illorum peditum equitibus, quos æquabant cursu, intermixtorum. Livius ait de iisdem *Bastarnis*, quorum auxilio adversus Romanos usus est Perses, Macedonum rex, XLIV, 26: *veniebant decem millia equitum*, par *numerus*

peditum, et ipsorum jungentium cursum equis, *et in vicem prolapsorum equitum vacuos capientium ad pugnam equos*. Hoc loco Livius interpretis vicem Valerio præstat: τὸ *jangere cursum equis*, apud historicum, idem valet quod, apud poetam, *æquare habenas*. Mos ille pedites equitibus miscendi Germanis quoque fuit usitatus; Tacit. Germ. VI: *In universum æstimanti, plus penes peditem roboris; eoque mixti præliantur, apta et congruente ad equestrem pugnam velocitate peditum, quos ex omni juventute delectos ante aciem locant.*

V. 97. *Q s, duce Teutagono, crudi mora corticis armat,*
Æquaque, nec ferro brevior nec rumpia ligno.

In *Teutagóno*, *Teutonum*, celebris Germaniæ populi, nomen agnoscis.

V. 99. *Nec procul albentes gemina ferit aclyde parmas,*
Hiberni qui terga Noæ, gelidumque securi
Eruit, et tota non audit Alazona ripa.

Aclys genus est teli levis, nonnunquam amentati, Virg. Æn. VIII, 730:

> .... teretes sunt *aclydes* illis
> Tela, sed hæc lento mos est aptare flagello.

Albentes parmas Burmannus intelligit *scuta sine insignibus*, affertque hoc Virgilii exemplum, Æn. IX, 548:

> Ense levis nudo, *parmaque* inglorius *alba*.

Sed analogia nulla est: apud Virgilium, *alba parma* nondum partæ laudis est signum, ideoque dicitur *inglorius* Helenor; apud Valerium, nil tale. Plures Germaniæ populi albos quoque clypeos ferebant; Plutarchus, in vita Marii, Cimbros pingit albis clypeis fulgentes: θυρεοῖς δὲ λευκοῖς στίλβοντες. — De *Noe* Herodotum vide, IV, 49. — *Non audit Alazona* dixit acute Valerius: nam *alazon*, etymologiam si spectes, *fragosus* significat.

V. 102. *Quosque Taras, niveumque ferax Evarchus olorum.* — Ille versus videtur alieno loco positus; quem post versum 67 reponendum censeo, sic:

> .... potaque Gerys quos efferat unda,
> Quosque Taras, niveumque ferax Evarchus olorum.

Hoc mutationis genus apud veteres poetas non infrequens, et occurret infra, lib. VIII, circa finem. — *Taras*, nomen ignotum, sine dubio corruptum. Wagnerus post Pium proponit *Torus*, quem tanquam fluvium Colchidis invenire apud Strabonem, II, sibi videtur. Cujus erroris originem excutere non alienum. Strabo, loco laudato, de Cyro loquens, hujus fluvii priscum nomen refert, quod erat Κόρος; vetus interpretatio latina mendose habet *Thorus*, unde Pii Wagnerique hallucinatio. In histo-

ria *du Bas-Empire*, occurrit urbs Armeniæ, nomine *Toras* vel *Taras*; potest conjici fluvium ejusdem nominis prope hanc urbem fuisse, de quo nunc Valerius. Posset quoque pro *Taras* legi *Corax*, qui fluvius est Sarmatiæ Asiaticæ, Colchidis in proximo.

V. 103. *Te quoque venturis, ingens Ariasmene, seclis*
Tradiderim, molem belli.

Similes apud Virgilium occurrunt locutiones, Æn. VIII, 733 :

Nec te carminibus nostris indictus abibis,
Œbale.

Ibid. X, 185 :

Non ego te, Ligurum ductor fortissime bello,
Transierim, Cinyra.

Molem belli confer cum Virgil. Æn. X, 427 : *Lausus, pars ingens belli.*

V. 106. *Drancæa phalanx.* — *Drangæi* vel *Zarangæi*, Persiæ gens, cujus nomen etiamnum superest in voce *Zarang*, quod nomen est urbis provinciæ *Sigistan*. Vid. Danvill. vet. geograph. t. II, pag. 289.

V. 115. *Eum Scythiæ jam tertia viderat ætas.* — Manuscripti et ante Carrionem editiones habent *æstas;* quam lectionem eo libentius prætulerim, quod et ad naturam, et ad hunc Virgilii locum videtur accommodata, Æn. I, 269 :

Tertia dum Latio regnantem *viderit æstas.*

V. 120. *Discolor hastatas effudit Iberia turmas.* — Tò *discolor* de varietate vestium armorumque accipiendum putant Pius ac Wagnerus. Quum vero, post Indos, Arabas ac Ægyptios, auctor Iberos nominet, potest hac voce (*discolor*) diversum faciei colorem indicare voluisse. Sic Lucanus, X, 128 :

Discolor hos sanguis, alios distinxerat ætas.

V. 121. *Et raptor amorum Neurus.* — Neuri, Sarmatiæ Europææ populus. Vid. Herodot. IV, 105 ; Pomp. Mela, II, 1 ; Solin. Eustath. in Dionysium, etc.

V. 123. *Namque ubi jam viresque aliæ, notosque refutat*
Arcus.

Pro *notos* lego *notus* cum codd. et ante Carr. edd. *arcus notus*, ille est quo uti consueverant, quemadmodum *notus ensis*, hoc Virgilii loco, Æn. XII, 759: *notumque efflagitat ensem.* — *Vires aliæ.* Sic Virgil. Æn. V, 466 :

Non *vires alias*, conversaque numina, sentis?

V. 129. *Hic et odorato spirantes crine Micelæ.* — Lectio *Micelæ*, de-

prompta e Carrionis codice, nullius est momenti. Priscus Vatic. codex videtur habere *Mycæi*, qui possent esse Myci, gens Asiæ (vid. Herodot. III, 93), Persiæ vicina.

V. 130. *Cessææque manus.* — *Cissi* vel *Cissæi*, Susianæ populus. Sunt quoque montes in Asiatica Sarmatia, *Cissi* vocati; vid. Plin. VI, 7.

V. 131. *Ignotis insons, Arimaspe, metallis.* — Arimaspi ultra Scythas et Essedonas habitabant; vid. Herodot. IV, 13.

V. 134. *Non ego sanguineis gestantem tympana bellis*
Thyrsageten.

Thyrsagetæ apud Herodotum aliosque auctores vocantur *Thyssagetæ*. Valerius hoc nomen paulum immutavit, ut ea quæ refert de eorum ortu, ac de lanceis thyrsorum similibus, cum nomine congruerent.

V. 142. *Et Eoæ memoratrix tibia pugnæ.* — Cretenses ac Lacedæmonii similiter ad pugnam, canente tibia, procedebant; vid. Polyb. IV, 20.

V. 143. *Jungit opes Eumeda suas.* — Legendum videtur *Emoda*, mons Asiæ, Sacas ab India disterminans.

V. 150. *Impulit et dubios Phryxei velleris ardor*
Centoras, et diros magico terrore Choatras.

Centores sunt ignoti; *Choatræ* sunt Sarmatiæ populi, ad Tanaim habitantes; vid. Plin. VI, 7.

V. 174. . . . . *quam nec dea lassat habendo,*
Nec pater horrentem colubris, vultuque tremendam
Gorgonen.

Lassat habendo. Confer Virgil. Æn. XII, 88: *Simul aptat habendo Ensemque clypeumque.* — *Nec pater.* Quid pater hic sibi velit non satis liquet. Potuit tamen auctor hac voce Jovem designare, cujus propria est ægis, quippe qui αἰγίοχος vocatur Homero. Jupiter nempe ac Minerva non semper utuntur ægide, *primasque sinunt concurrere pugnas.* Mox eam, fervente pugna, et poscente periculo, depromunt.

V. 176. *Nec semineces ostendere crines Tempus adhuc.* — *Semineces crines* indicant vitales reliquias superesse anguibus Medusæ caput cingentibus. Sic Virgilius fingit Gorgona desecto *vertentem* lumina collo. Sic Sil. Ital. IX, 463:

Erexere omnes immanis membra chelydri,
Ægide commota.

Id. VIII, 519: *et erecti sederunt pectoris angues.*

V. 178. *Et mala leti Gaudia.* — Confer Virg. Æn. VI, 279 : *Et mala mentis Gaudia.*

V. 188. *Mixtæque virum eum pulvere vitæ.* — *Vitas* Pius ac Wagnerus explicant, *corpora vitalia quidem, sed vulnere strata.* Mihi videtur *vitam* hic esse pro *sanguine.* Sic *animam* pro *sanguine* dixit Virgilius, Æn. IX, 349 : *Purpuream vomit ille animam.*

V. 205. *Fatisque viam monstrarat iniquis.* — « Dicitur ille *monstrare viam fato iniquo*, qui dat occasionem fortunæ sæviendi, et aperit aditum calamitati ». Sic Pius. Wagnerus hunc sensum videtur sequutus. Nos aliter struimus : *viam* equis *monstrarat*, i. e. equos ad bellum miserat, *fatis iniquis*, non faventibus ; sic Virg. Æn. III, 17 : *fatis ingressus iniquis.*

V. 207.................*Simul obvius hastam*
Pectus in adversum Gelæ jacit alipedemque ;
Constitit excusso victor duce.

« Ex iis est locus, quos Valerius, si per fata licuisset, aliter fuisset adornaturus ; nam quomodocumque exponas, nove et incommode dicta nonnulla invenies. Quod si interpunctionem vulgarem post *alipedemque* retineas, incommodum exoritur inde, quod equum non vellet ferire Castor, quo vivo uti mallet. Sin autem colon ponas post *jacit*, jungasque, suadente Burmanno, *alipedem constitit*, tum vero *constitit* active sumptum pro *constituit*, quod et ipsum non satis aptum, inusitatum esset. Vossius : *constitit excusso vector*, i. e. equus, *duce.* Quod probabile videri possit ideo, quod *excutere* solenne et fere perpetuum verbum sit de equo, sessorem dejiciente, et *vectoris* vocabulum bis poeta de ariete Helles usurpaverit, I, 282-425. Magis arridet Heinsius, cui suffragatur Beckius, pag. 269, pro *constitit* legens *insilit* ; furtasse tamen non omnino contemnendum, propius quippe ad literarum ductus accedens, τὸ *corripit*, celeriter prehendit, uti *corripit* sucem VII, 148. Utcumque sit, ipse Jupiter gavisus est, *risitque ab alta nube filium*, cui, quum pedes antea depugnasset, equitem nunc agere contigerat ». Sic Wagnerus.

Dictio *victor* retinenda mihi videtur, eo quod et imaginem exhibet hoc loco, et ea libenter utuntur poetæ, utcumque simile occurrit adjunctum ; sic Noster supra, II, 546 : *qualis per pascua victor Ingreditur* ; vide quoque V, 67 ; VIII, 133. Sequentia perpendenti mihi videntur hæc verba, *alipedem constitit*, hoc significare, *Pollucem* nempe *in equum insilire* ; immo verbum *constitit* mihi videtur apprime pingere aliquem equo perite sedentem : forsan, ut ille sensus exsistat, legendum sit, *alipedique constitit*, quemadmodum hoc Virgilii loco, Æn. VIII, 381 : *Rutulorum* constitit oris ; Burmannus, VI, 527, notat *sedere equum* aliquando dici : quid si Valerius dixit perinde : *constitit equum ?*

V. 213. *Hunc age, vel cæso comitem me reddite fratri.* — *Hunc age :*

abruptus sermo; subaudi *occidam*. — *Comitem me reddite fratri*. Confer Virg. Æn. X, 600: *et fratrem ne desere frater*.

V. 221..................... *cadit impiger una*
Inguine transfosso clari Taulantis alumnus
Semidea genitrice Tages, cui plurima silvis
Pervigilat materna soror, cultusque laborat.

« Quis hic Tages sit, lubens fateor me ignorare. Tagen novi, Etruscæ disciplinæ auctorem, ex Cicerone de Divinitate, II, 23. Tyrrhenum vatem Columellæ, X, 345, ubi vid. Schneider. in Indice ad script. Rei rust. h. v. Sed quid Tyrrheno cum Scythis? Plura omnino ducum Scythicorum hoc in prælio decertantium nomina effinxit Valerius, et notabilia de iis narravit, quæ vel ipse excogitavit, vel e fontibus hausit nunc deperditis. Nec Taulantem novi, quanquam Taulantii, i. e. Illyrii a Taulante, Illyrii filio, bene noti sunt: nec magis, quod *genitrici semideæ* nomen fuerit, dicere habeo. — Quæ sequuntur, v. 223: *cui plurima silvis pervigilat materna soror, cultusque laborat*, non minori premuntur obscuritate, quam ut removeret, ita locum refinxit Heinsius: *cui plurima telis pervigilat nocturna soror*. Ingeniose quidem (ingeniosius adeo, quod amiciss. Müllerus suo exemplari adscripserat, *filis*), ut multa hujus poetarum sospitatoris eximii, et ad intelligendum facilius, sed audacius justo. Rarior est quidem is silvæ usus, ut de singulis arborum generibus earumque proventibus dicatur; vide Broukhusium ad Propert. I, 14, 5, et Gesner. Thes. h. v. Similis adeo locus est Nostri infra, v. 699, ubi Heinsius itidem *telam*, sed sine causa, reposuit. Vide, quæ ibi notavimus. *Nocturna* porro, quam mavult Heinsius, *soror*, ita sedula, ut in matronali opere pernox adeo sit, placet, fateor, et sic sæpe occurrit in laudibus feminarum, sed non adeo necessaria mutatio, et *noctis* notionem jamjam involvit τὸ *pervigilat*. Burmannus in *silvis* fortasse nomen aliquod proprium latere conjicit. Ego vero totum locum immutatum reliquerim, malimque, ut verbis utar Dorvilii ad Charitonem, p. 410, ed. Lips. « Intricatius interpretari, quam emendare ita, ut etiam difficultates remaneant ». Quum igitur poeta Tageti matrem det *semideam* (Nympham) soror ejus et ipsa talis fuisse credenda est (Dryas?). Possit itaque *silvis*, i. q. *in silvis* esse, namque præpositiones crebro omittere poetis solenne est, vel *silvæ* h. l. de materia ad texendum in silvis obvia, lino inprimis, quod suadere sequentia *candentis carbasa lini* videntur, intelligendæ. Totus itaque loci sensus meo qualicumque judicio hic est: *cui plurima*, assidue et diligenter, *silvis*, in silvis, vel lino, bombyci, etc. *pervigilat*, pernox operam dederat, *materna soror*, matertera, quæ sororum filiis etiam nunc in amoris signum acu tunicas pingere solent. Sed hæc omnia scripsi timidiuscule ». Sic Wagnerus.

V. 228. *Jamque novus mediæ stupefacta per agmina pugnæ*
Vadit eques.

Confer Virgil. Æn. II, 358: *per tela, per hostes*, Vadimus *haud dubiam in mortem.*

V. 237......... *docilis relegi, docilisque relinqui,*
Atque iterum medios non altior ire per hostes.

Docilis relegi. — *Cereus in vitium flecti*, apud Horat. de Art. Poet. v. 163, similis est locutio. *Non altior* declarat hanc lanceam ita mitti solitam fuisse, ut supra hostium capita transabire non posset. Quomodo uterentur hoc telo Sarmatæ, sic describit Silius Italicus, XV, 686:

Nec non cornipedis tergo de more repostus
Sustentata genu per campum pondera conti
Sarmatici prona adversos urgebat in hostes.

Prona idem est quod *non altior* apud Valerium.

V. 239. *Orbibus hos rapidis mollique per æquora Castor*
Anfractu levioris equi deludit anhelos.

Levioris equi. — Equus, quo potitus erat Castor, oriundus erat e Media, Sarmatorum proinde ocior equis et exercitatior. Tacitus de Germanorum equis hæc docet, de Moribus Germ. cap. VI: *Equi non forma, non velocitate conspicui; sed nec variare gyros in morem nostrum docentur: in rectum, aut uno flexu dextros agunt.* Equorum anfractus sic describit Virgilius, Æn. V, 583:

Inde alios ineunt cursus, aliosque recursus,
Adversis spatiis, alternisque orbibus orbes
Impediunt, pugnæque cient simulacra sub armis.

V. 243. *Campesus impacta latus inter et ilia quercu*
Tollitur, ac mediam moriens descendit in hastam.

Tollitur non significat Campesum *equo excuti*, ut explicat Wagnerus, sed ex equo tolli in altum alicujus Sarmatæ lancea, ut mox, v. 252, *Seminecem Taxes Hypanin vehit.* Silius Italicus eamdem imaginem præbet, XV, 689:

Tum quoque transfixum telo, per membra, per arma,
Consulis ante oculos, magno clamore, Sabellum
Asportabat ovans.

Sic verba *tollitur* se *descendit* inter se quam aptissime cohærent, exhibentque corpus equitis cuspide primo sublatum, mox proprio pondere medio tenus hastili demersum.

V. 247. *Teneræ liquuntur vulnere malæ.* — Hypallage, pro: *sanguis liquitur*, defluit, *e malis. Vulnere* est pro *sanguine.* Simpliciter dixerat Virgilius, Æn. III, 28: *huic atro liquuntur sanguine guttæ*: quam locutionem, quum imitaretur Valerius, ad morem poeticum refinxit. *Liquuntur*

quidam explicant *franguntur, dissolvuntur:* perperam Burmannus putat verbum *liquitur* hoc ultimo sensu Lucretium sæpe adhibuisse. *Liquitur* apud Lucretium bis tantum occurrit, II, 1131: *in partem pejorem liquitur ætas;* IV, 1237: *Liquitur extemplo, et revocatum cedit ab artu.* Neutrubi significationem Burmanni reperio.

V. 250.................. *nec fragmina curat*
Ambenus, et trunca medium subit Otrea ligna.

Subit Wagnerus interpretatur *invadit.* Si nihil aliud quam *invadere, aggredi,* hoc significaret, auctor, quum nil amplius de illo congressu dicat, desiderandum aliquid relinqueret. *Subit,* mea quidem sententia, est pro *configit;* quem sensum confirmat vox *medium,* eam corporis partem designans, quæ plagam accipit. Genuinam hanc esse hujus loci interpretationem reor quidem, nusquam tamen alias *aliquem telo subire* hoc sensu reperi.

V. 252. *Seminecem Taxes Hypanin vehit, atque remissum*
Pone trahit fugiens, et cursibus exuit hastam.

« *Vehit,* proripit, *remissum,* debilitatum, viribus defectum ». Sic Wagn. V. supra n. 243. *Vehit* h. l. proprie dicitur, uti supra, v. 72, imago cervæ celsi *vehitur* gestamine conti. *Remissum* significat: *deorsum,* ut cadat, *versum;* omnisque sensus hic est: Taxes Hypanin ima lancea vectum, sublatum, demittit curritque, ut hastam e corpore extrahat. Facit ad hanc interpretationem sequens Tullii locus, de Divin. I, 123: *ramus adductus, quum remissus esset, in oculum incidit.* — *Et cursibus exuit hastam.* Sic Statius, Theb. IX, 287: *Magnoque e vulnere telum Exuit ipse gemens.*

V. 254. *Dumque recollectam rursus locat.* — *Recollectam.* Conf. supra, v. 237: *docilis relegi docilisque relinqui. Rursus locat,* reponit loco suo ad genua, ut supra vidimus, v. 236: *Abies obnixa genu.*

V. 256. *Impulit adverso præceps equus Onchea conto,*
Nequidquam tatis revocantem viribus armos.
In latus accedit sonipes, accedit et ipse
Frigidus; arma cadunt, rorat procul ultima cuspis.
Qualem populeæ fidentem nexibus umbræ
Si quis avem summi deducat ab aere rami,
Ante manu tacita cui plurima crevit arundo;
Illa dolis viscoque super correpta sequaci
Implorat ramos, atque irrita concitat alas.

« *Præceps,* ait Burmannus, i. e. *in caput ruens,* ut recte Pius ». *Præceps,* « in genua procidens », explicat Wagnerus. Quem sensum si quis admiserit, non poterit ea quæ sequuntur intelligere. *Præceps,* hoc, puto,

significat, equum effrænato impetu efferri, quantumvis renitatur eques. Sic Virgil. Æn. V, 144:

> Non tam *præcipites* bijugo certamine campum
> Corripuere, ruuntque effusi carcere currus.

Et Georg. III, 236: «*præceps*que obliquum fertur in hostem». *Adversus contus* est hasta in quam Onchea suus impingit equus. *Impulit adverso conto* est pro *impulit in adversum contum*. Burmannus putat Oncliea, quum hastam in hostem protensam teneret, equo labente, in terram effundi. Tum vero quid significant sequentia, *rorat procul ultima cuspis?* Præterea longior est hasta quæ vocatur *contus*, quam ut Oncheus cadens propria cuspide se induat. — *In latus accedit sonipes*. Hæc verba docent equum ab latere in ferrum incurrere, quod et ipsum et equitem transfodit. Auctor supra, v. 244, usus est verbo *descendit*, quo ponderis gravitatem exprimeret: *accedit* contra indicat equum, dum procedit, ipsum se ac proprio impetu lanceæ cuspide induere, quam hostis nil aliud quam protensam tenet, quemadmodum auceps, de quo statim infra, nil aliud quam porrigit arundinum ordinem, quarum summa visco illita est. Ita, cum priori membro cohæret illa comparatio, quam ideo reprehendit Wagnerus, quod prius membrum secus ac nos intellexerat. Hostis contum porrectum tenens comparatur aucupi substructas arundines porrigenti; Oncheus cum equo in hastæ ferrum se immergens, similis est avi quæ corripitur visco. Præterea (non enim timeo ne similia curiosius aucupari videar in hâc comparatione, quæ similitudine carcere falso credita sit) hinc lanceæ ferrum, illinc arundo visco illita, hinc hastile ferro aptatum, illinc arundines substructæ, sibi invicem respondent. — *Rorat procul ultima cuspis*. Post *rorat* subaudi *sanguine*, qui exprimitur hoc Valerii loco, V, 75:

> .... his Bacchus in undis
> Abluit Eoo *rorantes sanguine* thyrsos.

Τὸ *nexus umbræ* significantius est quam *umbra*. *Fidentem*, merito: quid enim periculi volucris tam denso ramorum quasi textili circumfusa cogitaret? — *Ab aere rami*. Sic Virgil. Georg. II, 123:

> .... ubi *aera* vincere summum
> *Arboris* haud ullæ jactu potuere sagittæ.

V. 265. *Parte alia infestis (nam fors ita junxit) in armis*
Stirus adest, lætusque virum cognoscit Anausin,
Et prior.

Anausis, Alanorum et Heniochorum rex, Medeæ connubium frustra petiverat; quæ quidem Stiro, Albanorum regi, desponsa fuerat. Miror nulli editorum in mentem venisse legere *Anausis*. Oratio enim sequens Anausi, non Stiro, convenit. Præterea Stirum, pacta Medea, voti com-

potem, cum irato competitore invitum, nedum *lætum*, congredi verisimile est; Anausin contra repulsæ impatientem, vindictæ occasione lætari.

V. 274. *Ad soceros pactæque sinas en conjugis, inquit,*
Stire, fugis.

Ad soceros. Et socerum et socrum intellige. Sic Virgilius, Æn. II, 455:

.... infelix qua se, dum regna manebant,
Sæpius Andromache ferre incomitata solebat
Ad soceros, et avo puerum Astyanacta trahebat.

V. 277. *Dixerat, extremus quum lumina corripit error.* — Sic Statius, Theb. XII, 777: « Ille oculis *extremo errore* solutis Labitur ». Id. Silv. V, 1, 170: « Jamque cadunt vultus, oculisque *novissimus error* ».

V. 278. *Voxque repressa gelu.* — *Gelu* pro *frigore*. Virg. Æn. XII, 951: *Ast illi solvuntur frigore membra.*

V. 294.................. *magnique sacerdos*
Phasidis Arctois Aquites errabat in armis.

Arctois in armis, i. e. *in acie Scythica.*

V. 304. *Ille manum trepidans atque irrita sacra tetendit.*—Videtur auctor ob oculos habuisse hunc Virgilii locum, Æn. II, 129:

.... nec te tua plurima, Pantheu,
Labentem pietas nec Apollinis infula texit.

V. 308. *Genitor turpi durare senecta.* — Confer, V, 24: *Duret ut invalidis et adhuc genitoris egeais.*

V. 313. *Præda future canum. Juveni sors pulchrior omni;*
Et certare manu decet, et caruisse sepulcro.

Caspii defunctorum cadavera in desertis locis projiciebant inhumata; quo facto, seorsum digressi, speculabantur eventum. Si volucrum præda fieret corpus, bene erat: a canibus aut feris devorari luctuosum habebatur. Hac opinione imbutus Gesander, non *carere sepulcro*, sed *a canibus vorari* acerbum habet, nec pugnantia loquitur, hinc hostem irridendo, tanquam *præda canum futurus sit*, illinc profitendo *decorum esse carere sepulcro*. — *Juveni sors pulchrior omni.* Non satis sibi faciunt hoc loco Burmannus ac Wagnerus. Ego quidem sic intelligo: *decet omni juveni certare manu*, etc. interpunctione sic mutata:

.... Juveni, sors pulchrior! omni
Et certare manu decet, et caruisse sepulcro.

V. 323. Confer huic orationi verba Numani ad Trojanos apud Virgil. Æn. IX, 598 sqq.

V. 325. *Altricemque nivem*. Confer Virgil. Æn. III, 273:

> Et terram altricem sævi exsecramur Ulyxi.

V. 339. *Prædarique juvat.* — Virg. Æn. IX, 613:

> Comportare juvat prædas, et vivere rapto.

V. 340. *Dixit, et Edonis nutritum missile ventis*
Concitat.

Edoni, nomen cujusdam gentis Thraciæ, quo sæpe apud poetas universæ Thraciæ designantur incolæ. Sic Virgil. Æn. XII, 365:

> Ac velut Edoni Boreæ quum spiritus alto
> Insonat AEgæo.

Sic supra, v. 324, *Argive*, pro *Græce*.

V. 351. *Et Graio pœnam de corpore poscens.* — Quærit Burmannus quænam ista sit pœna, quam de cadavere quisque poscebat. Mos erat Barbaris hosti caput amputare, et in modum triumphi præferre. Potest Valerius hunc morem hoc loco respexisse.

V. 352. *Medioque in corpore pugna Conseritur.*—Durum hoc videtur Burmanno, ita nimirum intelligenti, quasi institerint corpori Græci et Scythæ; quod fieri potuisse non negat, si gigantea mole fingatur Canthus. Præpositionem *in*, quæ videtur hic esse pro *de*, nimis ad verbum accepit Burmannus.

V. 353.......... *Magno veluti quum turbine sese*
Ipsius Æoliæ frangunt in limine venti,
Quem pelagi rabies, quem nubila, quemque sequatur
Ille dies.

Vitii non unius, obscuritatis saltem arguit hunc locum Burmannus, cui nec *Æolia*, nec *in limine*, nec *ille dies* placent. Ego vero, quæ mea est interpretandi vel levitas, vel facilitas, omnia, ne literula quidem mutata, intelligere mihi videor. Quidni enim Æoliam, quam absolute sic positam pro regione, unde venti emittantur ab Æolo, apud Veteres sese negat invenisse Burmannus, oblitus tamen Virgilii, quem Valerio obversatum omnino mihi persuadeo, Æn. I, 52, et ipsius Nostri, I, 576, quidni, inquam, Æoliam, totam nempe insulam pro antro (*Æoliam portam* ipse Noster habet I, 654) carceribusque, quibus ibi conclusos tenebat ventos Æolus, ponere poetam voluisse credamus? *Eubœa* deinde, quam Æoliæ loco substituere mavult Batavus Criticus, nihil profecerit ad lucem loco affundendam; immo vero obscuritas augetur eo, quod tum non nisi contorte exponere possis, quid sibi velit in *limine Eubœæ*. Denique *ille dies* nullum sensum facere eidem videtur, malitque legere *mille vices*; quod quam parum necessarium sit, statim apparebit. Ego

igitur, qui mihi legem scripsi eam, ut non nisi proprio, quod aiunt, Marte, eruto utcumque sensu, notas Harlesianæ editioni subjectas inspicerem, mentem poetæ percepisse sic recte mihi videbar: Magno cum strepitu venti in ipsius Æolii antri limine ad clatbros (*claustra*, Virgil. Æneid. I, 56) frangunt sese, premunt, urgent, alter alterum proturbat, de eo decertantes, quem pelagi rabies, quem nubila, quemque sequatur ille dies, h. e. cui hoc die pareant, obtemperent, cedant maria et nubila, cui concedatur maria in fluctus tollendi nubesque cogendi potestas, vel, quod idem est, qui hoc die per maria et aerem dominetur ». Sic Wagnerus. Recte.

V. 367. *Ille iterum in clypei septemplicis improbus orbem Arietat.*

Virg. Æn. XI, 890: *Arietat in portas.*

V. 378. *Quum regina, gravem nodis auroque securim*
Congeminans, partem capitis galeæque ferinæ
Dissipat.

In Wagneri commentario, v. 378, pag. 36, pro *congeminatn*, lege *congeminnt*. — *Galeæque ferinæ*. Gesandri galea e ferina pelle confecta erat, quemadmodum galeæ de quibus Virgilius, Æn. VII, 688: *fulvosque lupi de pelle galeros*; Æn. XI, 680:

. . . . caput ingens oris hiatus
Et malæ texere lupi cum dentibus albis.

V. 381. *Ille diu conjectis sufficit hastis.*—Virg. Æn. IX, 810: *nec sufficit umbo ictibus.*

V. 383. *Tunc ruit, ut montis latus, aut ut machina muri,*
Quæ scopulis trabibusque diu confectaque flammis
Procubuit tamen, atque ingentem propulit urbem.

Hanc Valerii comparationem imitatus est Statius, Theb. IX, 554:

. . . . ruit haud alio quam celsa fragore
Turris, ubi innumeros penitus quassata per ictus
Labitur, effractamque aperit victoribus urbem.

In *machina muri*, respexit forsan Valerius ad hunc Virgilii locum, Æn. IV, 88:

. . . . minæque
Murorum ingentes, æquataque *machina* cælo.

V. 394. *Diluvio tali, paribusque Ariasmenus urget*
Exscidiis, nullo rapiens discrimine currus.

« *Diluvio tali*. Hoc reprehendit Dorvillius ad Charitonem, pag. 552, ed. Lips. eam ob causam, quod propria et metaphorica locutio misceatur

in ea ipsa re, in qua jam instituta fuisset comparatio; hoc enim idem esse, ac si dixisset: quali diluvio; tali diluvio, secundo loco igitur ponendum fuisse *tali impetu*, vel simile aliquid. Recte, sed tota comparatio claudicat, et merito a J. C. G. Ernesti in Comment. 2 de elocution. poetarum latinorum vett. luxurie, pag. 90, in iis numeratur, quæ a rebus nimium dissimilibus sint petitæ. « Ut aliqua, sic ait, similitudo esset, ipse poeta addit: *diluvio tali, talibus excidiis*. Sed jam illud « profecto contortum est et frigidum, quod excidium diluvium dicit. « Nempe antea de Ariasmeno dixerat *sæva diffundit socium juga*. Hæc « sola *diffundendi* notio causa fuisse videtur, cur de diluvii imagine « cogitaret ». Sic Wagnerus.

V. 402. *Romanas veluti sævissima quum legiones*
Tisiphone regesque movet, quorum agmina pilis,
Quorum aquilis utrimque micant.

Confer Lucanum, Pharsal. I, 6:

.... infestisque obvia signis
Signa, pares aquilas, et pila minantia pilis.

V. 414. *Quos radii, quos frena secant.* — Videtur ex his verbis, *quos frena secant*, equorum frena secantibus laminis fuisse instructa. Obscura et singularis nobis videtur Wagneri interpretatio.

433. *Increpat et sævis Vulcanum mœsta querelis,*
Cujus flammiferos videt inter regia tauros
Pascua tartaream proflantes pectore noctem.

Cujus docet illos tauros opus Vulcani fuisse.

V. 452.... *medio quam si stet in agmine flammæ,*
Nullum mente nefas, nullos horrescere visus.

In lectione *quam si stet* nullus est sensus. Varias lectiones vide, quarum potissima nobis videtur *quæ staret*. — *Agmine flammæ*. Simili locutione dixit Virgilius, Georg. I, 322, *agmen aquarum*.

V. 455. *Hinc Veneris thalamos, semperque recentia sertis*
Tecta petit.

Confer Virgil. Æn. I, 416:

, ... ubi templum illi, centumque Sabæo
Ture calent aræ, *sertisque recentibus* halant.

Claudiani locum, de quo Wagnerus, bic inserere nobis erat propositum: quem deinde fusiorem nacti, lectorem ad ipsum Claudianum inviti relegamus.

V. 464. *Nullus honor thalamis, flammæve in nocte priores.*—Hunc versum Adolphus *Dureau de Lamalle* sic expressit :

Son cœur est sans tendresse, et ses nuits sans amour.

Egregie, ut multa.

V. 465. *Da, precor, artificis blanda aspiramina formæ.* — Per *aspiramina formæ*, ipsum cestum intelligit male Wagnerus. Hæc nobis videntur capienda tantum de pulchritudine, ac de illecebris quibus adjuvari potest ipsa pulchritudo, versumque omnem sic resolvimus : *da aspiramina*, mihi aspira, infunde, *artificem formam, une beauté qui séduise, qui inspire de l'amour par des caresses adroites;* omnis forma blandis artibus ad vincendum eget atque utitur : ipsa Venus artem nunquam negligit. Vide Ovid. De Art. Am. passim : Persius, Sat. V, 40, *artificem vultum;* Cic. II, de Nat. Deor. *artificem naturam* dixit.

V. 466. *Ornatusque tuos.* Hæc ad cingulum Veneris referenda sunt, de quo mox ad vs. 470.

V. 467. *Sensit diva dolos.*—Virgil. Æn. IV, 105 : « *Sensit* simulata mente locutam »; et v. 128 : « petenti Annuit, atque *dolis* risit Cytherea repertis ».

V. 470. . . . . . . *Dedit acre decus, fecundaque monstris*
Cingula, non pietas quibus aut custodia famæ,
Non pudor, at contra levis et festina cupido,
Affatusque mali, dulcisque labantibus error,
Et metus, et demens alieni cura pericli.

Hanc cinguli divini formam quam Valerius Homero, nonne Homerus ipsi Veneri surripuisse vere videtur? Iliad. XIV, 214 :

Ἦ, καὶ ἀπὸ στήθεσφιν ἐλύσατο κεστὸν ἱμάντα,
Ποικίλον· ἔνθα δέ οἱ θελκτήρια πάντα τέτυκτο·
Ἔνθ' ἔνι μὲν φιλότης, ἐν δ' ἵμερος, ἐν δ' ὀαριστὺς,
Πάρφασις, ἥτ' ἔκλεψε νόον πύκα περ φρονεόντων.

Quid speciosius inventum? quid jucundius descriptum? hoc enim commentum prior Homerus excogitavit, et ita propriis coloribus ornatum suo signavit ingenio, ut Virgilius Homeri assiduus imitator illud tangere præ summa admiratione metuerit. O summum et immortalem Iliados conditorem, quem capite angusto, tanquam Olympo sedentes suo deos gerere dixeris; adeo, eximium illud ingenium, facultates quæ videntur dissociabiles a natura sortitum, res amœnas blande ac molliter, grandes vero elate ac vehementer, tractavit, in utrisque perfectum!

Hunc Homeri locum sic imitatus est *Torquato Tasso*, *Gerusalemme liberata*, canto XVI, ottava 24 :

Ma bel sovra ogni fregio il cinto mostra,
Che neppur nulla ha di lasciar costume.
Diè corpo a chi non l' ebbe; e quando il fece,
Tempre mischiò, ch' altrui mescer non lece.
Teneri sdegni, e placide e tranquille
Repulse, e cari vezzi, e liete paci,
Sorrisi, parolette, e dolci stille
Di pianto, e sospir tronchi, e molli baci:
Fuse tai cose tutte; e poscia unille,
Ed al foco temprò di lente faci;
E ne formò quel sì mirabil cinto
Di ch' ella aveva il bel fianco succinto.

Uterque, Latinus nempe et Italicus poeta, hunc ornatum a poetarum principe mutuatus, proprium fabulæ suæ ad usum refinxit, et quasi ad staturam suæ quisque heroinæ aptavit.

Quamvis a proposito jam longius digressi, pauca tamen de Italico imitatore, bona lectoris venia, libenter addemus. Hunc igitur Torquati locum nonnulli vituperaverunt, vitio vertentes auctori quod vanas species, corporum instar adhibuisset, vel (ut ipsa Torquati verba in ipsum retorqueam) quod *diè corpo a chi non l'ebbe, e tempre mischiò che mescer non lece*: iis nempe displicebat illa rerum forma carentium fusura; quæ tamen gravibus exemplis potest defendi. Neque miretur lector quod illi loco, in quo *romanticum* dicendi genus deprehenditur, nos classicorum scriptorum editores, ac proinde *classico* dicendi generi tanquam professione ac voto addicti, patrociuari non dubitemus: nunc enim, omissa ipsa lite, exempla tantum afferemus, quæ valeant ad cognitionem causæ, neutris partibus ipsi publice faventes. Confer igitur hunc Ovidii locum, quem forsan ob oculos habuit Torquatus; Metam IV, 499:

Attulerat secum liquidi quoque monstra veneni,
Oris Cerberei spumas, et virus Echidnæ,
Erroresque vagos, cæcæque oblivia mentis,
Et scelus, et lacrymas, rabiemque, et cædis amorem;
Omnia trita simul, quæ sanguine mista recenti
Coxerat ære cavo, viridi versata cicuta.

Hinc *omnia trita simul*, illinc *fuse tai cose tutte*, sunt prorsus similia. Ovidio accedit Virgilius auctoritate graviori; Æn. VIII, 429:

Tres imbris torti radios, tres nubis aquosæ
Addiderant, rutili tres ignis et alitis austri.
Fulgores nunc terrificos, sonitumque, metumque,
Miscebant operi, flammisque sequacibus iras.

Audacior Virgilius, res admodum dissimiles una commiscet, alias sensibus subjectas, quales *imbris radios*, *flammas*, etc. alias vero inanes et incorporeas, quales *metum* et *iras*.

Præterea tuetur Italum vatem etiam Homerus loco supra laudato: nam τέτυκτο, v. 215, significat *fabricata erant:* num autem ἵμερος (pruritus), num ὀαριστὺς (gall. *le tête-à-tête*) potest fabricari? Similis igitur apud utrumque locutio, nisi quod alter verbo *fabricare*, alter verbo *fundere* usus est.

V. 503. *Ast illæ murorum extrema capessunt.* — Sic apud Homerum (Il. III, 150) Helene, apud Ovidium (Metam. VIII, 19) Scylla, pugnantes e turris fastigio despectant.

V. 512. *Victores contra patrium Pæana Geloni*
Congeminant.

Gelonos auctor in copiarum enumeratione omisit: *Scythas* omnino hoc nomine profecto designat.

V. 514. *Qua deus et melior belli respexit imago.* — Confer Ovid. Metam. I, 21: *Hanc deus et melior litem natura diremit;* et Virgil. Æn. VIII, 557: *et major Martis jam apparet imago.*

V. 515. *Quis tales obitus dederit.* — *Obitus dare* et *dare funera*, similia; quarum posterior locutio bis apud Virgilium occurrit, 1° Georg. III, 246-247, 2° Æn. VIII, 570-571.

V. 522. *Proterit impulsu gravis agmina, corporaque atris*
Sternit equis.

Virgil. Æn. XII, 329:

Semineces volvit multos, aut agmina curru
Proterit.

V. 525. *Squalentesque ære lacertos.* — Hæc verba videntur indicare brachialium quoddam genus ex ære ferrove confectorum Aroni fuisse.

V. 526. *Barbarica chlamys ardet acu, tremefactaque vento*
Implet equum.

Ardere hic dicitur eodem sensu quo sequenti Virgilii loco, Æn. IV, 262: *Tyrioque ardebat murice læna.* — *Tremefactaque vento Implet equum.* His egregie pingitur impulsus venti, chlamydisque amplitudo, totum equi tergum sinibus circumplexæ.

V. 536.... *pavidos te, inquit, nunc rere magistros*
Et stolidum petiisse pecus.

Virg. Æn. VIII, 686: *Silvis te, Tyrrhene, feras agitare putasti.*

V. 545. *Atque hos in medio duri discrimine belli.*— « Cur *hos*, inquit Wagnerus, quum de uno sit sermo »? — Cur de uno sermonem esse putat Wagnerus, quum *proles Æetia Phryxi* constet e quatuor liberis, Phrontide scilicet, Argo, Mela, et Cytisoro?

V. 547. *Macte, ait, o nostrum genus, et jam certa propago*
Æoliæ, nec opina, domus.

Nec opina Adolph. *Dureau de Lamalle* intelligit *et inopina*. Egregie inventum. Ea vox quæ antea nil aliud videbatur quam frigida vocis *certa* repetitio, nunc bene intellecta, brevi illi Jasonis hortationi vim et significationem addit: filios enim Phryxi Jason, quippe quos non antea novisset, tales se inventurum esse non speraverat.

V. 553. *Ingenti porrigit arvo.* —Virgil. Æn. IX, 589: *ac multa porrectum extendit arena;* Ovid. Metam. VIII, 422: *Immanemque feram multa tellure jacentem.* Notat Burmannus in his locutionibus, *ingenti arvo, multa arena, multa tellure*, ex spatio terræ, quod cadavera occupant, illorum staturam ingentem colligi.

V. 554. *Peditem pedes haurit Amastrum.* — *Haurit:* subaudi *gladio*. Sic Virgil. Æn. X, 314: *gladio latus haurit apertum.*

V. 555. *Sanguinis ille globos effusaque viscera gestat.* — Ovid. Met. XII, 238: *Sanguinis ille globos pariter, cerebrumque merumque.*

V. 561.......*tandem dulces jam cassus in auras*
Respicit, ac nulla cœlum reparabile gaza.

Cassus, i. e. spe frustratus, quod mercede pacta non potietur. Adolph. *Dureau de Lamalle* post *cassus* subaudit *sanguine*. Posset quoque intelligi *cassus* tanquam *incassum*, hoc sensu: frustra lucem respicit: jam mors ejus oculos claudit. *Tandem* potest jungi cum *dulces:* respicit in auras *nunc tandem* dulces, sed frustra (*jam cassus*): jam serius est. *Nunc tandem dulcis* Rhipeo dicitur vita, quod vitæ pretium antea non satis cognoverat, quam pro mercede periculis objecisset. — Recte notavit Buchnerus, potuisse dicere poetam: *nullis opibus reparabile cœlum*, sed grandius et numerosius visum *gaza*, Virgilii exemplo.

V. 564. *Tunc quoque materna velatus arundine Peuceon.*—Virgil. Æn. V, 72: (Æneas) *velat materna tempora myrto.*

V. 570. *Primævus Helix.* — *Primævus*, primo ævo, adolescens, non primogenitus, in quo erraverunt omnes Gallici interpretes hoc Virgilii loco, Æn. IX, 545: *quorum primævus Helenor.*

V. 610.... ....*ac se super agmina tollit,*
Quantus ubi ipse gelu magnoque incanuit imbre
Caucasus, et summas abiit hibernus in Arctos.

Confer Virg. Æn. XII, 701:

> Quantus Athos, aut quantus Eryx, aut ipse, coruscis
> Quum fremit ilicibus, quantus, gaudetque nivali
> Vertice se attollens pater Apenninus ad auras.

Simplicior quidem ac pulchrior mihi videtur Valerii comparatio. Grandior apparet Caucasus solus, quam tres illi montes quorum Virgilius, ut ita dicam, alterum alteri supergerit. Præterea cohæret aptius cum præcedentibus (*ac se super agmina tollit*) Valerii comparatio. — *Magnoque intonuit imbre.* Confer cum *canis aquis*, V, 307-308.

V. 619. *Caput eripit Auchi*, Cimmeriorum regis; vide supra v. 60.

V. 621. *At genitus Jove compleret sua fata Colaxes.* — Colaxes, Bisaltarum rex, filius erat Jovis et Horæ, nymphæ; vide supra v. 48.

V. 624. *Hei mihi, si duræ natum subducere sorti*
Moliar, atque meis ausim confidere regnis.

Quod apud Valerium ipse sibi Jupiter, hoc apud Homerum Juno Jovi objicit, Il. XVI, 440 sqq. quem locum imitatus est Noster.

V. 654........................*lapsoque cruentus*
Advolat Æsonides, mortemque cadentis acerbat.

Lapso advolat. Sic Virgil. Æn. XII, 356: *Semianimi lapsoque supervenit.* — *Acerbat.* Sic Statius, Theb. IX, 302: *Sic premit adversos, et acerbat funera dictis.* Laudandus quod hæc acerbe dicta prætermisit Valerius. Omnis ille locus incitatione et motu plenus est, egregiisque locutionibus abundat, quibus singulis immorari longioris esset negotii. Festinat auctor ad Medeam in Jasone defixam redire.

V. 658. *Persequitur lustrans, oculisque ardentibus hæret.* — Virgil. Æn. I, 717: *Hæc oculis, hæc pectore toto Hæret.*

V. 664. *Ac velut ante comas*, etc. — *Ante* pro *antea, primum*, quum primum exoritur.

V. 673. *Quem pectore toto Jam tenet.* — Virg. Æn. VII, 356: *Necdum animus toto percepit pectore flammam.*

V. 696. *Ipse pharetratis residens ad frena tapetis.* — *Residens ad frena* Wagnerus explicat: *currum regens.* Sed currum regere armigeri munus erat: vid. ex. gr. Virg. Æn. II, 476: *et equorum agitator Achillis Armiger Automedon.* Quomodo sagittare simul et aurigare potuisset Myraces? *Residens ad frena* igitur significat: assidens ad latus armigeri quem penes erant *frena*, habenæ.

V. 710. *Liquidoque parens signaverat auro.* — Vide Casaubonum ad Capitolini Verum, cap. 10. *Liquidum aurum* potest etiam esse unguentum aureo colore.

C. VALERII FLACCI

SETINI BALBI

ARGONAUTICON

LIBER SEPTIMUS

LIBRI SEPTIMI

ARGUMENTUM

ÆGIDIO MASERIO

AUCTORE.

Medeam urit amor: promissum perfidus aurum
Rex Æeta negat; nisi serpens martia justo
Congressu ignotam fateatur victa quietem,
Et juga flammivomi subeant nisi ferrea tauri,
Terrigenæque armis cedant: mirata parentem
Phasias ingratum Cythereo proditur æstu,
Et juvenis miserata necem sublimia linquit
Mœnia: datque herbas, virosa aconita, novercis
Cognita Thessalicis: thalamos non spernit Iason.
Fatales panduntur agri, taurique domantur:
Vomere vertuntur glebæ; ferus emicat arvis
Miles, et effusis fratrum cadit ense venenis.

C. VALERII FLACCI
SETINI BALBI
ARGONAUTICON
LIBER SEPTIMUS.

ANALYSIS LIBRI SEPTIMI.

Post epulas in palatio ad seram noctem protractas utrimque tandem disceditur; Medea autem insomnem transigit noctem, variis animi agitata motibus, quorum causam Jasonem esse sibi ipsa quidem fatetur, nec tamen, qua ratione optati compos fiat, perspicit, 1-25. Postridie Jason regem victoria lætum denuo adeundum ratus, nil aliud, quam sponte sibi aureum vellus oblatum iri, sperat, 26-31. Frustra: rex enim denuo audaciam impudentiamque Jasoni exprobrat, qui terris e longinquis nil nisi prædo advenerit, ut donaria e templis, natasque, si dis placeat, rapiat atque secum abducat. « Si tamen, sic pergit, perstas, age, tauros in agro ad urbem sito ignivomos aratro jungas, nec deerunt, quæ per sulcos spargas, semina. Tecum igitur tuisque, quos jactas, cum diis perpende; nec nisi unius moram noctis tibi concedo », 32-77. Medea ad hæc patris crudelia jussa contremiscit pallida, timetque de hospite, qui, quæ pericula ipsum maneant, fortasse ignorat, 78-81. Jason duris verbis increpat tyranni perfidiam, nihilque se reformidare confirmat, quidquid Peliæ Æetæque horumque similes tyranni omnes sibi imponant; et sic ex aula se proripit, 82-102. Vix attollere vultum ausa Medea oculis tamen prosequitur abeuntem, qui numquam antea tam pulcher tamque admirandus esset visus. Jam vero mox sperat, fore, ut patrem sævi jussi pœniteat, mox in sororis, comitum matrisve sinu curas deponere gestit, patrisque solito blandius manus osculatur; subinde totum Jasonem animo excutere allaborat. Tandem somno se dare cupit, in quo tamen ipso modo hospitem, modo patrem supplices sibi videt fieri, 103-152. Ad hanc animo Medeæ inconstantiam evellendam Juno Veneris auxilium denuo implorat, 153-170. Venus

ita facilem se præbet, ut totum ipsa negotium in se suscipere velle promittat, postulat tamen, ut Jasonem per Iridem jubeat in luco ad urbem adesse. Iris igitur Jasonem, Venus Medeam adit; Juno in Caucaso considet monte, rei eventum exspectatura, 171 - 192. Eminus adhuc vim exerit Venus in Medeam, quæ et secum ipsa, et cum Jasone loquens inducitur, 193 - 209. Jam Venus, assumpta Circes amitæ specie, lecto assidet Medeæ, eidemque de felici post longam absentiam in patriam reditu lætanti suadet, ut patrio solo sese nolit continere, immo suo admonita exemplo alias terras, si ita occasio ferat, non aspernetur. «Vide, inquit, me Tusci maris reginam, te vero, si domi desideas, quam belluli manent proci, Sarmatæ, Hiberi, Geloni!» 210-236. «Apage vero, respondet Medea; ast alia, nescio quæ, mordet animum cura, quam tu mihi levare potes; sed video, nec te posse». Quibus dictis lacrymans caput in Veneris condit sinu, 237 - 253. Propius nunc ad rem accedit Venus, et inter alios sermones hæc narrat: «Dum huc advolarem, vidi ad urbem navim abitum parantem, ex qua prodiit juvenis formosissimus, qui, quum unam ex comitibus tuis me esse opinaretur, suæ apud te sollicitudinis interpretem me voluit esse, mandavitque, ut ad auxilium sibi ferendum apud te intercederem. Addixi, tuque noli, quæso, fidem nomine tuo datam fallere», 254 - 291. Tantum vero abest, ut his commoveatur Medea, ut potius ira excandescens vix manus ab amita contineat, aures cervicali obruat, morique malit, quam impia in patrem esse, 292 - 299. Perstat Venus, sequi se jubet; et in portis præstolari velle promittit Medea sibi relicta, primo quidem domo excedere nolle certa, mox tamen fluctuare incipit, donec januæ cardines denuo motos audire sibi videtur, 300 - 322. Prævalente sensim amoris sensu, penetrale intrat, ubi medicamina condere solebat, herbas quæsitura, quibus Jasoni fortasse utilem præstare operam possit. Redit aliquantisper pudor, quo fit, ut sibi ipsa malit veneno mortem consciscere; mox tamen juventutis et suæ et Jasonis memor, patrem incusare incipit, qui fidem hospiti datam fraudulenter fefellerit, 323 - 346. Quam paullo ante tantopere aversata erat Circen, ultro jam, ut in servando Jasone se adjuvet, optat, herbasque promit exquisitissimas, 347 - 370. Tandem media nocte, comite blandiloqua Venere, palatium relinquit trepida, ad portam urbis semel adhuc dubitat, pergit tamen inter cantus magicos, donec ad lucum venit, unde statim provolat Jason; quo facto, et Iris et Venus in Olympum redeunt, 371 - 399.

Attoniti utrique amantes contra se stantes silent; prior silentium rumpit Jason, querulus tamen magis justæque confidens causæ, quam supplex, 400-430. Ad hæc Medea præ pudore vix loqui sustinens, ita tandem respondet, ut sua ipsius virtute, vel dearum auxilio Jasonem malit periculis sese expedire; misericordia tamen ductam medicamina quædam secum allata ait tradere velle, 431-460. Cupide hæc arripit Jason; usum eorum edocet Medea, arma cantibus consecrat magicis, ipsumque inviolabilem reddit, 461-472. Inter hæc subit animum, fieri tamen posse, ut Jason accepti beneficii immemor se deserat; quod numquam se facturum hic promittit sanctissime, 473-510. Ut, quam timidus sit velleris custos draco, Jasoni experimentum daret Medea, turbat illum, furentem reprimit, et tandem in urbem revertitur, 511-538. Interea rex Æetes noctu salutem fuga petiisse Jasonem ratus, primo mane Echiona Argonautam, qui Jasonem pugnæ paratum stare nuntiet, adesse videt; tauros igitur emitti, et semina promi jubet, 539-663. Ruunt e stabulis tauri, et per campum grassantur; coerciti tamen junguntur aratro, 564-606. Æque feliciter prognatos a semine sparso terrigenas, adjuvante Medea, obtruncat Jason, vel ita committit, ut se invicem ipsi conficiant, 607-639. Æetes stupet; et Jason clamore sociorum lætantium excipitur, 640-653.

Te quoque Thessalico jam serus ab hospite vesper
Dividit, et te jam tua gaudia, virgo, relinquunt,
Noxque ruit, soli veniens non mitis amanti.
Ergo ubi, cunctatis extremo in limine plantis,

2. *Et jam te tua g.* Vatic. cod. *et tua jam te g.* Ald. — 4. *Contactis.* Bonon. cod. et edd. ante Carr. *Extrema.* Vitiose Engent. et filiæ. Conf. Burm. not. Ed.

1. Medea noctem insomnem transigens ipsa quidem amorem in Jasona sibi fatetur, eumdem tamen animo excutere tentat eo, quod, qua ratione usu ejus et consuetudine in posterum fruatur, non videt. In fine superioris libri vespera pugnas diremerat, jam ipsa nox ingruit, *soli veniens non mitis*, tristis, *amanti.*

4. *Cunctatis extremo in limine plantis.* Satis amplas notas adscripserunt interpretes, quibus carere facile me posse credidi, si, quæ poeta narrare omisisset, supplerem. Nempe verisimile mihi visum, Absyrtum, regis filium, cum Jasone ceterisque heroibus palatium regis lætum victoriæ nuntium afferentes intrasse, omnesque lautis exceptos epulis fuisse, quibus et interfuerat Medea (nam postero die itidem adfuit, v. 78), quæ, quum sera tandem nocte discedendum esset, in limine tamen cœnaculi paululum constitit, et semel adhuc *ad sua*

Contigit ægra toros, et mens incensa tenebris,
Vertere tunc varios per longa insomnia questus,
Nec pereat quo scire malo; tandemque fateri
Ausa sibi, paullum medio sic fata dolore est:
« Nunc ego quo casu, vel quo sic pervigil usque
Ipsa volens errore trahor? non hæc mihi certe
Nox erat ante tuos, juvenis fortissime, vultus.
Quos ego cur iterum demens iterumque recordor,
Tam magno discreta mari? quid in hospite solo
Mens mihi? cognati potius jam vellera Phryxi
Accipiat, quæ sola petit, quæque una laborum
Causa viro. Nam quando domos has ille reviset?
Aut meus Æsonias quando pater ibit ad urbes?
Felices, mediis qui se dare fluctibus ausi,

6. *Vario.* Vatic. cod. unde *vario...questu.* Heins. — 7. *Ne pereat.* Bonon. cod. *Nec poterat.* Bonon. I et II. Junt. Maser. Engent. Ald. *Scire modo.* Carr. cod. et ed. II. Vet. Paris. *Scire malo.* Vat. Bon. codd. et edd. ante Carr. II, nec aliter clar. Harles. — 10. *Non ergo mihi.* Bonon. cod. *Non ego mihi.* Burm. cod. — 16. *Jam quando.* Bonon. cod. Ed.

gaudia, dilectum Jasonem, respexit.

5. *Contigit ægra toros*, thalamum, *et mens incensa tenebris.* De oxymoro, spero, h. l. non cogitavit poeta, quanquam infra, v. 73, *tenebras flammasque*, et, v. 565, *ardentes tenebras* jungit; nil nisi hoc voluit: per silentium noctis, ubi rebus externis sensus non turbantur, animus virginis magis intentus ad rem, quæ ipsi curæ esset.

6. *Vertere varios questus*, variare, non uno modo secum ipsa queri.

7. *Nec pereat quo scire malo, tandemque fateri ausa sibi.* Hoc Ovidius, quem omnino huc conferre haud pœnitebit, Metam. VII, 12, de eadem Medea: *mirumque, nisi hoc est, Aut aliquid certe simile huic, quod amare vocatur.*

9. *Quo sic pervigil usque ipsa volens errore trahor?* qui fit, ut noctes, quotquot eunt, lubens tanta animi inconstantia transigam? *Non hæc*, non ita inquieta fuit, *nox ante tuos vultus*, antequam te conspexi.

12. *Quos* (vultus) *cur tam demens iterum iterumque recordor?* cur semper oculis tanquam præsentes obversantur? *Quid in hospite solo mens mihi!* Ovid. l. l. v. 21: *quid in hospite, regia virgo, Ureris?*

15. *Vellera accipiat, quæ sola petit, quæque una laborum causa viro.* Non mea causa huc venit, fortasse plane nullam mei rationem habet, nil me curat. Fac vero ita esse, fieri tamen non potest, ut unquam ad nos redeat, vel ut pater in Thessaliam iter suscipiat.

18. *Felices* periculorum ejus comites, etc. In his omnibus dissi-

Nec tantas timuere vias, talemque secuti
Hunc qui deinde virum; sed sic quoque talis abito ».
Tum jactata toro, nimiumque experta cubile,
Ecce videt tenui candescere limen Eoo;
Nec minus insomnem lux orta refecit amantem,
Quam quum languentes levis erigit imber aristas,
Grataque jam fessis descendunt flamina remis.
At sua longarum Minyas jam cura viarum
Admonet, inque ipso nequidquam tempore regem
Lætitiæ meritique petunt; quem passus Iason

20. *Si quoque*. Junt. — 21. *Jam jactata*. Junt. Maser. Ald. Eng. *Tumque experta*. Vatic. cod. *Tamque expectata cubili*. Carr. — 24. *Levis* deest in Vatic. cod. *Languentes erexit*. Bon. cod. et edd. ante Carr. præter Maser. qui *erexerit*. Ed.

mulantem animum muliebrem ad naturam expressit Valerius. Ita modesta est virgo, ut de se ipsa loqui nolle videatur. Non dicit: Ego unquam Thessaliam adibo, fortasse tamen pater, qui utinam me itineris sociam assumat! Porro non dicit: Mallem ipsa comes Jasoni esse redeunti in patriam, sed felices prædico, qui sunt.

20. *Sed sic quoque talis abito*, quanquam ita formosus juvenis est, eum tamen ex animo sensim depellere allaborabo.

21. *Tum jactata toro, nimiumque experta cubile*, nimis diuturna ipsi nox visa, lectique impatiens, *videt tenui candescere limen Eoo;* jucunda diluculi descriptio, cubiculum illustrare incipientis.

23. Sed nec *lux orta insomnem refecit amantem*, nec pleno die ita recreatam se vidit, uti segetes, quæ nimio solis æstu marcidæ, et capita submittentes, jam tenui pluvia novum vigorem colligunt, et recte stant, *languentes quas levis erigit imber aristas*, nec uti nautæ, quibus multos post labores secundi aspirant venti, *grataque jam fessis descendunt flamina remis*. — Manifesto hallucinatur Waguerus: sensus hic est: Medea insomnio fatigata, orta luce non minus reficitur, quam aristæ levi imbre, quam nautæ vento secundo. Ed.

26. Jam vero Jason denuo adeundum sibi regem putat. *At sua longarum Minyas jam cura viarum*, velleris aurei, cujus causa tot maria erant emensi, *admonet*. — Sic ordines verba: *At sua cura Minyas admonet longarum viarum*, tot marium rursus emetiendorum. Ed.

27. *Inque ipso nequidquam tempore regem lætitiæ meritique petunt*, maxime opportunum tempus, frustra tamen, rati, quo lætum regi nuntium de victoria attulissent, in qua reportanda ipsi tam insignem præstitissent operam.

28. Regem *passus Jason vota prius captasque deis accendere prædas*. Locus subobscurus, quod verbum *accendere* nec votis nec prædis aptum satis videatur. Sed ad *vota* aliud

Vota prius, captasque deis accendere prædas,
Prominet, atque oculos longe tenet, aurea si jam
Pellis, et oblatis clarescant atria villis.
  Ille autem jamjam vultus vocesque paratas
Ante aperit, rumpitque moras, inque ipsa morantis
Prosilit ora viri, talique effunditur ira :
« Orbe satos alio, sua litora regnaque habentes,
Quis furor has mediis tot fluctibus egit in oras,
Quisve mei vos tantus amor? Tu prima malorum
Causa mihi, tu, Phryxe gener; non te æquore mersum,
Quo soror, ut felix nullos nunc nomine Graios
Nossem ego! Quis regum Pelias, quis Thessalus, aut quæ

31. *Clarescerct aspera.* Bonon. I et II, et edd. ante Carr. præter vetust. Paris. teste Carr. — 32. *Nam jam... parantem.* Vatic. et Bonon. codd. Bonon. I et II. *Jam jam... parantem*, et vs. sequenti, *Ante petit.* Ald. — 33. *Ipse.* Bonon. cod. — *Quondam.* Vat. et Bonon. codd. Bonon. I. Ed.

verbum subintelligendum, *reddere* vel *solvere;* sæpe enim Latini, poetæ in primis, duobus vel pluribus substantivis unum jungunt verbum : quam figuram *Zeugma* Grammatici appellant. Sic Tibullus, I, 4, 65 : *Vivet, dum robora tellus, Dum cœlum stellas, dum vehet amnis aquas*, ubi τὸ *vehet* ultimo tantum proprie accommodari potest. *Prædas* vero *captas accendere* nonnulli proprie acceperunt, nec aliquando id factum negaverim; quid si vero ad eumdem fere modum intelligi voluit poeta, quo Græci dicunt θύειν γάμους, γενέθλια, etc. ut nihil aliud intelligi voluerit, quam sacra facere diis ob victoriam?—Vide ad calcem hujus libri not. 29. Ed.

30. *Prominet*, in pedum digitos se levat Jason, *atque oculos longe tenet*, circumfert, *aurea jam si* (an) *pellis* appareat, *et oblatis clarescant atria villis*, oblatum a rege vellus splendorem spargat per palatium.

32-77. Alia tamen omnia manent Jasonem. Oratione regis excipitur inhumanitatis, superbiæ, acerbitatis injustitiæque plena. *Rex* autem *vultus* ad severitatem compositos, *vocesque jam ante paratas*, quas præmeditatus, commentatus esset, *aperit*, promit, *rumpitque moras*, et sine mora, *in ipsa morantis*, nondum loquenti, Jasonis, *prosilit ora*, enm impetu in eum invehitur, *talique effunditur ira*, ita tamque multis verbis indignationem effert.

35. *Quis furor, quisque mei tantus amor* (ironia lepida) *vos, orbe satos alio* (*alieni orbis*, Ovid. l. l. v. 22), *mediis tot fluctibus*, per tot maria interjecta, *in has egit oras?*

37. *Tu mihi prima malorum causa, Phryxe : non te æquore mersum* (oratio incompleta), utinam mersus esses, eodem, *quo soror*, mari.

40. Et quæ tu mihi narras (conf.

Græcia? Quodnam hominum cerno genus? aut ubi cautes
Cyaneæ? venit Scythicas en hospes in oras.
Quinquaginta Asiam (pudet heu!) penetrarit Iason
Exsulibus! meque ante alios sic spreverit una,
Una ratis, spolium ut vivo de rege reportet!
Ipsum efferre, meos ipsum me pandere lucos
Imperet, et nullo dignetur vincere bello!
Cur, age, non templis sacrata avellere dona
Omnibus, atque ipsas gremiis abducere natas,
Prædo, libet? vobisne domos, vobisne parentes

41. *Quondam.* Vatic. et Bonon. codd. Bonon. I. — 43. *Penetravit,* et vs. seq. *ut spreverit.* Carr. II. — 45. *Ut Juno.* Bonon. cod. Bonon. I. Junt. Ald. Vetust. Parisiensis. — 46. *Offerre.* Vatic. Bonon. codd. Bonon. I et II. *Me* deest in Vatic. cod. *Ipsum nunc pandere.* Bonon. cod. *Atque ipsum pandere.* Junt. Mascr. Ald. Eogent. En.

supra V, 475 sq.), *Pelian, Thessaliam, Cyaneas, Græciam,* ficta omnia: ad contemptum exprimendum ignorare simulat, quæ bene nota esse debebant. *Quodnam hominum* (et hoc contemptim) *cerno genus?*

43. *Quinquaginta Asiam* (*pudet heu!* quanta vero impudentia!) *penetrarit Jason* cum vagis *exsulibus.* Omnia ἐμφατικῶς· *Asiam*, tam amplam, tot incolarum millibus frequentem, *penetravit*, adoriri sustinet, *Jason* quidam, terræ filius, cum paucis, *quinquaginta* hominibus, *iisque exsulibus*, quos ipsa patria cives inutiles ejecit!

44. *Meque ante alios* Asiæ reges *sic spreverit una*, *una*, inquam, non tam navis, quam *ratis*, *spolium ut vivo*, quod alias non nisi in prælio cæsis detrahi solet, *de rege reportet! Ipsum, ipsum me efferre* obviam, quæ postulat, *meos pandere*, aperire, *lucos*, non petat, sed *imperet* tanquam victor.

48. *Age, prædo* (jam conviciari incipit), *cur non templis sacrata avellere dona*, donaria, ἀναθήματα, *omnibus, atque ipsas gremiis* parentum *abducere natas lubet?* (at mox lubebit).

50. *Vobisne domos esse putem, vobisne parentes* (arrident, quos Burmannus *parentum* loco ponere suadet, *penates*, quæ duo vocabula sæpe solent in libris permutari; nec est, quod tautologiæ specie offendamur, sic enim et alibi; v. c. I, 721: *O domus, o freti nequidquam prole penates*; item infra, v. 109, *domum atque postes*), *quos sola ratis infandis rapinis pascit*, qui piratica exercenda quæritis victum, *quos sæva hiems pascit*, qui ipsis tempestatibus abutimini ad naufragos expoliandos. Sic augentur opprobria: placido mari rapinis vivitis, pecora abigitis et homines; hieme orta, ex ipsis naufragis facitis quæstum.

Esse putem ; ratis infandis quos sola rapinis,
Sævaque pascit hiems ? et quos, credamus ut ipsis,
Rex suus illisit pelago, vetuitque reverti ?
Scilicet Æoliæ pecudis poteretur ut auro,
Ante meus cæsa descendit Caucasus umbra,
Ac prior Hæmonias rapuit super æquora prædas ?
Aut ego cum vittis statui feralibus Hellen ?
Si tamen his aliter perstas non cedere terris,
Teque pudor cassi reditus movet, ac latet una
Nescio quid plus puppe viris ; haud ipse morabor,
Quæ petitis ; modo nostra prior tu perfice jussa.
Martius ante urbem longis jacet horridus annis
Campus, et ardentes ac me quoque, vomere presso,
Me quoque cunctantes interdum agnoscere tauri.
His magis atque magis rabiem nunc nostra senectus
Luxuriemque dedit, solitoque superbior ignis

54. *Poteretur.* Sic Vatic. cod. *Potietur.* Bonon. cod. *Potiatur.* Edd. ante Carr. *Poturetur.* Carrion. — 55. *Descendit.* Bonon. II. — 56. *Repetet.* Vatic. Bonon. codd. et Carr. *Raptet.* Bonon. I. Junt. Ald. Eng. et postt. præter Maser. *Rapuit.* Bonon. II. *Rapiet.* Maser. — 57. *Aut ego.* Vatic. cod. Bonon. I et II. *Cum victis.* Vatic. et Bonon. codd. Bonon. II. Junt. Ald. En.

52. *Et quos, credamus ut ipsis*, nam ipsi fatentur, *rex suus illisit* (bene delectum gravius verbum: *illisit*, sc. pelago, ejecit, exturbavit patria, nec erat, quod pro eo Marklandus mallet *immisit*) *vetuitque reverti*, perpetuo exsilio damnavit.

54. Numquid de vobis *ante* hoc tempus male merui? num, ut aureum vellus raperem, naves e Caucascis arboribus factas armavi? num prædas e Thessalia egi? Ed.

58. *Si tamen perstas non aliter*, nisi accepto vellere, *his cedere terris, ac latet una nescio quid plus puppe viris ;* si scilicet, præter viros, divini nescio quid in navi vestra latet (irridet nempe Æetes Jasonis, quam V, 504, jactaverat, cum diis cognationem ; cf. paulo post v. 71 ; Apollon. III, 402 : εἰ ἐτήτυμόν ἐστε θεῶν γένος), *haud morabor :* tu modo antea, quæ jubebo, perficias.

62. Est ad urbem campus Marti sacratus, *horridus* (Apollon. ibid. 411 : στυφελὴν, quod scholiasta exponit τραχεῖαν, νειὸν Ἄρηος), *et ardentes*, ignem spirantes, *tauri vomere presso*, aratro juncti, *me, me* adeo *cunctantes interdum agnoscere*, mihi ipsi vix parent.

65. Senectus mea *majorem rabiem luxuriemque*, luxuriam ad rabiem

Ore fremit. Succede meæ, fortissime, laudi,
Et nostros recole, hospes, agros: nec semina deerunt,
Quæ prius ipse dabam, et messes, quas solus obibam.
Consiliis nox una satis, tecumque retracta
Cumque tuis hæc jussa deis; ac si quid in isto est
Robore, prædicti venies in rura laboris.
Ipse incertus adhuc, tenebris te protinus illis
Involvi flammisque velim, durare parumper
An magis, everso jacias dum semina campo,
An tibi Cadmei dum seminis exeat hydri
Miles, et armata florescant pube novales. »
  Filia prima trucis vocem mirata tyranni
Hæsit, et ad juvenem pallentia rettulit ora,
Contremuitque metu, ne nescius audeat hospes,

71. *Si quis in isto est.* Bonon. cod. — 72. *Veniens.* Bonon. cod. Bonon. I. Junt. Ald. Forte *præduri* legendum. — 75. *Anguis in everso.* Male Ald. ex conj. *Inverso.* Heins. ex conj. bene. — 79. *Exit.* Bonon. et Burm. codd. et vs. subseq. *non posse* iidem codd. — 80. *Ne* omissum in Vat. cod. Ed.

usque, *dedit.* Iram taurorum magis exornavit Valerius quam Apollon. III, 409 sq.

67. *Succede, fortissime* (ironice), *meæ laudi*, mihi, *et nostros recole*, qui diu quieverunt, denuo ares, noves (conf. v. 77), *agros.* Ovid. Met. I, 647, *reculta terra.*

68. *Nec semina deerunt*, et eadem quidem, quæ ipse spargere solebam, *et messes, quas solus* (hoc oppositum sequentibus *diis tuis*) *obibam.* Obscurius hoc innuit rex, non nominatis draconum dentibus, sperans quippe, haud parem fore tauris Jasonem.

70. *Consiliis* ad deliberandum *nox una satis, tecumque cumque deis tuis*, quos jactas, *hæc jussa retracta*, probe perpende.

71. *Si quid* spei (sic Pius) *in isto* tuo *robore est, venies in rura laboris prædicti*, quæ plena laboris esse tibi prædixi. Ed.

73. *Ipse incertus* sum *adhuc, tenebris* noctis te statim *flammisque* taurorum *involvi*, velari, suffocari, *an parumper durare*, paululum temporis vitam te trahere, *velim*, donec *everso*, vomere proscisso, *campo semina jacias, donec miles seminis hydri Cadmei exeat*, armata manus ex dentibus draconis propullulet, *et florescant pube novales*, flos juvenum vigentium e sulcis modo actis reculta terra, procrescat.

77-81. Quid ad hæc Medea? *Prima fuit*, quæ tam atrocia patris jussa miraretur. *Hæsit*, vix auribus credit, *pallentia ad juvenem refert*

Seque miser ne posse putet : perstrinxerat horror
Ipsum etiam, et mœsta stabat defixus in ira;
Non ita Tyrrhenus stupet Ioniusque magister,
Qui portus, Tiberine, tuos, claramque serena
Arce Pharon præceps subiit : nusquam ostia, nusquam
Ausoniam videt, et sævas accedere Syrtes.
Tum tamen, infando quæ det responsa tyranno,
Colligit, et tandem obtutu consurgit ab alto :
« Non, ait, hos reditus, non hanc, Æeta, dedisti
Spem Minyis, quum prima tuis pro mœnibus arma
Induimus; quo versa fides, quos vestra volutant
Jussa dolos? alium hic Pelian, alia æquora cerno.

83. *Ionius magister.* Vatic. cod. sed ultima syllaba *ter* a manu secunda addita *Ionius magis alto.* Bonon. cod. *Stupet magis Ionius alto.* Bonon. I. *Ionus.* Junt. *Nantes stupet Ionio alto.* Bonon. II. Maser. *Ioniusque magister.* Vitio operarum Ald. pro *Ioniusque magister*, et sic jam Eugent. — 84. *Qui jam te Liberine tuer.* Vatic. cod. *Qui jam te, Lilybæe, tuens.* Bonon. cod. *Qui te jam Lilybæe tuens.* Bonon. I et II. Junt. Mas. Ald. Eugent. — 85. *Subito nusquam o. n.* Vatic. cod. Junt. Maser. Ald. Eugent. *Subit onus cum hostia numquam.* Bonon. cod. *Subit omnis quam hostia numquam.* Bonon. I et II. — 86. *Et sævas.* Vatic. cod. Bonon. I et II. Junt. Maser. Ald. Eugent. *At.* Mascr. conj. Ed.

ora, *metuque contremiscit*, ne forte hospes temere audeat, *miserque putet se posse*, putet se parem fore injunctis laboribus.

81-102. Ipse Jason quodammodo exhorret; perfidiam regis increpat, nec tamen jussa recusat. *Perstrinxerat* illum levis *horror*; *stabat defixus in ira*, oculis ad solum demissis, tacita frendet ira, *et mœsta*, ideo quod, post tam felicem in prælio præstitam operam, regem in vellere tradendo non amplius tergiversaturum esse speraverat. Hoc illustratur a nautis, qui, quum prope abessent a portu, denuo in altum projiciuntur. —Vide a l calcem hujus libri not. 83. Ed.

87. *Tum tamen infando*, injusto, crudeli, *tyranno quæ det responsa*, *colligit*, meditatur, secum reputat, *et tandem obtutu consurgit ab alto*, vultum hucusque defixum erigit.

91. *Quo versa fides? quos vestra volutant jussa dolos?* quas novas struis machinas, *alium*, alterum, novum hic in Colchide Pelian, *alia æquora*, periculi plenos labores, *cerno*.

92. *Alium hic Pelian, alia æquora cerno.* Æetes non minus fraude ac dolo interitum meum quærit, quam Pelias : et postquam æquora jussa superavi, objicitur aliud periculum non minus grave et timendum. Sic Bulæus. Ed.

Quin agite, hoc omnes odiisque urgete, tyranni,
Imperiisque caput; quamquam mihi dextera, nec spes
Defuerit mox jussa pati, nec cedere duris.
Unum oro, seu me illa suis seges obruet hastis,
Hauriet adverso seu crastinus ignis hiatu;
Nuntius hinc sævas Peliæ mittatur ad aures,
Hic periisse viros; et me, si vestra fuisset
Ulla fides, reducem patriæ potuisse referri. »
  Talibus attonitos dictis natamque patremque
Linquit, et infida præceps prorumpit ab aula.
At trepida et medios inter deserta parentes
Virgo silet: nec fixa solo servare parumper
Lumina, nec potuit mœstos non flectere vultus;

93. *Et hoc.* Vatic. cod. *Et hæc.* Bonon. et Burm. codd. — 102. *Infidi.* Vatic. et Bonon. codd. Ed.

93. *Quin agite hoc caput*, hanc vitam meam, me, non tu Pelia solum tuque Æeta, *sed omnes*, quotquot in orbe terrarum estis, *odiis imperiisque*, injustis mandatis, *urgete*, prosequamini, premite!

94. *Quamquam mihi dextera, nec spes defuerit.* Sic vulgata, et ferri possit, si, quod sæpe fit, *quanquam* pro *tamen* positum, et negativum *nec* etiam ad priora trahas: *tamen mihi nec dextra, nec spes defuerit.* Sed nec hoc placet; faciliorem sensum habebis, si, quod olim Columbus voluit, pro *quamquam* reponas *numquam.*

96. *Unum oro, seu me illa suis seges obruat hastis*, si me unum tanta multitudo hostium e terra nascentium confecerit, *hauriet adverso seu crastinus ignis hiatu*, tauri ignem e faucibus spirantes leto dederint, *nuntius hinc sævas Peliæ mittatur ad aures*, certiorem faciatis immanem tyrannum, spem, quam conceperat, fore ut in mari pereamus, elusam esse, *immo hic periisse viros, et me, si ulla fides*, nisi in alium hic æque immanem tyrannum incidissem, in patriam potuisse redire.

103-152. Varii animi motus, quibus exagitaretur Medea, admodum eleganter describuntur; cf. omnino Apollon. III, 451 sq. *At trepida*, anxia, *et medios inter parentes*, qui filiabus alias omnia sunt, *deserta*, inops, *virgo silet*, ita tamen, ut oculos jam non diutius solo defixos habere posset, immo vero vultus mœstos non posset non erigere, et ad fores, quibus Jason modo prodierat, flectere. Apollon. III, 444: ἐπ' αὐτῷ δ' ὄμματα κούρη λοξὰ παρὰ λιπαρὴν σχομένη θηεῖτο καλύπτρην. — Vide ad calcem hujus libri not. 103. Ed.

Respexitque fores, et adhuc invenit euntem,
Visus et, heu! miseræ tunc pulchrior hospes amanti
Discedens: tales humeros, ea terga relinquit.
Illa domum atque ipsos paullum procedere postes
Optat, et ardentes tenet intra limina gressus.
Qualis, ubi extremas Io vaga sentit arenas,
Fertque refertque pedem; tumido quam cogit Erinnys
Ire mari, Phariæque vocant trans æquora matres:
Circuit haud aliter, foribusque impendet apertis,
An melior Minyas revocet pater: oraque quærens
Hospitis, aut solo mœret defecta cubili,
Aut venit in caræ gremium refugitque sororis
Atque loqui conata silet; rursusque recedens
Quærit, ut Ææis hospes consederit oris

110. *Intra lumina dextras*, pro var. lect. Bonon. cod. *Inter.* Carr. — 113. *Pariæ* pro *Phariæ.* Vatic. cod. — 118. *Resedens.* Bonon. cod. Bonon. I et II. Vide v. 210 *resedit*, et v. 591 *residens.* Ed.

106. *Adhuc invenit*, contigit ut conspiciat, *abeuntem*; et discedens adeo pulchrior visus, *tales humeros, ea terga*, robur atque omne virilis pulchritudinis genus indicantia, *relinquit.* — Vide ad calcem hujus libri not. 109. Ed.

111. *Ubi Io vaga extremas* Nili *sentit arenas*, *fertque refertque pedem*, dubia, quid agat, ex una parte a Furiis ad prosequendum iter per maria adacta, *tumido quam cogit Erinnys ire mari*, ex altera parte *Phariæ vocant trans æquora matres*, invitant, deam Isidis nomine habituræ.

114. Eodem igitur modo *Medea circuit*, *foribusque apertis impendet*, irretortis oculis moratur, exspectans *an melior,* mutata in melius mente, mitior, *Minyas revocet pater.*

116. Sequitur elegantissimus locus, in quo præclare res suas egisse poetam, et ad veritatem omnia expressisse mecum fatebuntur omnes, qui, quæ hominum, et muliercularum in primis, in magna animi perturbatione soleat esse agendi ratio, observaverint. Et primo quidem secum ipsa agit Medea; *solo*, sola, *mœret cubili*, *sed defecta*, ægra animi; *aut venit in gremium caræ sororis*, ad sorores enim in ejusmodi angustiis præ cæteris confugere solent puellæ; sed non diu moratur, *refugit.*

118. *Loqui*, animum aperire, *conata silet*, *rursusque recedens*, quasi aliquid oblita (conf. Apollon. III, 645 et 681 sq.), sermonem quidem incipit, nec tamen de se suoque dolore, sed *quærit* de adventu Phryxi

Phryxus, ut aligeri Circen rapuere dracones.
Tum comitum visu fruitur miseranda suarum,
Implerique nequit; subitoque parentibus hæret
Blandior, et patriæ circumfert oscula dextræ:
Sic assueta toris et mensæ dulcis herili,
Ægra nova jam peste canis rabieque futura,
Ante fugam totos lustrat queribunda penates.
Tandem etiam molli sese semel increpat ira:
« Pergis, ait, demens; teque illius angit imago,
Curaque, qui profuga forsan tenet alta carina,
Quique meum patrias referet nec nomen ad urbes!

122. *Expleri.* Bonon. cod. Bonon. I et II, et edd. ante Heins. *Impleri.* Vatic. et Carr. codd. — 127. *Molli semels increpat.* Vatic. cod. pro *semet sic*, ut mihi videtur. *Semel sese sic increpat*, sed expuncto *sic.* Bonon. cod. *M. sese simul increpat.* Edd. ante Carr. — 128. *Atque illius.* Bonon. cod. Bonon. II. — 129. *Cui profugat.* Vatic. cod. *Cura tui profuga.* Bonon. cod. Ed.

olim in Colchida, sub Phryxi persona suum cogitans Jasonem.

121. Tum ad ægritudinem animi sui levandam, *comitum visu fruitur miseranda, implerique nequit.* Hoc, præsertim ob præcedens *visu*, interpretari possis: non poterat satiari videndo; sic *expleri nequit*, Virgil. Æn. VIII, 618. Rectius tamen fortasse de *animo* explices, qui expleri non potuit, non invenit in cœtu comitum, quod optaverat, levamen; minutus est dolor, sed non omnis, et tantum ad breve tempus.

123. Exquisite *circumfert*, quod mihi admodum placet: repetitis osculis non unam manuum patris partem premit. Non ita Heinsius, qui languorem atque frigus intulisse videtur, emendans vel *nunc offert*, vel *rursum fert* oscula.

124. *Sic assueta toris*, pulvinis, *et mensæ dulcis herili*, adulans parasitus, *canis nova peste rabieque futura*, morbi impetum jam præsentiens, *ante fugam totos lustrat queribunda Penates*, omnes perrepit angulos. Quod simile, quamquam puellas cum animalibus comparasse poetas veteres non ignoro, cur hic displiceat, nescio. Tanto magis placent, quæ sequuntur.

127. *Tandem etiam molli sese semel increpat ira.* Omnia hic bene delecta, nihil abundans: *tandem... increpat sese, ... sed semel... increpat ira*, sed *molli.*—Vide ad calcem hujus libri not. 127. Ed.

128. *Pergis*, sic semet ipsa reprehendit; *demens*, in dementia, *teque illius angit imago curaque*, animo ægro obversatur semper, *qui profuga forsan tenet alta carina*, jam dudum longe abiit, quique tantum abest quin de me secum ducenda

Quid me autem sic ille movet, superetne labores,
An cadat, et tanto turbetur Græcia luctu?
Saltem, fata virum si jam suprema ferebant,
Jussus ad ignotos potius foret ire tyrannos!
O utinam, et tandem non hac moreretur in urbe!
Namque et sidereo nostri de sanguine Phryxi
Dicitur; et caram vidi indoluisse sororem:
Seque ait has jussis actum miser ire per undas.
Aut redeat quocumque modo, meque ista precari
Nesciat, atque meum non oderit ille parentem».

138. *Per umbras.* Vatic. et Bonon. codd. Bonon. I et II. — 139. *At redeat.* Bonon. II. Maser. Engent. — 140. *Oderat* Bonon. et Burm. codd. Ed.

cogitaverit, *ut ne nomen quidem meum in patriam referat.*

131. Quid autem mea tantopere intersit, *superetne labores* a patre jussos, *an cadat*, pereat (haud perinde tamen sibi esse, statim prodit, addit enim:) *et tanto turbetur Græcia luctu?* dolendum nempe esse, si tam egregii juvenis obitum tota Græcia deploret.

133. *Saltem si fata virum jam*, in flore ætatis constitutum, *suprema ferebant*, ipsi moriundum erat, *utinam jussus* esset *ad ignotos*, non cognatos (hoc suadent sequentia: *hac in urbe, et nostri de sanguine Phryxi*), *ire tyrannos.*

136. *Namque et sidereo*, a matre enim Nephele ad deos genus referebat, *nostri de sanguine Phryxi* cognatus *dicitur, et caram vidi indoluisse sororem*, meam Chalciopen, quæ et ipsa Jasonem, cognatum mariti olim Phryxi, miserta est. Quod igitur licuit sorori, quidni liceat mihi?

138. Jason ipse *miser*, miserandus, nedum superbiæ culpandus, *ait* se non sponte ac temere maloque consilio, sed Peliæ *jussis actum* huc venisse.

139. *Quocumque modo*, sive potius vellere, sive spe destitutus, opto ut *redeat* in Græciam, et nesciat me *ista precari*, pro ejus salute vota facere, et *meum parentem non oderit:* egregius sensus, ni subesset metus ne odii pars in filiam recidat (v. infra 204: *cumque omnibus odit Me quoque*). Mirum quantum sit Valerius affectuum animi pingendorum peritus. Quid refert utrum Jason Æeten oderit, nec ne? Nihil aliud hoc est quam excusatio, qua secum utitur Medea, ut sibi liceat suo in Jasonem studio indulgere, dum sibi videtur nil aliud quam Jasonis odium a patre averruncare. Hæc ultima Medeæ verba futuram ejus agendi rationem fere prænuntiant: illa enim suæ in patrem pietatis specie secura, jam tandem amatoriæ sollicitudini totam se tradet. Ed.

Dixerat hæc, stratoque graves projecerat artus,
Si veniat miserata quies; quum sævior ipse
Turbat agitque sopor: supplex hinc sternitur hospes,
Hinc pater: illa nova rumpit formidine somnos,
Erigiturque toro; famulas carosque penates
Agnoscit, modo Thessalicas raptata per urbes:
Turbidus ut Pœnis cæcisque pavoribus ensem
Corripit, et sævæ ferit agmina matris Orestes;
Ipsum angues, ipsum horrisoni quatit ira flagelli;
Atque iterum infestæ se fervere cæde Lacænæ
Credit agens, falsaque redit de strage dearum
Fessus, et in miseræ collabitur ora sororis.
His ubi nequidquam nutantem Colchida curis

144. *Ille*. Bonon. et Burm. codd. — 145. *Parentes*. Carr. cod. et ed. I. En.

141. *Dixerat hæc, stratoque graves*, curis fessos, *projecerat artus*, *si* (an) *veniat miserata quies*, an forte levaret miserans (prosopopœia. Sic *miserata hominum labores nox*, V, 279); *quum ipse*, qui aliis quietem dat, *sopor sævior* adeo *turbat agitque:* per somnum utrumque videt, et patrem et Jasonem supplices.

144. *Illa nova formidine*, terriculamento, *rumpit somnos*, exsternatur, cohorrens expergiscitur, *erigiturque toro*.

145. *Modo*, per somnum, *Thessalicas raptata*, raptari sibi visâ, *per urbes*, *famulas agnoscit carosque penates*, in Colchide se medias inter pedissequas videt.

147. Haud aliter *Orestes*, qui, quum matrem Clytæmnestram occidisset, *Pœnis*, Furiis (conf. I, 797), *cæcisque*, quos, unde venirent, nesciret, *pavoribus turbidus*, in furorem actus, *ensem corripit*, *et sævæ matris agmina*, a manibus matris immissas Furias, quasi præsentes, *ferit*.

149. *Ipsum angues, ipsum horrisoni quatit ira flagelli*, ipse insania abreptus capita earum serpentibus cincta coram videre, scuticasque, quas manibus gerebant, pati sibi videtur.

150. *Atque iterum infestæ* (Domin. Marius ad Ovid. Amor. I, 7, 10, laudante Burmanno, malit *incestæ*, adulteræ matris, haud male!) *se fervere credit agens* (*agens* pleonast. uti Græci, ἔχων; conf. III, 40; IV, 111; Virg. Æn. I, 192) *cæde Lacænæ*, denuo interficere sibi videtur matrem, Laconiæ regis Tyndarei ex Ledæ connubio legitimo filiam.

151. *Falsaque*, opinata tantum, *redit de strage dearum*, Furiarum, *fessus, et in miseræ collabitur ora*, amplexus, *sororis* Electræ.

153-170. Juno denuo convertit

Juno videt, necdum extremo parere furori;
Non jam mentitæ vultum vocemque resumit
Chalciopes, quando ardor hebet, leviorque pudori,
Mensque obnixa malo; tenues sublimis in auras
Tollitur, et fulvo Venerem vestigat Olympo:
« Sum memor, ut tantum mecum partita laborem;
Illa nimis sed dura manet, conversaque in iram
Et furias dolet, ac me nunc decepta reliquit.
I, precor, atque istum, quo me frustratur, amorem
Vince, precor; patriis ut tandem evadere tectis
Audeat, atque meum casu defendere ab omni
Æsoniden : quin illa sacro, quo freta, veneno

156. *Habet.* Vatic. cod. Bonon. I. Junt. Ald. — 159. *Ut tecum.* Vatic. cod. *Ut tantum.* Bonon. cod. Bonon. I et II, et edd. ante Carr., quod revocavit cl. Harles. — 161. *Furiata.* Carr. — 165. *Quis illa.* Vatic. et Bonon. codd. *Queis illa sacris.* Carr. cod. Ed.

se ad Venerem, opem ejus imploratura; Medeam enim videbat *nutantem*, vacillantem, incertam, *nondum extremo parere furori*, amori summo; conf. IV, 667.

156. *Ardor* ille prior *hebet*, remisit, *leviorque pudori*, proclivior ad pudorem, *mensque obnixa malo*, obsistit adhuc malo, amoris furori.— *Levior pudori* non potest significare *proclivior ad pudorem.* Sensus est : quoniam ille *ardor hebet*, *leviorque pudori* est, debilior adversus pudorem, vinculo pudori impar. Posset legi, *leviorque pudore*, minus potens quam pudor. Ed.

158. *Fulvo*, corusco.

159. *Sum memor*, grato animo recordor, *ut*, quam benevole, *mecum partita* sis *laborem; sed nimis dura manet*, nondum satis mollis atque obsequiosa est, *conversaque in iram et furias dolet*, non tam amor animum ejus occupat, quam summa tristitia, *ac decepta*, spe potiundi Jasonis dejecta, *me nunc reliquit*, a me inspiratum amorem excutere velle videtur. — Vide ad calcem hujus libri not. 161. Ed.

162. *I precor, atque istum*, jam inconstantem, *quo me*, consilium meum, *frustratur, amorem vince*, evince, fac ut prævaleat, dominetur.

163. *Evadere*, exquisitius quam *excedere :* est enim suo ipsius periculo domum, patriam relinquere... *casu*, periculo.

165. *Quin sacro*, magico, *quo freta*, quo tam potens efficitur, *veneno illum adstantem* (et hoc exquisite, excubias quasi agentem) *anguem*, et *totis* quidem *noctibus, qui nemus omne suum*, suæ custodiæ creditum, *quique aurea vellera tot spiris, tot ductibus*, tot longis spiris, sinuosa

Illum etiam totis adstantem noctibus anguem,
Qui nemus omne suum, quique aurea (respice porro)
Vellera tot spiris circum, tot ductibus implet,
Solvat, et in somnos ingenti solvat ab orno.
Hæc tibi nunc: Furiis, atque ipsi cætera mando ».
Tum Venus aligerum mater sic fatur Amorum:
« Nec tibi, quum primos aggressa es flectere sensus
Virginis, ignotaque animum contingere cura,
Defuimus: data continuo sed cingula soli
Nostra tibi, quis mota loco labefactaque cessit.
Haud satis est, sed me ipsa opus: et cunctantia poscunt
Pectora me, dubiusque pudor: jam fœdera faxo
Æsonii petat ipsa viri, metuatque morari.

169. *Cogat ab orno*, pro varia lect. Bonon. cod. *Sternat et*. Harles. — 170. *Non Furiis*. Vatic. cod. Junt. Ald. Maser. Carr. I. *Nam Fur*. Engent. Bon. II. — 174. *Sed* abest in Vatic. cod. *Quod cingula*. Bonon. cod. et edd. ante Carr. — 176. *Et cunctantia*. Vatic. et Bonon. codd. Bonon. I et II. *Ipsum opus et*. Junt. Maser. Ald. Engent. — 177. *Pectora nec dubiusque*. Bonon. et Burm. codd. Ed.

volumina torquens, *circum implet*, cingit undique, *solvat*.

167. *Respice porro*, procul, e longinquo (δειχτιχῶς), vide quæso illic. *Porro* hoc sensu rarius, et Græco more (πόῤῥω) usurpatum; est tamen etiam apud Virgil. Æn. VI, 711. — Vide ad calcem hujus libri not. 167. Ed.

169. *Solvat, et in somnos ingenti solvat ab* orno. Bis repetitum *solvat* h. l. non placet, et priori loco ponendum *molliat*, vel *mulceat*, suadente Burmanno, vel *sternat*, quod maluit Herelius, Ep. crit. p. 71. — Possit quoque legi *tollat*. Ed.

170. *Hæc*, ut amorem denuo infundas, *tibi nunc: Furiis atque ipsi* Medeæ *cætera mando*, quæ si semel impetu amoris sese correptam senserit, ipsa sponte res aget suas. — Conf. Ovid. Met. II, 140: *fortunæ cætera mando*. Ed.

171-192. Venus annuit Junonis precibus, nihilque aliud postulat, quam ut Jasonem in luco Dianæ adesse jubeat. *Tum Venus aligerum Amorum mater* (conf. VI, 457): antea non tibi defui, quum *ignota cura animum* Medeæ *contingere*, præstringere, *aggressa es*.

174. *Data cingula soli nostra tibi*, nulli alii umquam concessa, *quibus mota loco labefactaque* (a gladiatoribus sumpta translatione), turbata animo, *cessit*, obsistere non potuit. — Vid. ad calc. huj. lib. n. 175. Ed.

176. *Cunctantia poscunt pectora me dubiusque pudor*, fluctuans inter amorem et pudorem animus.

Tu face luciferæ citus ad delubra Dianæ
Deveniat, sacras solita est ubi fundere tædas
Colchis, et æquali dominam lustrare caterva.
Nec te nunc Hecates subeat metus, aut mea forte
Impediat ne cœpta time : quin audeat opto :
Continuo transibit amor; cantuque trilingui
Ipsam flammiferos cogam compescere tauros,
Amplexumque pati ». Volucrem tunc aspicit Irin,
Festinamque jubet monitis parere Diones;
Et juvenem Æsonium prædicto sistere luco.
Protinus hinc Iris Minyas, Cytherea petivit

179. *Letiferæ*. Carr. — 180. *Fundere ædas*. Vatic. cod. — 182. *Haud mea furta Impediet, nec enim est tanti*. Ald. *Ut mea forte Impediat, nec enim est tanti*. Eugent. ex conj. Pii ambo. *Impediat nunc acta time*. Carr. I. *Ne impediat nunc acta time*. Carr. II. *Ne c acta ti me*. Vatic. cod. non *nec me etati*, ut citat Heins. *Nec ætati me*. Bonoo. cod. *Nec me ætati*. Bonon. I et II. Junt. *Nec me Æetis quin audeat*. Maser. duce Sabellico. — 186. *Amplexumque petit*. Vatic. et Bonon. codd. Bonon. I. Junt. Ald. *Amplexuque peti*. Carr. — 187. *Festinansque*. Vatic. Bonon. codd. et edd. ante Carr. Ed.

179. *Tu face* (fac) *Jason citus*, celeriter ad delubra Dianæ venial, *sacras ubi fundere tædas*, tædarum lumina multa sacris nocturnis Medea adhibere *solet*, comitantibus aliis ejusdem ætatis virginibus, deam placare; conf. VI, 497.

182. *Nec te nunc Hecates subeat metus*, hæc enim suspectam habere Medeam cœperat, VI, 495, *ne* forte consilium meum impedire conetur.

183. *Quin*, immo, *audeat opto : continuo transibit amor* a Medea ad ipsam Hecaten, *cantuque trilingui* (cui in mentem non veniat Virgiliana, Æn. IV, 511, *tergemina Hecate, tria virginis ora Dianæ?*) *Ipsam flammiferos cogam compescere tauros, Amplexumque* Jasonis *pati*. Satis jocosa irrisio Hecates, quam ab amore omni abhorrentem, quamque amare nemo cuperet, eo adigere promittit Venus, ni, si consiliis obesse sustineat suis, tres adeo linguas commoveat, ut potiatur Jasone. — *Amplexumque pati*. Nimis indulgens est Wagnerus. Hunc locum ita scripsisse Valerium vix puto. Imaginum ac verborum impudicitia, ne Latinis quidem, in epico carmine, concessa. Ed.

186. *Volucrem tunc aspicit Irin*, sc. Juno, quæ vix abesse potest, latetque fortasse in vocula *tunc*, uti recte conjicit Burmannus, *Festinamque jubet monitis parere Diones*. Dione proprie est mater Veneris, poetis tamen ipsa Venus hoc nomine venit.

189. Protinus hinc Iris Argonautas, Venus Medeam petit, Juno autem in Caucaso monte considet,

Colchida: Caucasiis speculatrix Juno resedit
Rupibus, attonitos Ææa in mœnia vultus
Speque metuque tenens, et adhuc ignara futuri.
Vix primas occulta Venus prospexerat arces,
Virginis ecce novus mentem perstringere languor
Incipit: ingeminant commotis questibus æstus.
Ergo iterum sensus varios super hospite volvens
Mœret, et absenti nequidquam talia fatur:
« Si tibi Thessalicis nunc, si tua forte venenis
Mater, et heu, si qua est, posset succurrere conjux!
Quidve tuos virgo possim nisi flere labores?
Hoc satis, ipsa etiam casus spectare supremos,

200. *Nam quid virgo tuos possim*. Ald. — 201. *Hæc satis*. Ald. lege, *nec satis*. Heins. *Ipse*. Vatic. et Burm. codd. Hic versus bis legitur in cod. Vatic. hoc modo. *Hoc satis ipse etiam casus spectare supremos. Hei mihi nec casus etiam spectare supremos, Atque iterum*, etc. Ed.

spem inter metumque divisa. Sic omnia sibi præparavit Poeta.

193-209. Veneris adventum eminus adeo sentiens Medea, cum Jasone absente, et secum ipsa loquitur. *Vix primas arces*, palatii regii fastigia, *Venus occulta*, Medeæ nondum visa, *prospexerat*, quum *novus languor*, desiderium, *virginis mentem perstringere incipit*.

195. *Ingeminant*, ingeminantur (ut apud Virgil. Æn. IV, 531, et alibi), *commotis questibus æstus*, ipso dolore questibusque crescit amor.

198. *Si*, utinam, *tibi Thessalicis nunc*, *si* (sic ingeminare verba solemus in affectu animi) *tua forte venenis*, quibus multum valuisse Thessalas notum est, *mater, et heu*, *si qua est* (alte suspirat, Jasoni fortasse conjugem esse, cogitans) *posset succurrere conjux!*

200. *Quidve tuos virgo possim nisi flere labores?* Pro *quidve* Aldina habet *nam quid*, facilius ad sensum, sed τὸ *ve* defendi etiam potest, si ita interpreteris: Utinam vel mater, vel conjux, juvare te possint, vel ego adeo ipsa, sed virgo nil habeo, nisi lacrimas.

201. *Hoc satis* (mallem *haud satis* cum Heinsio: sic enim, quæ sequuntur, melius cohærent): nempe *ipsa etiam casus spectare supremos cogar* comes sororis. Ergo hoc vult: Nec satis est, non permittetur mihi, domi mecum flere imminentia tibi pericula, sed soror, ut antea, coget testem oculatam esse. — Male hæc Maserius capit de Circe, de qua nondum somniare poterat Medea; sed de Chalciope recte Pius capit, quæ, inquit Medea, me, ut ante, ducet ad triste illud spectaculum pugnarum. Sic Burmannus. Ed.

Atque iterum duræ cogar comes esse sorori.
Et nunc ille sua non quemquam sorte moveri,
Non ullum meminisse putat; cumque omnibus odit
Me quoque; si quando fuerit tamen ulla potestas,
Illum ego, qui diris cinis ultimus hæserit arvis,
Ossaque, quis tauri sævusque pepercerit ignis,
Componam, sedemque dabo : fas tunc mihi manes
Dilexisse viri, tumuloque has reddere curas ».
Dixerat : ecce toro Venus improvisa resedit,
Sicut erat mutata deam, mentitaque pictis
Vestibus et magica Circen Titanida virga.
Ipsa, velut lenti fallatur imagine somni,
Hic oculos incerta tenet, magnique sororem
Paullatim putat esse patris; tum flebile gaudens

202. *Diræ*. Carr. *Comes ire*. Vatic. Bonon. codd. et edd. ante Carr. — 203. *Ille sui*. Bonon. cod. Bonon. I et II. Junt. Maser. Ald. Eugent. et edd. ante Carr. *Forte*. Vatic. et Burm. codd. — 206. *Oris*. Carr. cod. sed *oris* v. 219. — 214. *Sic oculos*. Carr. Ed.

203. Jam secum ipsa loqui incipit : Et nunc ille neminem sua sorte moveri, neminem sui meminisse opinabitur, *cumque omnibus odit me quoque* immeritam, quæ (utinam sciret!) tantopere et moveor, et memini, et amo.

205. Succurrere igitur nullo modo possum, faciam tamen, si licet, quod potero. *Illum ego, qui cinis ultimus* (pro *cinerem ultimum, qui*) *diris hæserit arvis*, per campum sparsus sit, *ossaque, quibus tauri sævusque ignis* (ignis taurorum) *pepercerit, componam*, vox solennis de ossilegio et cinere in urna condendo.

208. *Fas*, hoc saltem licebit, *tunc mihi manes dilexisse viri*, mortuum, *tumuloque has*, quas nunc sentio, *reddere*, una condere, *curas*. Adhuc places, Medea!

210-236. Venus ipsum penetrale intrat, Circes specie assumpta, Medeæ assidet, dolosis verbis patriam relinquendi consilium adjuvat, et ad summum amorem incendit.

211. *Mutata deam*, singulariter dictum pro forma, majestate deæ mutatis, *mentitaque Circen Titanida*, Titanis, Solis filiam, Æetæ regis sororem.

213. Medea, *velut lenti fallatur imagine somni*, quasi per insomnium inani specie decipiatur, *oculos incerta tenet*, ipsa nescit, an visu digna sint, quæ videt, *paullatim*, primo conjicit, mox *putat magni patris esse sororem*.

215. *Tum flebile gaudens* (elegans

Prosiluit, sævæque ultro tulit oscula divæ.
Ac prior : « O tandem, vix tandem reddita, Circe,
Dura tuis; quæ te bijugis serpentibus egit
Hinc fuga? quæve fuit patriis mora gratior oris?
Ante et Thessalicæ Phasin petiere carinæ,
Perque tot infelix frustra vada venit Iason,
Quam patriæ te movit amor?» Tum cætera rumpit,
Occurritque Venus : « Tu nunc mihi causa viarum;
Sola tuæ venio (jam pridem ignava) juventæ:
Cætera parce queri, ne me meliora sequutam
Argue; quippe ut jam reputentur munera divum,
Omnibus hunc potius communem animantibus orbem,
Communes et crede deos: patriam inde vocato,

217. *Reddita cure*. Bonon. cod. *Curæ*. Bonon. I. — 219. *Gravior*. Vatic. cod. *Tardior*. Bonon. cod. — 220. *An te et Thessalicæ*. Mascr. *An quod*.' Ald. *Rapuere* Bonon. cod. *Petiere*. Pro varia lect. Bonon. cod. — 222. *Quis patriæ*. Ald. *Quam cætera rumpit*. Bonon. et Burm. codd. — 224. *Sola viæ*. Bonon. et Burm. codd. — 226. *Etiam* vel *etjam repetentur*. Vatic. *Etiam repetentur*. Bonon. cod. Bonon. I. *Etiam repetuntur*. Bonon. II. Mas. *Ut jam reputentur*. Heins. ex conj. Junt. Ald. Engent. Carr. Ed.

oxymoron, Homeri δακρυόεν γελάσασα, Il. VI, 484) *prosiluit*, *sævæque* ipsa obviam *tulit oscula divæ*.

217. *O tandem*, *vix tandem* (jucunda repetitio!) *reddita*, *dura tuis*, quæ in dolorem tuorum tamdiu abfuisti. *Quæ te bijugis serpentibus* (conf. supra v. 120) *egit hinc fuga?* *quæ mora*, quis locus, *fuit tibi gratior patria?*

220. Tantum temporis procul a nobis vixisti, ut interea Thessali, *perque tot infelix frustra vada*, maria, venerit *Jason*. Recte, ante me, monuit Burmannus, Medeam properare, ut sermonem injiciat de Jasone: nam ille solus ejusque pericula (*infelix... per tot vada... frustra venit*) Medeæ menti obversantur.

222. *Cætera rumpit*, plura loqui non passa est, *occurritque*, Medeæ interrogationes statim respondendo antevenit, *Venus*.

223. *Tu*, primo sic loco positum ἐναργῶς, amoris habet significationem, *tu nunc mihi causa viarum; sola* pro *solum*, *tantum*, nisi malis post *sola* incidere, ita ut ad priora referatur, sic: *tu mihi causa viarum sola, tuæ venio juventæ*, tibi juveni usuque nondum peritæ consultura veni. — Vide ad calcem hujus libri not. 224. Ed.

228. *Patriam inde*, ideo, *vocato*, patria tibi sit, *qua*, ubi, *redit itque dies*, totus, quaqua ab oriente ad

Qua redit itque dies; nec nos, o nata, malignus
Cluserit hoc uno semper sub frigore Phasis.
Fas mihi non habiles, fas et tibi linquere Colchos.
Et nunc Ausonii conjux ego regia Pici:
Nec mihi flammiferis horrent ibi pascua tauris;
Meque vides Tusci dominam maris: at tibi quinam
Sauromatæ, miseranda, proci? cui vadis Hibero,
(Hei mihi!) vel sævo conjux non una Gelono?»
Illa deæ contra jamdudum spernere voces:
«Non ita me immemorem magnæ Perseidos, inquit,
Cernis, ut infelix thalamos ego cogar in illos.
I, precor, atque unum pro me dimitte timorem;

229. *Qua reditque dies.* Vatic. cod. *Qua rediitque dies.* Bonon. cod. Junt. Ald. *Qua redeuntque dies.* Bonon. I et II. *Qua redit itque.* Maser. Engent. cum Pio et Sabellico. *Onerata malignis.* Bonon. I. *O nata malignis.* Vatic. cod. Junt. Maser. versu sequenti *mensi. Dis nata malignis.* Carr. et vs. seq. *messis.* — 230. *Mensis.* Vatic. Bonon. codd. Bonon. I et II. Junt. Maser. Engent. *Messis.* Carr. *Phasis.* Ald. *Malignus... mensis.* Bonon. II. Engent. *Dis... malignis.* Carr. *Malignus... Phasis.* Ald. — 231. *Non humiles.* Bonon. I. *Et fas tibi.* Carr. — 233. *Horrent tibi.* Vatic. et Burm. codd. Carr. *Tibi pascua.* Vatic. cod. Carr. — 240. *Dium itte.* Vatic. cod. Ed.

occidentem late patet, orbis terrarum.

229. *Nec nos, o nata, malignus*, naturæ amœnitatibus destitutus, inclemens, *cluserit* quasi carcere *hoc semper sub frigore*, perpetua hieme, uno eodemque tam frigido cælo, *Phasis.* — Vide ad calcem hujus libri not. 229. Ed.

231. *Fas mihi non habiles*, aptos, qui non placerent, *fas et tibi linquere Colchos.* Astute firmat in animo Medeæ patriam relinquendi, a quo jam antea non abhorruerat, consilium. Nec te pœnitebit, uti me non pœnituit: nam *Ausonii conjux ego* sum *regia Pici*, et *Tusci domina maris.*

234. *At tibi, miseranda, quinam proci? Sauromatæ* nempe; *cui vadis conjux Ibero, vel sævo Gelono?* Tene in amplexus venire *sævi*, rudis, inculti, mariti, quales sunt Iberi ac Geloni. — « *Non una*, eleganter, ait Burmannus, quia plures ducunt, et vago concubitu gaudent ». Ed.

237-253. Ad hæc Medea *deæ jam dudum spernere voces*, non tulit ultra talium procorum mentionem. *Non ita me immemorem magnæ Perseidos cernis*, noli credere, te amita dulcissima ita indignam me neptem fore, *ut infelix thalamos ego cogar*, cogi possim, cogi me patiar, *in illos.*

240. *I precor*, apage! *atque unum pro me dimitte timorem*, alia omnia possis timere, quam ut talibus procis nubam.

Sed magis his miseram, quando potes, eripe curis,
Unde metus æstusque mihi, quæque aspera, mater,
Perpetior duræ jamdudum incendia mentis.
Nulla quies animo, nullus sopor: ardua amanti.
Quare malis nostris requiem, mentemque repone;
Redde diem noctemque mihi; da prendere vestes
Somniferas, ipsaque oculos componere virga.
Tu quoque nil, mater, prodes mihi: fortior ante
Sola fui: tristes thalamos, infestaque cerno
Omnia, vipereos ipsi tibi surgere crines ».
  Talia verba dabat, collapsaque flebat iniquæ
In Veneris Medea sinus, pestemque latentem
Ossibus, atque imi monstrabat pectoris ignem.
Occupat amplexu Venus, et furialia figit
Oscula, permixtumque odiis inspirat amorem.

241. *Quoniam potes.* Carr. — 242. *Unde metus æstusque mihi.* Sic Maser. Eugent. *Unde metus est usque mihi.* Vatic. cod. Bon. I et II. Junt. Ald. Carr. I. *Aspera semper.* Bonon. cod. et edd. ante Carr. — 244. *Arida menti.* Vatic. Bonon. codd. Bonon. I. *Arida mens est.* Bonon. II. Maser. Eugent. *Ardua menti.* Junt. Ald. — 246. *Redde diem noctem mihi deme, adprendere.* Bonon. I et II. Junt. Ald. *Da prendere vestes.* Vatic. cod. sed recenti manu, deleta veteri scriptura. *Da me adprendere.* Sabell. *Redde diem et noctem mihi: da me adprendere.* Maser. — 250. *Omina.* Ald. probantibus Zinzerl. Voss. Heins. — 253. *Atque ibi.* Vatic. cod. *Nutribat.* Ald. Ed.

241. Sed longe aliud me nrit, *tuque, potes* enim, *miseram his*, quæ affligunt animum, *eripe curis. Nulla quies animo, nullus sopor : ardua amanti*, mihi quæ magnum aliquod et difficile molior.

245. *Mentem repone* emotam quasi; *redde diem noctemque mihi*, quas antea tam quieta transegi; *da prendere vestes* tuas *somniferas*, *ipsaque oculos componere* ad quietem, claudere, *virga* tua magica.

248. Sed *et tu, mater, nil prodes mihi... infesta cerno omnia*, teque *ipsam, cui viperei surgunt crines.*

251. *Collapsa*, animi deliquium passa, flevit *in iniquæ*, fraudulentæ, *Veneris sinus*, et signis apertis, quid in animo ageretur, prodidit.

252. *Pestemque latentem*. Sic Virg. Æn. I, 712: *pesti devota futuræ*. Ed.

254-291. Jam Venus ad rem propius accedit, jamque ipsina Jasonis mentionem facit ficta oratione. *Occupat amplexu, et furialia*, exitialia, ad furorem impellentia, *figit oscula, permixtumque odiis*, tædio patriæ, *inspirat amorem.*

Dumque illam variis mœrentem vocibus ambit,
Inque alio sermone tenet, « Quin hoc, ait, audi,
Atque attolle genas »; lacrimisque hæc infit obortis :
« Quum levis a superis ad te modo laberer auris,
Forte ratem primo fugientem litore cerno,
Qualem nostra suo nunquam dimittere portu
Vellet, adhuc omnes quæ detinet insula nautas.
Unus ibi ante alios, qui tum mihi pulchrior omnes
Visus erat (longeque ducem mirabar et ipsa),
Advolat, atque unam comitum ratus esse tuarum :
« Per, tibi si quis, ait, morituri protinus horror,
« Et quem non meritis videas occurrere monstris,
« Hæc, precor, hæc dominæ referas ad virginis aurem ;
« Tu fletus ostende meos ; illi has ego voces,

261. *Porto.* Vatic. cod. *Ponto.* Bonon. cod. Bonon. I et II, et edd. usque ad Eugeni. — 264. *Et ipse.* Bonon. cod. Maser. Ald. Carr. Ed.

256. *Variis mœrentem vocibus ambit*, ambagibus utitur, *inque alio sermone tenet*, dolorem mox hac, mox illa oratione levare velle videtur. — Conf. Virg. Æn. IV, 283 : *quo nunc reginam ambire furentem Audeat adfatu ?* Ed.

257. Noli mœrere, *quin*, immo vero, *audi*, quæ narrabo, *atque attolle genas*, oculos, vultum erige.

259. *Quum levis* curru meo, *ad te*, tua enim solius causa huc veni, v. 223, *modo superis auris*, aere, *laberer, forte ratem primo*, extremo, *litore cerno fugientem*, vela, abitum parantem (astute hoc fingit, quo magis Medeam incendat, tempusque deliberandi præcidat), navem, inquam, tam egregiam, qualem ego ex insula mea nunquam dimitterem. — Vide ad calcem hujus libri not. 262. Ed.

263. Ex hac igitur navi unus præ cæteris ita pulcher, ut ipsa mirarer, advolat, ratusque, me unam esse comitum tuarum, ita affatur : *Per, tibi si quis morituri protinus horror*, si quis humanitatis tibi sensus et commiseratio hominis est, qui in ipso mortis articulo versatur (constructio talis τοῦ *per* in jurando et obtestando haud insolita ; sic Virgil. Æn. II, 142 : *Per, si qua est, quæ restet,... fides, oro, miserere laborum*), *et quem non meritis*, haud meritum, *videas occurrere*, objici, *monstris*.

268. *Hæc dominæ tuæ referas, illi has voces hasque manus tendo :* hoc *tendo* proprie ad solas *manus* pertinet, sed amant poetæ in primis unum verbum duobus vel pluribus jungere substantivis, quamquam uni tantum proprie aptum

« Qua datur, hasque manus, ut possum, a litore tendo:
« Ipsæ, ego quas mecum per mille pericula traxi,
« Defecere deæ: spes et via sola salutis,
« Quam dederit, si forte dabit; ne vota repellat,
« Ne mea, totque animas, quales nec viderit ultra,
« Dic, precor, auxilio juvet, atque hæc nomina servet.
« Si Pelopis duros prior Hippodamia labores
« Expediit, totque ora simul jugulata procorum
« Respiciens, tandem patrios exhorruit axes;
« Si dedit ipsa neci fratrem Minoia virgo;
« Cur non hospitibus fas sit succurrere dignis
« Te quoque, et Ææos jubeas mitescere campos?
« Occidat æterna tandem Cadmeia morte
« Jam seges, et viso fumantes hospite tauri.

271. *Ipse quas.* Vatic. et Burm. codd. *Ipse ego quas.* Bonon. cod. Maser Engent. — 274. *Nunc mea.* Bonon. II, cum Sabell. Ald. — 277. *Jugulata.* Sic emendabat Sabell. *Vulgata procorum.* Vatic. Bonon. et Carr. codd. Bonon. I. Junt. Ald. — 281. *Subeas mitescere.* Vatic. Bonon. codd. Bonon. I. — 283. *Spumantes hospite.* Junt. et posterr. usque ad Heins. Ed.

sit; omnino ob oculos habuisse videtur Valerius Virg. Æn. III, 176: *tendo* supinas Ad cælum cum *voce manus.*

271. *Ipsæ, ego quas mecum per mille pericula traxi* (graviter dictum), non sine magno labore per diversa maria mecum duxi, *defecere deæ,* deseruisse me videntur. Blanda admodum et adulatoria oratio: quod deæ non possunt, id potest regia tua virgo, hæc mihi dea erit.

272. *Spes et via sola,* via sola, in qua spem pono, *salutis* est, *quam ipsa dederit, si forte dabit,* nisi temere spero. *Ne vota repellat, ne mea* (affectus causa repetitum *ne*), *totque animas,* tot viros, *atque hæc nomina,* tam insignes viros, *servet.*

276. Vide ad calcem hujus libri not. 276. Ed.

280. Exemplis Hippodamiæ et Ariadnes ad imitandum propositis, Jason pergit Medeam excitare: *Cur non fas sit et te hospitibus dignis* (quibus succurratur) *succurrere, et Ææos jubeas mitescere campos,* ut purges a tot monstris eos occupantibus? *Occidat morte æterna,* quæ numquam postea renascatur, *Cadmeia seges,* nam dimidiam Cadmeorum dentium partem Æetæ Minerva dederat (vid. Apollon. III, 1175; Apollodor. I, 9, 23), *et tauri viso hospite fumantes,* ignivomi, occidant.—Vide ad calcem hujus libri not. 280. Ed.

« Hei mihi, quod nullas hic possum exsolvere grates!
« Ut tamen hoc sæva corpus de morte receptum,
« Hanc animam sciat esse suam : miserebitur ergo?
« Dic, ait, an potius?... » strictumque ruebat in ensem.
Promisi : ne falle, precor; quumque ipsa moverer
Alloquio casuque viri, te passa rogari
Sum potius; tu laude nova, tu supplice digno
Dignior es : sat fama meis jam parta venenis ».
  Torserat illa gravi jamdudum lumina vultu
Vix animos dextramque tenens, quin ipsa loquentis
Iret in ora deæ: tanta pudor æstuat ira
Verba cavens; horror molles invaserat annos.

285. *Et tandem*. Bonon. cod. *Attamen*. Junt. Ald. Eugent. — 287. *Strictos gaudebit in enses*. Sed vitiose, ut opinor, Ald. — 291. *Dignior es, et fama*. Edd. ante Carr. *Dignior : est et fama*. Carr. Ed.

284. *Hei mihi!* utinam vivus possim illi persolvere grates! attamen sciat, hoc, quod ipsa a sæva morte servavit, corpus animamque ipsi me debere ac devovere.

286. *Miserebitur ergo? Dic, ait, an potius?* Abrumpit orationem, quod solemus animo commoti; *strictumque ruebat*, in eo erat, ut rueret, *in ensem*.

288. Ne vero manum sibi inferret, *promisi* tuo nomine; *ne falle, precor*, fac, ut stare me promissis sentiat : quamquam enim *ipsa moverer alloquio casuque viri*, miseratione ducta prompta ipsa essem ad succurrendum ei artibus meis, *te tamen passa rogari sum potius*, malui hoc eum tibi debere; *tu laude nova*, cujus nondum experimentum fecisti, *tu supplice digno dignior es* (jucunda ejusdem verbi repetitio, Jasoni non minus, quam Medeæ honorifica); *sat fama meis jam parta venenis*, ego annis provectior, satis laudis superque mihi magicis artibus conciliavi.

292-299. Medea ad hæc vehementissima commovetur ira. *Gravi vultu* diu audiverat, *vix animos*, iram, *dextramque continens, quin ipsa loquentis iret*, volaret, *in ora deæ: tanta pudor æstuat ira*, adeo pudibunda exardescit, *verba cavens*, talia vel audire timuit, i. q. paullo post : *diras cupit evadere voces*.

294. *Pudor verba cavens*. Novitate insignis locutio. Utinam facta magis cavisset! pudor scilicet ex animo in aures refugerat. Ed.

295. *Horror molles invaserat annos*. Heinsius olim maluit *artus*; nollem factum! longe doctius magisque poeticum est *annos*. Apposite laudat Burmannus *ætatem mollem* Ovid. Art. Am. I, 10, et *rudes annos* Quintil. Inst. Orat. I, 1. Erat nempe liberaliter educata Medea, quæ, ad-

Jamque toro trepidas infelix obstruit aures:
Nec quo ferre fugam, nec quo se vertere posset
Prensa videt; rupta condi tellure premique
Jamdudum cupit, ac diras evadere voces.
Illa sequi jubet, et portis exspectat in ipsis.
Sævus Echionia ceu Penthea Bacchus in aula
Deserit, injectis per roscida cornua vinclis;
Quum tenet ille deum, pudibundaque tegmina matris,
Tympanaque, et mollem subito miser accipit hastam:
Haud aliter deserta pavet, perque omnia circum
Fert oculos, tectisque negat procedere virgo.
Contra sævus amor, contra periturus Iason
Urget, et auditæ crescunt in pectore voces.
Heu quid agat? videt externo se prodere patrem

296. *Obstruit.* Sic Sabell. *Obruit.* Vatic. Bonon. codd. et edd. præter Maser. — 302. *Infestis.* Bon. cod. *Intextis* et *infectis* pro varia lect. idem. *Insertis.* Ald. *Injectis.* Sabell. Pius. Eugent. *Injectis... vinclis.* Ex Heins. conj. cl. Harles. — 303. *Tegmina patris.* Vatic. Bonon. codd. et edd. ante Burm. *Matris* emendabat Heins. Ed.

hucdum miseratione magis quam amore Jasonis ducta, ad exempla virginum quæ patres fratresque occidissent, proposita cohorruit.

296. *Jamque toro*, cervicalibus, *infelix obstruit aures.... prensa*, deprehensa, in angustias coacta, *rupta condi tellure premique jamdudum cupit* (optatum solenne in summo periculo versantium), *ac diras*, quæ patrem, et fratrem, et patriam, prodere suaderent, *evadere voces.*

300-306. Venus pergit admonere, *jubet sequi*, tandem abit, ita tamen, *ut portis* palatii *exspectet in ipsis*. Desertam igitur se videt Medea, ut olim *Pentheus.*

301. Vide ad calcem hujus libri not. 301. Ed.

305. Hactenus adhucdum fortem se gerit Medea; amat, miseratur Jasonem, miseranda ipsa magis, quam culpanda, quæ ipsarum dearum lenociniis labefactaretur. Videt adhuc meliora probatque, perstat in eo, ut domo nolit excedere; at vero 307-322, deteriora mox incipit sequi. Tanta est animi perturbatio, ut affectus trudat affectum, ut amorem inter et sensum pudoris mens fluctuet. *Contra sævus*, vehementissimus, *amor*, contra *periturus*, indubiæ morti traditus, *Jason urget.*

308. *Et auditæ crescunt in pectore voces*, ad quæ modo obturaverat aures verba, eorum tamen semina furtim in animum delapsa, radices sensim egere, atque incrementa ceperunt.

309. Videt, se peregrini hominis

Dura viro, famam scelerum jamque ipsa suorum
Prospicit, et questu superos, questuque fatigat
Tartara, pulsat humum, manibusque immurmurat uncis,
Noctis heram Ditemque ciens: succurrere tandem
Morte velint, ipsumque simul demittere leto,
Quem propter furit; absentem sævissima poscit
Nunc Pelian, tanta juvenem qui perderet ira:
Sæpe suas misero promittere destinat artes,
Denegat, atque una potius decernit in ira,
Ac neque tam turpi cessuram semper amori
Proclamat, neque opem ignoto viresque daturam;

314. *Demittere*. Edd. ante Heins. et reposuit cl. Harles. — 316. Post versum 316 leguntur versus 320 et 319 hic transpositi in Bonon. cod. et edd. ante Carr. — 318. *Ima potius*. Bonon. I et II. *Discernit*. Edd. ante Carr. præter Maser. — 319. *Se neque*. Carr. cod. *Ac nequeat tam*. Vatic. Bonon. codd. Bonon. I. Ed.

causa impiam in patrem suæque ipsius famæ prodigam fore, et, quidquid deorum dearumve apud superos et inferos est, implorat.

312. *Pulsat humum*, quoniam infernalia invocat numina. Sic vir doctus (*Jortin*), in Miscell. Obss. Batav. vol. I, p. 160, ex Homero, Il. IX, 568: γαῖαν πολυφόρβην χερσὶν ἀλοία, Κικλήσκουσ' Ἀΐδην καὶ ἐπαινὴν Περσεφόνειαν.
—*Manibusque immurmurat uncis*, incurvatis, tacite secum loquitur; Sil. Ital. XIII, 428, *arcanum murmur anhelans*.

313. *Noctis heram Ditemque ciens*, *succurrere*, beare, *tandem*, diu afflictam, *morte velint*, *ipsumque simul demittere* (recte recepit Harlesius e Bononiensi pro vulgato *dimittere*. Sic Virgil. Æn. IX, 527; X, 662) *leto*, *quem propter furit*, quo non imprecatur mortem Jasoni, sed est amoris significatio, uti Horatii illud, Od. III, 9, 24: *tecum vivere amem, tecum obeam libens*.

315. *Absentem sævissima*, iratissima, *poscit Pelian*, optat præsentem habere, ut ora invadat.—Nos aliter intelligimus: *poscit Pelian* ad *sævissima* supplicia. Præpositionem, poetico more, omisit Valerius. Ed.

317. *Sæpe suas misero promittere*, addicere, *destinat*, statuit, *artes* magicas, *mox denegat* (*dein negat*, Dorvil. ad Chariton. pag. 570, ed. Lips.), *atque una potius decernit in ira*. Quid sibi velit Valerius, facile est ad intelligendum: stat sententia, certa tandem est, suæ Jasonem sorti permittere; sed insolentior est verbi *decernere* constructio. — Vide ad calc. huj. lib. not. 318. Ed.

319. *Neque tam turpi cessuram semper*, diutius, *amori proclamat*, clara voce pronuntiat, *neque opem viresque*, quibus valeat, *ignoto*, peregrino, *daturam*. Sic toro re-

Atque toro projecta manet : quum visa vocari
Rursus, et impulso sonuerunt cardine postes.
Ergo ubi nescio quo penitus se numine vinci
Sentit, et abscisum quidquid pudor ante monebat,
Tum thalami penetrale petit, quæ maxima norat
Auxilia Hæmoniæ quærens pro rege carinæ.
Utque procul magicis spirantia tecta venenis,
Et sævæ patuere fores, oblataque contra
Omnia, quæ Ponto, quæ Manibus eruit imis,
Et quæ sanguineæ Lunæ distrinxit ab ira :
« Tune sequeris, ait, quidquam, aut patiere pudendum,

321. Post hunc vers. desideratur folium integrum a vs. 322 ad vs. 359 in Vatic. cod. Vid. Heins. 7, 357. *Tunc visa.* Bonon cod. — 330. *Lunam.* Bonon. cod. Bonon. I. Junt. Ald. Ed.

cubuit, donec demum vocari sibi videtur, januæque *cardines impulsos* iterum opinatur moveri.

323-346. Mutat igitur subito mentem, opemque Jasoni ferre denuo constituit. Quum ergo *numine* quodam *penitus vinci*, totum animum impelli, obsideri, *sentiret*, et *abscisum*, excussum esse, evanuisse, *quidquid pudor ante monebat*, pudoris monita, *tum thalami penetrale*, interius conclave, *petit*, ubi herbas servabat conditas, *auxilia*, *quæ maxima*, præsentissima, *norat*, *pro rege*, principe, *Hæmoniæ*, Thessalicæ, *carinæ quæsitura*.

327. *Procul magicis spirantia tecta venenis*, odores herbarum ex conclavi late sparsi sunt... *oblata contra omnia*, ob oculos habebat totum venenorum apparatum, *quæ Ponto*, ex terris Ponto adjacentibus, *quæ Manibus eruit imis*, e tumulis, sepulcris collecta, *et quæ sanguineæ Lunæ distrinxit* (melius *destrinxit*, detersit) *ab ira*, spumam nempe, quam Luna veneficarum carminibus, quibus cælo deduceretur, irata emittere, et in herbas et gramina effundere credebatur. Similis locus est Ovidii, Amor. II, 1, 23 : *Carmine sanguineæ deducunt cornua Lunæ*. In longo ejusdem Medeæ medicaminum indice apud eumdem Ovidium, Metam. VII, 264 sq. sunt etiam *exceptæ Luna pernocte pruinæ*; vide et Nostrum supra, VI, 447 : *Atracio Lunam veneno spumantem*. — Adi præterea Statii Theb. nost. ed. T. II, p. 128, ubi de *labore lunæ* ampliorem notam invenies. Ed.

331. Jam vero Jasoni suo potissimum profutura venena eliget? Minime vero (conf. ad totum locum Apollon. III, 801 sq.). Laudabunt mecum omnes poetæ commentum, quo honori Medeæ denuo consulit, sensumque pudoris semel adhuc in animum ejus jubet redire. Quid? si his venenis, ita loquentem inducit miserandam virginem, quid? si in me ipsam utar? *Tunc sequeris*, agas, facias, *quidquam*, *aut patiare pudendum*, nefas, *quum tibi tot mor-*

Quum tibi tot mortes, scelerisque brevissima tanti
Effugia? » Hæc dicens, qua non velocior ulla
Pestis erat, toto nequicquam lumine lustrat,
Cunctaturque super, morituraque colligit iras.
O nimium jucunda dies, quam cara sub ipsa
Morte magis! Stetit, et sese mirata furentem est.
« Occidis, heu! primo potes hoc durare sub ævo?
Nec tu lucis, ait, nec videris ulla juventæ
Gaudia? nec dulces fratris pubescere malas?
Hunc quoque, qui nunc est primævus, Iasona nescis

332. *Mortes*. Sic restituit Zinzerl. *Mortis*. Bonon. cod. et edd. ante Heins. — 333. *Velocior*, et vs. seq. *Pestis erat*, acute Dorvill. ad Char. pag. 604. — 339. *Heu tu lucis*, *ait*. Bonon. cod. — 340. *Non dulces*. Bonon. cod. et edd. ante Carr. — 341. *Crudelis*, *Iasona*. Bonon. cod. et edd. ante Carr. Ed.

tes, tot herbæ mortiferæ, *scelerisque brevissima tanti effugia*, viæ, quibus tantum scelus evitare possim, brevissimæ, suppetant?

333. *Hæc dicens*, *qua non velocior ulla pestis erat*. Hoc recepi ex felicissima Dorvilii ad Charitonem, pag. 570, ed. Lips. conjectura; vulgata enim (*quæ non velocius ulla pestiferam... lustrat*) defendi nullo modo potest, quum *pestiferam* non habeat, cui respondeat, substantivum. Talem igitur *pestem*, efficacissimum, præsentissimum venenum, *toto nequicquam lumine lustrat*, oculorum animique aciem intendit, sed frustra: dubia manet, *cunctaturque super*, diutius quærit, *morituraque colligit iras*, quo diutius immoratur herbarum lustrationi, eo major voluntariæ mortis impetus fit. Sed prævalet mox vitæ longioris amor.

336. *O nimium jucunda dies*, vita, *quam cara sub ipsa morte magis*, numquam gratior atque jucundior, quam quum propius absumus a morte. Sed hæc sunt verba poetæ, non Medeæ.

337. *Stetit*, *et sese mirata furentem est*, quæ tam temere consilium ceperit moriendi. Nunc ipsa Medea loquens inducitur: *Occidis heu!* sic igitur mori vis? *primo potes hoc durare sub* (redundat, ut sæpe) *ævo*, in flore ætatis constituta, hanc talem animo concipere cogitationem possis, et in ea persistere?

339. *Nec lucis*, vitæ, *videris*, percipias, *ulla*, nec *juventæ gaudia? nec dulces* videris *fratris pubescere malas*, qui solus mas est, quem amavi hucusque, amare debui?

341. Et (elegans conversio, qua poeta ad Iasonem revertere jubet Medeam) si perstem in moriendi consilio, in una duo moriemur, *nescis morte tua perire* simul Iasonem (conf. Ovid. Metam. II, 609: *duo nunc moriemur in una*; et, III, 473: *anima moriemur in una*), Iasonem inquam, quem nefas esset

Morte perire tua, qui te nunc invocat unam,
Qui rogat, et nostro quem primum in litore vidi?
Cur tibi fallaces placuit conjungere dextras
Tunc, pater, atque istis juvenem non perdere monstris
Protinus? ipsa etiam, fateor, tunc ipsa volebam.
Testor cara tuas, Circe Titania, voces:
Te ducente sequor: tua me grandæva fatigant
Consilia, et monitis cedo minor». Hæc ubi fata,
Rursus ad Hæmonii juvenis curamque metumque
Vertitur; hunc solum propter seu vivere gaudens,
Sive mori, quodcumque velit: majora precatur
Carmina, majores Hecaten immittere vires
Nunc sibi; nec notis stabat contenta venenis.

344. Post hunc versum duos sequentes refert Pius ex codice Pomponii Læti juxta Heins. deprromptos: *Æta parens, si poscenti sua fulva negasses Vellera, sed patrium vetuisses Phasin adire, Tunc poteras*, etc. — 345. *Tunc poteratque istis.* Bon. cod. Bon. I. Junt. *Tunc pater atque istis.* Bon. II. *Tunc poterasque istis.* Maser. Carr. *Tunc poteras istis juvenem tunc.* Ald. Eugent. — 351. *Se vivere.* Bonon. cod. Bonon. I et II, et edd. ante Burm. — 354. *Nec notæ.* Pessime Carr. II. Ed.

perire, est enim *primævus*, ætateque maxime floret, *qui te nunc invocat unam*, in te sola spem omnem reponit. —*Nostro* quemdam criticum offendit; at, recte monet Harlesius, permutatio personarum in sermone turbatiore sæpe occurrit. Ed.

346. *Ipsa etiam, fateor, tunc ipsa volebam*, voluissem, dum erronem esse Jasonem et piratam opinarer, qui vellus tibi avertere vi vellet.

347-370. Nunc tota in Jasone denuo est Medea; quam antea aversata erat, Circen ipsam implorat, et ad deligendas efficacissimas properat herbas. *Testor cara tuas, Circe Titania, voces*, obtestor, provoco ad promissa tua (dixerat enim, v. 223: *tu mihi causa viarum; Sola tuæ venio juventæ*); *tua me grandæva* (grandevæ) *fatigant*, totam occupant, *consilia, et monitis cedo minor*, vel ætate, ut ad *grandævam*, vel prudentia, ut ad *consilium* referatur.

350. Rursus ad Hæmonii juvenis *curamque metumque*, amorem de juvene sollicitum, *vertitur*, propter hunc solum *seu vivere gaudens, sive mori, quodcumque velit*, cum eo, prout ipsi placeret, et vivere et mori parata.

352. *Majora*, efficaciora, *carmina Hecaten, majores vires*, præsentiora venena sibi immittere precatur; *nec notis*, vulgaribus, *venenis contentu stabat*, pro *erat*, sed cum ἐνεργείᾳ quadam, non stabat otiosa.

Cingitur inde sinus, et qua sibi fida magis vis
Nulla, Prometheæ florem de sanguine fibræ
Caucasium, tonitru nutritaque gramina, promit,
Quæ sacer ille nives inter tristesque pruinas
Durat editque cruor; quum viscere vultur adeso
Tollitur e scopulis, et rostro irrorat aperto.
Idem nec longi languescit finibus ævi
Immortale virens : idem stat fulmina contra
Sanguis, et in mediis florescunt ignibus herbæ.
Prima Hecate Stygiis duratam fontibus harpen
Intulit, et validas scopulis effodit aristas:
Mox famulæ monstrata seges, quæ lampade Phœbes

357. *Caucaseum ponit nutritaque gramina ponit.* Bonon. cod. *Caucaseum promit nutritaque gramina ponit.* Carr. cod. *Gramina ponit.* Bonon. I et II. En.

355. *Cingitur inde sinus, et promit* ex arcula, quo nullum potentius nosset venenum, *Prometheæ florem de sanguine fibræ Caucasium*, in Caucaso monte e sanguine jecoris Promethei prognatum florem, *tonitru nutritaque gramina*, eumdem florem inter tonitrua felicius procrescentem; *quæ* gramina *sacer*, vel Promethei (infra vs. 368 : *saniem dei*), vel veneficiis destinatus, *cruor nives inter tristesque pruinas*, per frigora, hiemes, *durat editque*, indurat et marcida facit; *quum viscere*, jecinore Promethei, *vultur adeso*, depasto, *tollitur*, in aerem avolat, *e scopulis*, *et rostro irrorat*, conspergit, *aperto*. Totus locus, mutatis tamen subinde coloribus, desumptus ex Apollonio, III, 851 sq. Luxuriatur poeta, atque magum ipse videtur egisse, ita parum comprehendi nonnulla etiam in sequentibus possunt. In mente tamen habuisse videtur *Colchicum autumnale*.

361. *Idem sanguis nec longi finibus ævi*, diuturnitate temporis, *languescit*, vim amittit, *immortale virens*, perennis, semper vigens; *idem stat contra fulmina*, quæ nihil contra eum valent, *et in mediis florescunt ignibus herbæ*, hoc fortasse non sine respectu ad tauros ignivomos, quorum flammas istæ herbæ possent restinguere.

364. Prima Hecate *harpen*, falcem, cultrum, *Stygiis fontibus*, Styge, *duratam*, ut chalybis duritiem haberet, *intulit*, ad radicem eruendam admovit, *et validas*, admodum noxias, venenosas, *scopulis effodit aristas*, caules cum floribus.

366. *Mox famulæ monstrata seges*, Hecate hanc herbam monstraverat Medeæ, *quæ lampade Phœbes sub decima*, decimo post novilunium die, ubi luna pernox, *juga fœta* Caucasi, his herbis abundantis, *metit*, quod apposite ad præcedentem segetem.

Sub decima juga fœta metit, sævitque per omnes
Relliquias saniemque dei; gemit irritus ille
Colchidos ora tuens: totos tunc contrahit artus
Monte dolor, cunctæque tremunt sub falce catenæ.
  Talibus infelix contra sua regna venenis
Induitur, noctique tremens infertur opacæ.
Dat dextram vocemque Venus, blandisque paventem
Alloquiis, junctoque trahit per mœnia passu.
Qualis adhuc teneros supremum pallida fœtus
Mater ab excelso produxit in aera nido,
Hortaturque sequi, brevibusque insurgere pennis;
Illos cærulei primus ferit horror Olympi;

370. *Mente dolor.* Bononiensis codex, et editiones ante Carrionem. — 373. *Dat dextram blandique pavens vocem Venus quam est.* Corrupte Vatic. cod. *Dat d. blandeque pavens vocem Venus et quam.* Bonon. cod. Bonon. I et II. Junt. Maser. Ald.... *ut quam.* Engent. cum Pio. — 377. *Hortaturque sævi.* Vatic. cod. *Hortaturque suis.* Carr. cod. Ed.

367. *Sævitque per omnes relliquias saniemque dei*, ut quamque Medea radicem resecaret, ita per sympathiam, quam vocant, deus Prometheus in exiguis exulcerati jecinoris relliquiis sensit dolorem.

368. *Gemit irritus*, frustra, *Colchidos*, Medeæ, *ora tuens*, quotiescumque videret: *totos tunc contrahit artus monte dolor*, præ dolore totum corpus horret, *cunctæque tremunt*, resonant, *sub falce catenæ*.

371-399. Tandem domo excedit Medea. *Talibus infelix*, miseranda, *contra sua regna*, patriam, *venenis induitur* (*cingitur*, 355), instruitur, *noctique tremens infertur opacæ*, tenebris noctis se committit, meticulosa tamen.

373-374. Versiculi jucundissimi! *Dat dextram vocemque Venus*, dextra prehendit, En adsum tibi! *blandisque paventem alloquiis*, bono eam animo esse jubet, *junctoque trahit*, lentam enim metus pudorque faciebant, *per mœnia passu*.

375-381. Non minus suavis et ad naturæ veritatem accommodata est comparatio Veneris cum aquila matre, quæ fetus primum nido educit, et Medeæ cum aquila pullo, qui ad primum aeris experimentum faciendum a matre incitatur. *Qualis*, sicut, *mater pallida*, ipsa meticulosa, *fetus adhuc teneros ab nido excelso in aera supremum*, æthera, *produxit* (ἀορίστως), producere solet, *hortaturque sequi*, *brevibusque insurgere*, se extollere, *pennis*.

378. Pulli ut primum latum et immensum æthera sibi apertum vident (de avibus nidum primum relinquentibus vide etiam Ovidium, de Arte amatoria, II, 64), horror

Jamque redire rogant, assuetaque quæritur arbor :
Haud aliter cæcæ per mœnia deficit urbis
Incedens, horretque domos Medea silentes.
Hic iterum extremæ nequicquam in limine portæ
Substitit, atque iterum fletus animique soluti :
Respexitque deam, paullumque his vocibus hæsit :
« Ipse rogat certe, meque ipse implorat Iason ?
Nullane culpa subest ? labes non ulla pudoris,
Nullus amor ? nec turpe viro servire precanti ? »
Illa nihil contra, vocesque abrumpit inanes.
Et jamjam magico per opaca silentia Colchis
Cœperat ire sono, monstrataque condere vultus
Numina, cumque suis averti collibus amnes :
Jam stabulis gregibusque pavor, strepitusque sepulcris
Inciderat ; stupet ipsa gravi nox tardior umbra :

379. *Redire cogant.* Vatic. et Burm. codd. *Volunt.* Carr. — 380. *Haud aliter Cæcæ.* Vatic. cod. *Haud alia Ææa.* Carr. Ed.

cos invadit, matresque rogant, ut ad nidum redeant.

380. *Haud aliter per mœnia cæcæ*, obscuræ, noctis tenebris involutæ, *urbis incedens, Medea domos silentes*, silentium per totam urbem dominans, *horret.*

382. *Hic iterum extremæ*, sed *nequicquam*, *in limine portæ* urbis *substitit*, *iterum fletus animique soluti*, denuo lacrimas fundit, denuo animus emollitur, *paullumque his vocibus hæsit*, dubiam mentem exprompsit.

385-387. Ipse rogat auxiliumque meum implorat Jason? *Labes non ulla pudoris*, *nullus amor*, sc. pudoris? Nonne, nisi labem adspergam pudori meo, saltem me ejusdem non satis amantem esse prodam, famæque negligentem? *nec turpe viro servire precanti*, ad primas preces dedere se atque emancipare?

386. *Labes non ulla pudoris?* Veretur, nec immerito, ne pudori suo non satis consulat. *Nullusne amor*, sub specie miserationis, subest? Ed.

388. Venus nihil contra, *vocesque abrumpit inanes*, sermonem alio dirigere lubet.

389. *Magico sono*, inter cantus magicos et murmura, uti recte Burmannus, per noctis silentia incedit Medea.

392. *Jam stabulis gregibusque*, armentis et pecudibus, *pavor, strepitusque sepulcris inciderat*, ipsi manes excitatos se sollicitatosque sentiebant: *stupet ipsa gravi nox tardior umbra*, ultra solitum se protrahi

Jamque tremens longe sequitur Venus; utque sub altas
Pervenere trabes, divæque triformis in umbram,
Hic subito ante oculos nondum speratus Iason
Emicuit, viditque prior conterrita virgo.
Atque hinc se profugam volucri Thaumantias ala
Sustulit, inde Venus dextræ dilapsa tenenti.
Obvius ut sera quum se sub nocte magistris
Impingit pecorique pavor; qualesve profundum
Per Chaos occurrunt cæcæ sine vocibus umbræ:
Haud secus in mediis noctis nemorisque tenebris
Inciderant ambo attoniti, juxtaque subibant,
Abietibus tacitis aut immotis cyparissis
Adsimiles, rapidus nondum quas miscuit Auster.

394. *Namque tremens.* Vatic. et Bonon. codd. *Ipsa tremens.* Carr. — 398. *Alis.* Vatic. cod. *Volucris alis.* Carr. — 406. *At similes.* Bon. cod. Bon. I. Ed.

spissiorique caligine involuta sibi videbatur. Conf. de his magicis Medeæ artibus Apollon. III, 530 sq.

394. *Jamque tremens*, de eventu anxia, *longe sequitur Venus;* utque in silvam lucumque Hecates veneraut, *subito ante oculos nondum speratus*, opinione citius, *emicuit*, exquisite pro *prosiluit; viditque prior conterrita virgo*, ad couspectum cohorruit. — Vide ad calcem hujus libri not. 394. Ed.

398. *Atque hinc* (recepi præeunte Bononiensi et Heinsio pro *hic*, ut sequenti *inde* respondeat) *se profugam volucri Thaumantias*, Iris, *ala sustulit*, peractis Junonis mandatis (v. 188), relicto Jasone, in Olympum rediit; *inde* ex altera parte *Venus dextræ dilapsa*, clam effugit, subduxit se, *tenenti.*

400-430. Sic sola relicta Medea cum solo Jasone. Prius vero, quam sermonem misceutes inducit poeta, qui in utrisque amantibus animi motus exstiterint, admodum luxurianter non una, sed tribus illustrat comparationibus. *Obvius ut quum pavor,* terror panicus objectus, *sera sub* (abundat) *nocte magistris*, pastoribus (conf. VI, 436), *pecorique se impingit* (gravius, quam *inciderat,* paullo ante, 393); *qualesve profundum per Chaos*, regnum inferornm (*ingenti jacens ore*, I, 381), *occurrunt cæcæ*, quæ corpora videntur habere, sed non nisi simulacra sunt corporum, uno verbo inanes, *sine vocibus*, silentes, *umbræ; haud secus* obviam sibi facti Jason et Medea, *juxtaque subibant*, prope ex adverso stabant, *abietibus tacitis aut immotis cyparissis adsimiles*, *rapidus nondum quas miscuit Auster.* Ad verbum desumpta ex Apollonio, III, 967: Τὼ δ' ἄνεῳ καὶ ἄναυδοι ἐφέστασαν ἀλλήλοισιν, Ἠ δρυσὶν, ἢ μακρῇσιν ἐειδόμενοι ἐλάτῃσιν, Αἵ τε παρᾶσ-

Ergo ut erat vultu defixus uterque silenti,
Noxque suum peragebat iter, jamjam ora levare
Æsoniden, farique cupit Medea priorem.
Quam simul effusis pavitantem fletibus heros,
Flagrantesque genas vidit, miserumque pudorem,
Has tandem voces dedit, et solatus amantem est:
« Fersne aliquam spem lucis? ait, miserata laborem
Nempe venis? an et ipsa mea lætabere morte?
Ne, precor, infando similem te, virgo, parenti
Gesseris: haud tales decet inclementia vultus.
Hascine nunc grates, hæc exspectata laborum
Dona dari decuit? sic te sub teste remitti
Fas me, virgo, tuum? justas da vocibus aures.
Nec pater ille tuus tantis me opponere monstris,

419. *Fas mihi.* Vatic. Bonon. codd. Junt. et posterr. *Fas mi.* Alard. an etiam Carr. II? Cf. Heins. et Burm. nott. Ed.

σον ἔχηλοι ἐν οὔρεσιν ἐῤῥίζωνται Νημεμίῃ.

407. Ergo, dum silentes demissoque vultu ita contra se stant, *noxque suum peragebat iter,* in eo erat, ut perageret, diesque prope illucescere incipiebat, jamjam Jasonem vultum erigere, *farique cupit Medea priorem.* Bene consulit pudori virginis poeta, qui loquendi cupidæ prioris tamen sermocinationis partes non tribuit.

410. Quam ut anxiam multasque fundentem lacrimas, *flagrantesque genas* vidit, *miserumque*, qui misericordiam moveret (Ovidius aliquoties, Metam. X, 411; Noster infra, *ægrum*), *pudorem has tandem voces dedit, et solatus amantem est.* Solatus? At vero, quæ sequitur oratio, nihil habet solatii, immo vero nil nisi querelas de iniquitate patris continet, nec ipsi adeo Medeæ parcit, v. 418.

413. *Fersne aliquam spem lucis,* salutis? Ed.

415. *Infando*, iniquissimo, perfido, *parenti.*

418. *Sic te sub* (παρέλκει, ut sæpe) *teste*, te præsente (adfuit enim; vid. supra 103), *remitti*, repudiari, *fas me tuum*, qui tantopere te colo, amo? *justas da vocibus aures*, æquis auribus æquoque animo audias.

420. Ne *pater* quidem *tuus*, *ille* (ἐμφατικῶς), tam dirus, *voluit* me perdere, quum primum vellus petii. Revera, Æetes Jasonem simulata benignitate exceperat; vid. supra V, 534. Ed. — An monstris me objicere *nunc vult*, quum *jacet externa cuspide*, hostili lancea, *Canthus* (VI, 317)? *quodque meus vestris cecidit pro mœnibus Iphis?* Hujus nulla fit

(Quid meritum?) aut tales voluit me pendere pœnas.
An jacet externa quod nunc mihi cuspide Canthus,
Quodque meus vestris cecidit pro mœnibus Iphis?
Aut Scythiæ tanta inde manus? jussisset abire
Perfidus, atque suis extemplo cedere regnis.
Spem mihi promissam per quæ discrimina rursus,
Et reddat qua lege, vides: occumbere tandem
Possumus; idque sedet, quam non quæcumque subire
Patris jussa tui: nunquam sine vellere abibo
Hinc ego; degenerem nec me tu prima videbis».
Hæc ait: illa tremens, ut supplicis adspicit ora
Conticuisse viri, jamque et sua verba reposci,

421. *Voluit pendere*, non *expendere*, ut citat Heins. Vatic. cod. *Voluit expendere*. Bonon. cod. *Voluit me expendere*. Junt. Maser. Ald. Engent. — 422. *Jam jacet*. Bonon. cod. Bonon. I. Junt. et posterr. usque ad Carr. Ed.

mentio libro VI, in certamine cum Scythis, et forsan aliquot versiculi interciderunt. Libro tamen, I, 441, ei prædicitur mors in Scythica arena. *Aut Scythiæ tanta inde*, ex altera parte, *manus*, scil. *cecidit*, quod repetendum ex præcedenti versu. — Merito queritur Jason quod Æeten primo benignum (specie quidem) expertus, nunc infensum habeat, cui tam naviter suam in prælio adversus Scythas oppugnantes operam præstiterit. Ed.

424. *Jussisset*, jubere potuisset, me *abire perfidus;* jam vero *spem mihi promissam per quæ discrimina rursus*, nova, *et qua lege*, quam duris conditionibus, *reddat*, exsolvat, *vides*.

427. *Occumbere tandem*, si ita fata velint, *possumus*, *idque sedet*, firmiter apud animum constitui (adde *magis*, vel *potius*, quod Latini haud raro, uti μᾶλλον Græci, solent omittere), *quam non quæcumque subire Patris jussa tui*.

429. *Numquam sine vellere abibo hinc ego* (hoc *ego* h. l. haud exiguam gravitatem habet), *degenerem* ignavum, timidum, *nec me tu prima videbis*. Satis fortiter dicta, mallem magis blande, quod meo qualicumque judicio eo poterat, ut renuntiare dicta patri Medeam rogaret. — Refelli potest Wagneri judicium eo, quod Medeam auctor supra, v. 108, incensam finxit fortitudinis et roboris specie, quæ Jasonis ex humeris et tergo abeuntis apparebat: talem igitur Medeam fortia magis quam blanda juvisse verba verisimile est. Ed.

431-461. Medea ad hæc respondet, tandemque herbas tradit Jasoni. *Tremens*, *ut supplicis*, non tam verbis, quam vultu, *ora conticuisse viri videt*, *jamque et sua verba reposci*, cupide exspectari, *nec quibus*

Nec quibus incipiat demens videt, ordine nec quo,
Quove tenus, prima cupiens effundere voce
Omnia: sed nec prima pudor dat verba timenti.
Hæret, et attollens vix tandem lumina fatur:
« Quid, precor, in nostras venisti, Thessale, terras?
Unde mei spes ulla tibi? tantosque petisti
Cur non ipse tua fretus virtute labores?
Nempe, ego si patriis timuissem excedere tectis,
Occideras! nempe hanc animam sors sæva manebat
Funeris! en ubi Juno, ubi nunc Tritonia virgo?
Sola tibi quoniam tantis in casibus adsum
Externæ regina domus: miraris et ipse,
Credo, nec agnoscunt hæ nunc Æetida silvæ.

440. *Tenuissem.* Vitiose Bonon. I, ubi *renuissem* emendabat Sabell. — 441. *Pars sæva.* Vatic. Bonon. codd. edd. usque ad Heins. et tuetur Voss. — 442. *Funeris. Juno ubi nunc ubi nunc T. v.* Vatic. cod. *Funeris. O ubi J.* Bonon. cod. Bonon. I et II, et edd. ante Carr. — 444. *Et ipsa.* Carr. En.

incipiat demens, extra se posita, animo vehementer perturbata, *videt, ordine nec quo, Quove tenus*, quibus finibus verba contineret, *prima cupiens* (ita plenus animus erat) *effundere voce Omnia; sed nec prima pudor dat verba timenti*, ne unum quidem verbulum præ pudore potuit proferre. Elegantissimus locus, cujus fundus est Apollon. III, 1010: οὐδ' ἔχεν ὅττι παροιθεν ἔπος προτιμυθήσαιτο, Ἀλλ' ἄμυδις μενέαινεν ἀολλέα πάντ' ἀγορεῦσαι, quæ more suo, nec infeliciter, hoc loco saltem, magis exornavit Valerius.

436. *Hæret*, paulisper servat silentium, *et vix tandem attollens lumina fatur* (et fatur egregie): *Quid*, cur vero, *precor, in nostras venisti terras, Thessale*, e terra tam remota?

438. *Unde mei*, quæ femina sum, *spes ulla tibi? cur non ipse tua*, qui vir es et heros, *virtute fretus tantos petiisti labores?*

440. Scilicet, nisi sustinuissem exire paterna domo (quod pudor vetabat), de te actum erat; *hanc tuam animam funus manebat*. Non inconcinna est hæc repetitio: huic enim cogitationi libenter immoratur Medea, ut intelligat Jason quantum suæ servatrici debeat. Ed.

442. *En ubi nunc Juno, ubi Minerva tua? sola tibi quoniam adsum, externæ regina domus*, peregrini regis filia.

445. *Nec agnoscunt hæ nunc silvæ Æetida*, me, quam non nisi piam Hecates sacerdotem hucusque noverant, jam cum peregrino juvene noctu sine teste colloquentem.

Sed fatis sum victa tuis : cape munera supplex
Non mea ; teque iterum Pelias si perdere quæret,
Inque alios casus, aliasque immittet ad urbes,
Heu ! formæ ne crede tuæ ». Titania jamque
Gramina, Persæasque sinu depromere vires
Cœperat ; his iterum compellat Iasona dictis :
« Si tamen aut superis aliquam spem ponis in ipsis,
Aut tua præsenti virtus educere leto
Si te forte potest; et jam nunc deprecor, hospes,
Me sine, et insontem misero dimitte parenti ».
Dixerat ; extemplo (neque enim matura ruebant
Sidera, et extremum suffixerat axe Booten)
Cum gemitu et multo juveni medicamina fletu,
Non secus ac patriam pariter, famamque decusque,

447. *Nunc mea.* Sabell. Ald. Carr. — 448. *Alias mittet.* Vatic. cod. *Alias immittet.* Bonon. cod. *Alias te mittet.* Carr. — 452. *In ipsis* deest in Vatic. cod. *Si tamen aut sumptis aliquam spem ponis in armis.* Carr. cod. — 453. *Te educere.* Vatic. Bonon. codd. Bonon. I et II. — 454. *Etiam nunc.* Eugent. — 457. *Suffecerat.* Vatic. Bon. codd. Bon. I. Junt. Ald. *Extremo.* Junt. Ald. Eugent. Ed.

446. *Sed victa sum fatis tuis*, tuo mortis periculo ; *cape munera supplex* tam vehementer petita, exoptata, *non mea*, Maserius supplet, sed deorum, aut verius Jasonis. Heinsius : non mea, sed Hecates. Quorum nihil ad palatum est qualecumque meum. Ego igitur malim jungere cum præcedentibus *fatis tuis victa*, misericordia tui magis mota, quam animo obsequuta meo, tibi do munera ista.

447. *Pelias si iterum in alios casus aliasque immittet*, mittet (nil amplius), *urbes, heu ! formæ ne crede tuæ.* Hoc bene inventum : laudo pulchritudinem, sed vereor, ut unquam terrarum invenias, quæ tanto suo periculo te velit adjuvare.

449. *Titanin jamque gramina*, Promethei, fusius supra descripta, v. 356 sqq. *Persæasque* Hecates, v. 353-364, *sinu depromere*, e zona, μίτρᾳ, *vires*, venena, *cœperat*, nondum in manus dederat, sed inter promendum ita pergit : Si quam tamen spem ponis in Diis, vel tua ipsius virtute, etiam nunc sine me insontem, *misero dimitte parenti*, ne impia tui amore in parentem sim.

456. *Dixerat ; extemplo*, periculum enim erat in mora, quia diluculum appropinquabat (quod ἀστρονομικῶς effert poeta), non sine gemitu tamen et multis lacrimis, juveni medicamina, *non secus*, cumque iis, *patriam*, *famam*, *decusque objicit*, tradit.

Objicit : ille manu subit, et vim corripit omnem.
Inde ubi facta nocens, et non revocabilis unquam
Cessit ab ore pudor, propiorque implevit Erinnys,
Carmina nunc totos volvit figitque per artus
Æsonidæ, et totum septeno murmure fertur
Per clypeum, atque viro graviorem reddidit hastam.
Jamque sui tauris languent absentibus ignes.

« Nunc age, et has, inquit, cristas galeamque resume,
Quam modo funerea tenuit Discordia dextra.
Hanc jace per medias, quum verteris æquora, messes.
Protinus in sese conversa furoribus ibit

463. *Solvit figitque.* Vatic. Bonon. codd. et edd. ante Burm. *Volvit figitque.* Sic emendant Voss. et Heins. Ed.

460. *Ille manu subit*, prehendit; Apollon. III, 1014 : Αὐτὰρ ὅ γ' αἶψα χερσὶν ὑπέδεκτο γεγηθώς, et *vim corripit* festinanter *omnem*, totam medicaminum copiam.

461-472. Jam vero Medea eo progressa, unde pedem referre non posset, arma Jasonis magicis artibus firmat, atque corroborat, eumque medicaminum docet usum. *Ubi non revocabilis unquam cessit ab ore pudor* (sententiam intexit poeta verissimam , utilissimam), *propiorque implevit*, corripuit, *Erinnys*, non Furia, sed furor amoris, *carmina nunc totos volvit figitque per artus Æsonidæ*, totum corpus, membra, ossa et medullas incantando corroborat; *totum septeno murmure fertur per clypeum*, septies, quo in numero vim aliquam esse crediderunt, tenui voce clypeum per omnes partes consecrat; *graviorem reddit hastam*, pondus addit.

466. *Jamque sui tauris languent absentibus ignes:* tanta est carminum magicorum efficacia, ut eminus adeo vim exserant, ignesque taurorum absentium minui ac defervescere incipiant.

467. *Nunc age, et has cristas galeamque resume, Quam modo funerea tenuit Discordia dextra.* Medea sine dubio galeam aliquantisper ponere Jasonem jusserat; cui quum vim discordiæ indidisset, reddit. Quod ipsa Discordia, quasi præsens, non adspectabilis tamen, galeam manibus tractaverit, est fictio poetica, non nimis premenda. Infra, v. 632, ubi galea vim suam exserit, *Tartareo veneno infecta* dicitur.

469. *Hanc jace per medias messes*, segetem Cadmeam, quæ protinus furorem in se ipsam convertet; *atque ipse fremens*, ira percitus, *mirabitur*, suspectam habebit, — *et me respiciet fortasse pater.* Eximie: merito enim veretur Medea, ut patris vultum, si tum forte ad se respiciet,

Cuncta phalanx; atque ipse fremens mirabitur, et me
Respiciet fortasse pater». Sic deinde loquuta
Jam magis atque magis mentem super alta ferebat
Æquora; pandentes Minyas jam vela videbat
Se sine: tum vero extremo percussa dolore
Arripit Æsoniden dextra, ac submissa profatur:
«Sis memor, oro, mei; contra memor ipsa manebo,
Crede, tui: quando hinc aberis, dic, quæso, profundi
Quod cæli spectabo latus? sed te quoque tangat
Cura mei quocumque loco, quoscumque per annos,
Atque hunc te meminisse velis, et nostra fateri
Munera; servatum pudeat nec virginis arte.
Hei mihi! cur nullos stringunt tua lumina fletus?
An me mox merita morituram patris ab ira
Dissimulas? te regna tuæ felicia gentis,

478. *Quantum hinc aberis.* Vatic. Bonon. codd. et edd. ante Carr. Ed.

culpæ conscia possit sustinere. Ed.

472-487. Alia nunc sollicitudo miseræ animum premit Medeæ. Quid si, secum ait, Jason, beneficii in eum collati immemor, me deserat?

476. *Arripit dextram Jasonis, ac submissa*, vultu demisso, *profatur.* —Videre est ad calcem hujus libri not. 476. Ed.

477. Mollissima est, quæ sequitur oratio. Sis memor mei, contra memor ipsa manebo tui. Quando hinc aberis, dic, quæso, *profundi*, immensi, *quod cæli spectabo latus?* dic, quam cæli plagam petiturus sis, ut eo semper vultum animumque dirigam.

479. *Sed te quoque tangat* aliqua *cura* (modestius quam *amor*) *mei*, *quocumque loco*, ubicumque terrarum futurus sis, *quoscumque per annos* vitæ tuæ.

481. *Hunc te*, qualis nunc sis, quam plena periculi præsens tua conditio sit, *meminisse velis, et nostra fateri munera*, mihi salutem acceptam referre. — Vide ad calcem hujus libri not. 481. Ed.

483. *Hei mihi! cur nullos stringunt tua lumina fletus!* Hanc locutionem sic Pius explicat: *stringunt*, exprimunt; metaphora a spongia deducta, quæ stricta et expressa liquorem exsudat». Ed.

485. *Dissimulas*, te ipsum celare velle videris, me mox, irato patre, et merito quidem meo, mortem manere? animus tibi est in patria; *te* contra *felicia regna manent et conjux et natæ; ego prodita*, neglecta, deserta, *obibo.*

9.

Te conjux natæque manent : ego prodita obibo.
Nec queror, et pro te lucem quoque læta relinquam ».
Protinus hospes ad hæc (tacitis nam cantibus illum
Flexerat, et simili jamdudum afflarat amore) :
« Tune, ait, Æsoniden quidquam te velle relicta
Credis, et ulla pati sine te loca? redde tyranno
Me potius; recipe ingratos atque exue cantus.
Quis mihi lucis amor? patriam cur amplius optem,
Si non et genitor te primam amplectitur Æson,
Teque tuo longe fulgentem vellere gaudens
Spectat, et ad primos procumbit Græcia fluctus?
Respice ad has voces, et jam, precor, annue, conjux.

488. *Hospes adest.* Bonon. cod. Bonon. I. Junt. Ald. Eugent. — 489. *Adflebat.* Vatic. cod. *Afflabat.* Bonon. cod. et edd. usque ad Eugent. — 490. *Tunc ait.* Vatic. Bonon. codd. Bonon. I et II. Junt. Ald. Eugent. — 491. *Pati.* Sic Gronov. Obss. IV, 21. *Peti.* Vatic. Bonon. codd. Bonon. I et II. Junt. Pius. Mascr. Ed.

486. *Te conjux natæque manent.* Callide Medea mentionem conjugii tamquam obiter injicit, Jasonis animum erga se prætentans. Ed.

487. *Nec queror,* ita sit, *et pro te* (tenerrimi amoris testificatio!) *lucem quoque*, vitam adeo, et *læta* quidem *relinquam.*

488-508. Ad hæc non minus liberaliter et blande respondet Jason, fidemque Medeæ perpetuam sanctissime pollicetur.

489. *Tacitis nam cantibus* magicis ipsum inscium *flexerat*, *et simili*, mutuo, *afflarat amore.*

490. *Tune* Jasonem *credis quidquam velle*, in optatis habere, *et ulla pati sine te loca*, adire posse, et læto animo ibi vivere?

491. *Redde me tyranno*, patri; *recipe ingratos atque exue cantus*, solvas incantamenta, viresque per ea datas resume.

493. *Quis mihi lucis*, vitæ, *amor*, *cur patriam* revisere *optem*, *si non et genitor* (quem falso in vivis adhuc esse credebat) *te* conservatricem meam, *primam*, prius adeo quam me, *amplectitur, teque Græcia tuo*, tibi debito, *vellere fulgentem gaudens spectat*, *et ad primos fluctus*, primum litus, *procumbit*, exspectabunda et gratulatura litus occupat. Apollon. III, 995 : Ἠιόνεσσιν ἐρεζόμεναι γοάουσι, et ibid. v. 1122 : Τιμήεσσα γυναιξὶ καὶ ἀνδράσιν, αἰδοίη τε ἔσσεαι.

496. *Procumbit.* Heins. mallet *procurrit*, spectandi videlicet studio. Ed.

497. *Respice ad has voces*, attende, et nunquam ex animo dimitte, *et jam, precor, annue, conjux*, en tibi dextram meam, tuque vicissim cedo tuam; nunquam sine te vivere cupio, conjugio me tuo dignum habere velis.

Per te, quæ superis divisque potentior imis,
Perque hæc, virgo, tuo redeuntia sidera nutu,
Atque per has nostri juro discriminis horas:
Unquam ego si meriti sim noctis et immemor hujus,
Si te sceptra, domum, si te liquisse parentes
Senseris, et mea tum non hæc promissa videntem;
Tum me non tauros juvet evasisse, ferosque
Terrigenas; tum me tectis tua turbet in ipsis
Flamma, tuæque artes; nullus succurrere contra
Ingrato queat; et si quid tu sævius, ipsis
Adjicias, meque in medio terrore relinquas ».
Audiit, atque simul meritis perjuria pœnis
Despondet questus semper Furor ultus amantis.
Hæc ubi dicta, tamen perstant defixus uterque,

500. *Discriminis oras.* Vatic. cod. et a prima manu Bon. cod. — 501. *Si meritis noctis immemor hujus.* Vatic. cod. *Sim meritis noctisque immemor h.* Bonon. cod. *Sim meritis noctisque nec im. h.* Bonon. I et II. *Sim meriti noctisque si im. h.* Junt. Maser. *Si meriti noctisque sim im. h.* Ald. *Sim meriti noctis siq. im. h.* Engeot. — 503. *Promissa tenentem.* Bonon. cod. *Videntem.* Pro varia lect. — 505 et seqq. *Tum me textis tua t. in ipsis Ira et ad sævos merito tum protinus ignes Adjicias*, etc. Bonon. cod. Eo.

498. *Per te, quæ superis divisque potentior imis* (admodum adulatorie!) *perque hæc, virgo* (hoc recepi pro vulgato *ergo*, præeunte Bononiensi, Heinsio, et Cupero, Obss. p. 283), *tuo redeuntia* e nubibus, ut iterum conspiciantur (conf. v. 456), *sidera nutu, Atque per has nostri juro discriminis horas*, quibus quum maxime pericula mihi instare video. Cuperus l. l. ex Scholiaste Apollonii, II, 257, monet, Veteres primum per deos, deinde per infortunia sua jurasse.

501. *Si ego unquam* vel *meriti tui*, vel *noctis hujus immemor sim*, tuque, quæ mei amore et thronum, et patriam, et parentes reliqueris, fidem fallere videas, *tum me non tauros juvet evasisse, tum me tectis tua turbet in ipsis flamma;* respicere hic poetam ad incendium, quod Medea postea temporis Creusæ et Creontis domui immisit, recte observat Burmannus.

509. *Audiit, atque simul meritis perjuria pœnis despondet*, pœnas in antecessum meritas perjuriis destinat, inflicturumque se certissime spondet *Furor, questus semper ultus amantis*, qui questus amantium de perjuriis semper audit, perfidosque pœnis persequitur.

511-538. Medea quum, quam

Et nunc ora levant audaci læta juventa,
Ora simul toties dulces rapientia visus;
Dejicit hinc vultus æger pudor, et mora dictis
Redditur, ac rursus conterret Jasona virgo:
« Accipe, perdomitis quæ deinde pericula tauris,
Et quis in Æolio maneat te vellere custos;
Nondum cuncta tibi, fateor, promissa peregi.
Sævior ingenti Mavortis in arbore restat,
Crede, labor; quem..... tanta utinam fiducia nostri
Sit mihi, nocturnæque Hecates, vestrique vigoris! »
Dixerat; utque virum doceat, quæ monstra supersint,
Protinus immensis recubantem anfractibus anguem
Turbat, et Hæmonii subito ducis objicit umbram.
Ille, quod haud alias, stetit, et trepidantia torsit

513. *Totiens ducis.* Vatic. Bon. codd. *Totiensque ducis.* Engent. Bon. I et II. *Totiesque dulcis.* Vitiose Junt. *Toties dulcis.* Mas. *Dulceis.* Ald. — 514. *Nunc deicit vultus.* Vatic. Bonon. et Burm. codd. — 520. *Quin! tanta.* Sabell. ex conj. — 521. *Nostrique vigoris.* Codd. et edd. ante Heins. En.

terribilis sit velleris custos draco, Jasoni, experimento facto, ostendisset, tandem in urbem redit. *Perstant defixus* eodem loco *uterque, Et nunc ora levant audaci læta juventa*, quoties juvenili confidentia lætitiam præ se ferunt, *Ora simul toties dulces rapientia vultus;* Apollon. III, 1018: τῆς δ' ἀμαρυγὰς ὀφθαλμῶν ἥρπαζεν.

514. *Dejicit hinc vultus æger pudor:* hæc ipsa tamen lætitia, sollicitudine et pudore interpellata est, ita ut limis tantum et obliquis oculis sese invicem spectarent.

515. *Mora dictis redditur,* silentes iterum adstant; mox tamen *rursus conterret Jasona virgo*, novum narrat ab ipso subeundum periculum.

516. *Accipe quis,* quam dirus, *in Æolio*, Phryxi, Æoli nepotis, *maneat te vellere custos; Nondum promissa peregi*, nondum omnia dixi, quæ tua causa factura sim.

520. Auget periculum: Vix ego arte mea magica, quæque eam me docuit, Hecate, vix tu tuique sodales, fortitudine pares erimus debellando draconi.

522. Utque *virum doceat, quæ monstra* vincenda *supersint*, *protinus immensis recubantem anfractibus* (*spiris, ductibus*, v. 168) *anguem turbat*, lacessit, *et Hæmonii ducis*, Jasonis, *umbram objicit.*

525. *Ille, quod haud alias* facere consuevit, *stetit* in altum porrectus, *et trepidantia torsit sibila*, linguam celerrime motam, vibrantem et sibilantem.

Sibila; seque metu postquam sua vellera circum
Sustulit, atque omnis spiris exhorruit arbor,
Incipit inde sequi, et vacuo furit ore per auras.
« Quis fragor hic? quænam tantæ, dic virgo, ruinæ? »
Exclamat stricto Æsonides stans frigidus ense.
Illa trahit ridens, tandemque ait angue represso:
« Hunc tibi postremum nostri parat ira parentis,
Heu miser, heu tantis iterum carpende periclis!
O utinam ut nullo te sim visura labore,
Ipsam cæruleis squalentem nexibus ornum,
Ipsaque pervigilis calcantem lumina monstri,
Contingat vix deinde mori! » Sic fata, profugit,
Seque sub extremis in mœnia rettulit umbris.
Et jam puniceo regem spes vana sub ortu
Extulerat, quantis nox una diremerit undis

532. *Nostris*. Vatic. cod. *Monstris*. Bonon. II. — 533. *Iterum mihi care p.* Vatic. Bonon. codd. Bonnn. I et II, et edd. ante Carr. — 539. *Spes una*. Vatic. Bonon. codd. Bonnn. I et II. Junt. Ald. *Vana*. Maser. — 540. *Nox vana*. Carr. Ed.

526. *Et postquam metu*, timidus, *circum vellus* se sursum provolverat, ita ut tota arbor cohorreret, tum demum offensive, quod aiunt, agit, *incipit inde sequi* umbram, quam videret, *et furit ore*, dentibus, *per auras*, sed *vacuo*, aera mandit. — Vide sis ad calcem hujus libri not. 528. Ed.

529. Admirabundus stupet Jason, frigidusque adstat ense stricto. *Medea trahit*, retrahit, *ridens*, tandemque *angue represso*, coercito, mitigato, ait: *Hunc tibi postremum parat*, immittet iratus pater. *Heu miser, heu tantis iterum carpende*, sollicitande, *periclis!*

534. *Utinam videam te nullo*, facili saltem, *labore ipsam cæruleis nexibus*, spiris draconis, *squalentem*, offuscatam, arborem conscendere.

537. *Contingat vix deinde mori*. *Vix* non placet, quanquam Burmannus sæpe idem notare, quod *mox*, *statim*, contendat. Bononiensis habet *sic*, quod rectius puto. *Sic fata profugit, et sub extremis umbris*, aurora appropinquante, *in mœnia se retulit* Medea.

539-555. Qui Jasonem anchoras solvisse, longeque jam abesse crediderat Æetes, pugnæ contra paratum stare in campo eumdem audit; tauros itaque stabulis emitti, et semina promi jubet. *Sub ortu* auroræ rex, vana spe elatus, supputat, *quantis undis nox una diremerit*, quantum maris spatium fugiens una nocte emensus esset Jason.

Æsoniden; liberne freto jam vultus aperto,
Utque prius totum sileat mare: dumque ea longe
Explorare queat, contra venit Arcas Echion
Dicta ferens: jam Circæis Mavortis in agris
Stare virum, daret æripedes in prælia tauros.
«En vocor, en ultro, dixit, spesque addidit ausa!
Vos mihi nunc primum in glebas invertite tauri
Æquora, nunc totas aperite et volvite flammas;
Exeat Hæmonio messis memoranda colono;

541. *Æs. Tiberine j. v. aperto.* Vatic. Bonon. codd. Bonon. I et II. *Tibarine.* Junt. Maser. Ald. *Fretis j. v. apertis.* Maser. Engent. *Fluctus.* Heins. ex conj. — 542. *Tutum.* Gronov. — 543. *Explorare parat.* Ald. Eugent. ex Pii conj. — 546. *Et vocor ultro en d.* Vatic. cod. *Et vocor en ultro d.* Bonon. cod. Bonon. I et II. Carr. *Addidit aula.* Vat. Bonon. codd. Bonon. I et II. Junt. Maser. Ald. *Addidit aura.* Engent. ex Pii conj. — 547. *In flammas, invertite.* Vatic. Bonon. Carr. codd. *In flammas mihi vertite.* Bonon. I et II. Junt. Maser. Engent. *In glebas mihi vertite.* Ald. *In glebas.* Gronov. Obss. IV, 21. Ed.

541. *Explorare* parat *liberne freto jam vultus aperto*, an libere prospicere in altum possit, *totumque mare sileat ut prius* (sic ordinea verba), nullus remorum remigumque sonitus audiatur, nusquam naviginm appareat, uti ante Argonautarum adventum.—Vide ad calcem hujus libri not. 541. Ed.

542. *Dumque ea longe explorare queat*, (*queat?* Librariis sine dubio debetur, non poetæ.) Pius jam olim pro eo conjecerat *parat*, eumque sequutæ Aldina, Engentina, Coliniana et Gryphiana. Quid si propius ad literarum ductum scribas *meat*, in eo est, ut montem conscendat, vel litus adeat?) *Echion Arcas*, Argonauta, legatus a Jasone missus (quo munere funetum supra aliquoties habuimus, I, 440, IV, 134 et 734), Jasonem tauros in campo Martis exspectare nnntiat.

546. *En vocor, en ultro. En* bis repetitum ironicam habet admirationem: ita vero fortis est juvenis, ut me provocet ipse, *spesque addidit ausa*, obscurius dictum, quod, nisi corruptum sit, nihil aliud significare potest, quam spes auxit ausa, ausa ausis addit. — Confer Virgil. Æneid. X, 263: *spes addita suscitat iras.* Ed.

547. Rex, quasi aciem instruat, partes distribuit. *Vos mihi, tauri, primum æquora*, plannm solidnmque campum, *in glebas invertite*, convertite, comminuite, *nunc totas aperite, et volvite* alias post alias *flammas.*

549. *Exeat*, procrescat, *messis*, seges, *Hæmonio colono* (contemptim) *memoranda*, cujus, dum vivet, si vixerit, nnmquam obliviscetur. — *Messis* et *colonus* egregie sibi invicem respondent. Ed.

Tuque tuum parti Graium da, nata, draconem:
Ipsius adspectu pereant; quin vellera, et ipsa
Terga mihi diros servent infecta cruores ».
  Fatur, et effusis pandi jubet æquora tauris.
Pars et Echionii subeunt immania dentis
Semina; pars diri portant grave robur aratri.
At sua magnanimum contra Pagasæa juventus
Prosequitur stipatque ducem; tum maxima quisque
Dicta dedit, sævisque procul discessit ab agris.
  Fixerat ille gradus, totoque ex agmine solus

550. *Pastim Graium da nata d.* Vatic. Bonon. codd. *Partim Graium damnata* Bonon. I. Maser. Eugent. *Tuæ tuum, partim G.* Junt. Ald. *Tuque, tuum Gradive pater, damnata* (vitiose pro *da, nata*) *draconem*. Bon. II. — 551. *In vellera in ipsa.* Vatic. Bonon. Carr. codd. *In vellera et ipsa.* Bonon. I et II. Junt. Maser. Eugent. *Ne vellera. et ipsa.* Ald. — 557. *Prosequitur spatioque ducentum maxima quisque.* Vatic. cod. *Prosequitur spatioque ducem tum m. q.* Bonon. cod. Junt. Ald. Eugent. *Prosequitur speciosa ducem t. m.* Maser. Ed.

550. *Tuque, nata, tuum draconem da*, oppone, *parti Græcorum*, sodalibus circumstantibus (conf. v. 557), si forte opitulari Jasoni suo periclitanti audeant.

551. *Ipsius* solo *adspectu pereant.* —Vid. ad cal. h. libri not. 551. Ed.

553. *Fatur*, hoc gravius hoc loco quam *dixit*, habet enim notionem jubentis, *et effusis* e stabulo *tauris jubet æquora pandi*, planitiem camporum aperiri.

554. *Pars*, alii regis ministri, *Echionii*, i. e. Cadmei, Thebani (ab Echione, uno ex Cadmi comitibus; conf. supra v. 301), *dentis* (singul. pro plurali) *immania*, sæva, *semina subeunt*, sinu vestium excipiunt; conf. supra v. 460.

555. *Pars*, alii, *aratri diri* (mallem *duri*, quod fere solenne est aratri apud poetas epitheton, præsertim quum *diri* cruores modo, v. 552, adfuerint) *portant grave robur.*

556-563. Jason interea sortem suam exspectat intrepidus. *Pagasæa*, Thessala, *juventus prosequuta stipat; maxima quisque dicta dedit*, fortitudinem ducis jactat, vociferatur, conviciatur (sic *magnum sonantes*, I, 262; *magna dicta volant*, V, 600), *sævisque*, periculi plenis, *procul discessit ab agris.*

559. *Fixerat ille gradus*, composuit se, intentus stetit, *totoque ex agmine solus stabat, ut Axis* (Plaustrum) *desertus ab orbibus extremis*, quem cæteri currus post se reliquerunt, *quem lassa dies*, sol occiduus, *Austrique ardentis arenæ* (in Africa), arenarum tumuli subito excitati, *abstulit* e conspectu, *aut quem rursus*, contra (in Scythia), *Rhipæas ad arces*, in regionibus Scythicis, ex-

Stabat, ut extremis desertus ab orbibus Axis,
Quem jam lassa dies, Austrique ardentis arenæ,
Aut quem Rhipæas exstantem rursus ad arces
Nix et cærulei Boreæ ferus abstulit horror;
Quum subito attoniti longissima Phasidis unda,
Caucasiæque trabes, omnisque Æetia tellus
Fulsit, et ardentes stabula effudere tenebras.
Ac velut ex una si quando nube corusci
Ira Jovis torsit geminos mortalibus ignes;
Aut duo quum pariter ruperunt vincula venti,
Dantque fugam: sic tunc claustris evasit uterque
Taurus, et immani proflavit turbine flammas
Arduus, atque atro volvens incendia fluctu.
  Horruit Argoæ legio ratis: horruit audax

560. *In extremis.* Bonon. cod. *Ab oribus.* Vatic. cod. — 561. *Lapsa dies.* Bonon. cod. Bonon. I et II, et edd. ante Carr. — 564. *Attonitis.* Carr. Post *attoniti* puncto distinguunt Junt. Ald. — 566. *Tenebræ.* Vatic. Bonon. codd. Bonon. I et II, et edd. ante Carr. — 567. *Ex ima.* Bonon. cod. Bonon. I et II, et edd. ante Carr. Ed.

stantem, conspicuum, *nix et Boreæ horror* e conspectu *abstulit.* Ed.

564-572. Runnt e stabulis tauri, qui, ut primum apparent, omnia undique collustrant. Hoc poeta exornat per singulas partes: *subito longissima unda Phasidis attoniti*, Phasis per omnes, quamvis admodum extentas, ripas, *Caucasiæque trabes*, arbores, silvæ, *omnisque Æetia tellus*, tota Colchis, *fulsit.*

566. *Ardentes tenebras.* Audacior forsan figura, sed quæ fumum flamma commistum egregie pingit. Videtur Valerius duobus vocabulis exprimere voluisse quod Virgilius hoc versu, Æn. VIII, 254: *Fumiferam noctem, commistis igne tenebris.* Ed.

567. Hi tauri comparantur cum fulminibus propter ignes, cum ventis ob celeritatem. *Velut si quando ira Jovis*, iratus, tonans Jupiter *geminos ignes*, duo fulmina simul, *torsit mortalibus* (*rubente dextera jaculatus*, Horat. Od. I, 2), aut duo quum pariter carceribus suis emissi in aera evolant venti; *sic uterque taurus claustris*, stabulis, *evadit*, proruit, *et immani turbine*, impetu, *proflat flammas arduus*, erecto capite, *atque atro*, fumoso, *volvens incendia fluctu.* Conf. Apollon. III, 292, et Voss. *Mythol. Briefe*, I, 190.

573-575. *Horruit* etiam *Idas* qui paulo ante indignatus erat, quod salutem non lacertis virilibus, sed muliebribus cantilenis acceptam re-

Qui modo virgineis servari cantibus Idas
Flebat, et invito prospexit Colchida vultu.
Non tulit ipse moras, seseque immisit Iason,
Diversos postquam ire videt, galeamque minantem
Quassat, et errantem dextra ciet obvius ignem.
Ut tandem stetit, et torvo se lumine flexit,
Qui prior adversi respexit Jasonis arma,
Cunctatus paullum subito furit; æquora non sic
In scopulos irata ruunt, eademque recedunt
Fracta retro: bis fulmineis se flatibus infert,
Obnubitque virum; sed non incendia Colchis
Adspirare sinit; clypeoque illiditur ignis
Frigidus, et viso pallescit flamma veneno.
Incitat Æsonides dextram, inque ardentia mittit

579 et 580. Hi duo versus desiderantur in Vatic. cod. ac proinde pro spuriis habendi sunt. *Et torto*. Carr. — 583. *Facta retro*. Vatic. Bonon. codd. Carr. I et II. Junt. Ald. Eugent. *Tracta*. Maser. — 587. *Injicit*. Vatic. Bonon. codd. Bonon. I et II, et edd. ante Carr. *Atque ordentia mittit*. Vatic. cod. Bonon. I. Junt. Maser. Ald. Eugent. *Atque ardentia nectit*. Bonon. cod. Bonon. II. En.

ferre deberet, *et invito*, malignu, Medeam *prospexerat*, aspexerat, *vultu*. Hujus indignationis nullam in antecedentibus mentionem fecit Noster, Apollonius tamen non unu loco, III, 556, 1169, 1251. — *Horruit, et invitus* Medeam *respexit*, quasi ejus auxilium *vultu* demum implurans. Ed.

576-606. Ipsa pugna cum tauris narratur. *Non tulit Jason moras*, diutius continere se non potuit, *seseque immisit*, propius accessit ad tauros, postquam eos *vidit ire diversos*, non una, sed diversis viis incedentes.

578. *Et errantem dextra ciet obvius ignem*, diversis locis circumvagantibus, necdum videntibus quo impetum dirigant, tauris elata manu ipse provocando insultat Jason.

579. Ut tandem constitit, qui prior *adversi*, obviam euntis, *Jasonis arma* fulgentia *respexit*, *cunctatus paulum*, quud faciunt boves irati, in primis silvestres, *subito furit*.

581. *Æquora irata*, fluctus hieme commoti, *non sic*, eodem impetu, eadem celeritate in scopulos ruunt, et *fracta cedunt retro: bis fulmineis*, igneis, *se flatibus infert*, *virumque obnubit*, ubunbilat, fumo vaporibusque involvit; sed Medea *non sinit aspirare*, Jasonem attingere flatu; *clypeoque illiditur ignis frigidus*, vim amiserat, deferbuerat, *et viso pallescit*, alias rubicunda, *flamma veneno*. Satis audacter dictum.

587. *Incitat* Jason *dextram*, intendit, robur omne colligit, *inque ar-*

Cornua, dein totis propendens viribus hæret.
Ille virum, atque ipsam tunc te, Medea, recusans,
Concutit, et tota nitentem cornibus ira
Portat iners; tandem gravius mugire residens
Incipit, et fesso victus descendere cornu.
Respicit hinc socios, immania vincula poscens,
Æsonides, jamque ora premit, trahiturque, trahitque,
Obnixusque genu superat, cogitque trementes
Sub juga ahena toros: alium dehinc turbida Colchis
Exarmat, lentumque offert timideque minantem,
Jamque propinquanti noctem implicat; ille fatiscens
In caput inque humeros ipsa vi molis et iræ
Proruit; invadit, totusque incumbit Iason

590. *Cerminis im.* Vatic. Bonon. codd. et edd. ante Carr. — 591. *Recedens.* Vatic. Bonon. codd. Bonon. I et II, et edd. ante Heins. qui Gronov. emendationem, Obss. I, 17, recepit. Ed.

dentia mittit cornua; deinde *totis propendens viribus*, toto corporis pondere, *hæret*, ex cornibus se suspendit. Confer clariss. *Boettiger* in *Gothaischen Hofkalender*, 1804, *s.* 40-54.

589. Taurus, *virum atque ipsam te, Medea, recusans* (ingeniose *Slothouver*, pag. 181, *refutans*, uti VI, 123; vulgatum tamen æque bonum movere nolui), robur domitori ab ipsa Medea additum nihili habens, *concutit*, excutere cornibus contendit, contingitque adeo, ut ira collecta obnitentem Jasonem aliquantisper humo elevaret, et in aere pendentem cornibus portaret, sed *iners*, frustra.—Cf. *leones*, apud Virg. Æn. VII, 15, *vincla recusantes*. Ed.

591. Tandem *residens*, in genua procumbens, *gravius mugire* incipit, *et fesso cornu victus descendere*, procidere, qua notione est etiam, I, 686; VI, 244.

593. Respiciens ad sodales Jason postulat vincula; *ora*, caput, *tauri premit, trahiturque, trahitque* (conf. VI, 414), *obnixusque genu superat*, ne resurgat, insistit, et *toros*, cervicem, *sub juga ahena cogit.*

596. Alterum deinde *turbida*, de Jasone suo sollicita, Medea taurum *exarmat*, ferociam ejus frangit, mansuetiorem eum facit, et *offert*, sistit ad pugnam, *lentum*, tardiorem, et *minantem*, sed *timide* minantem.

598. *Jamque propinquanti noctem implicat*, caligine tauri oculos obnubilat, ut Jasonem prætercurrat; tum vero *fatiscens*, fatigatus, quo majori impetu irruebat, eo graviori lapsu in terram procidit.

600. Quo facto, *desuper incum-*

Desuper, atque suis defixum flatibus urget.
Utque dedit vinclis, validoque obstrinxit aratro,
Suscitat ipse genu, sævaque agit insuper hasta.
Non aliter medio quam si telluris hiatu
Terga recentis equi, primumque invasit habenis
Murmur, et in summa Lapithes apparuit Ossa.
Ille velut campos Libyes, ac pinguia Nili
Fertilis arva secet, plena sic semina dextra
Spargere gaudet agris, oneratque novalia bello.

602. *Obstinxit* vitiose pro *obstrinxit*. Junt. Ald. — 604. *Non secus ac*. Vatic. Bon. codd. Bon. I et II, et edd. ante Engent. — 607. *Libyæ ac*. Vatic. cod. *Campis*. Bonon. cod. Bonon. I. — 609. *Acri onerat*. Vatic. Bonon. codd. Bonon. I et II. *Acrique oneratque*. Junt. *Atroxque oneratque*. Ald. *Agris*. Maser. Engent. Ed.

bit, insilit humeris ejus, *Jason*, atque suis *defixum* (vix commodum dat sensum, scripsitque forsan poeta *defessum*, vel, quod Burmannus conjicit, *defectum*) *flatibus urget*.

603. *Suscitat ipse genu*, ad surgendum impellit latus fodiendo, *sævaque agit hasta*, qua pro stimulo utebatur, ut pedes corriperet taurus in arando.

604. Jasonem, taurorum victorem, comparat poeta cum primis equorum domitoribus Lapithis; imagunculam tamen nimio exornandi studio obscuravit. *Non aliter, quam si* (ex) *telluris hiatu terga recentis equi*, a Neptuno tridenti terram percutiente procreati, *invasit*, celeriter conscendit, *primumque (invasit) habenis murmur*, frena injecit, quidquid frenderet et recusaret equus, *et in summa Lapithes apparuit Ossa*, hunc enim montem et terras circumjacentes Lapithis assignant poetæ. — *Apparuit* hoc verbum pingit: sed quod pingitur abest. Debuerat *Lapithes* superius nominari, ne spatium pingentibus verbis idoneum occuparet. *Novus eques*, vel quidvis simile, istius *Lapithæ* loco, ad picturam perficiendam videtur desiderari. Ed.

607-609. *Ille*, Jason (en alia comparatio!), velut fertilissima arva, *campos Libyes*, Africæ (conf. *Libycas areas* Horatii, Od. I, 1, 10, et ibi *Jani*), Ægyptique, *pinguia Nili fertilis arva secet*, sic plena manu *semina spargere gaudet*, lætus atque confidens, *oneratque novalia bello*, terræ vomere proscissæ immittit materiem belli semina, e quibus mox multi armati contra se invicem depugnantes procrescerent. Apte comparat Burmannus locum, e quo sine dubio profecit Valerius, Propertii, III, 11, 9: *Colchis flagrantes adamantina sub juga tauros Egit, et armigera prælia sevit humo*; conf. etiam infra VIII, 138, ubi *complentur litora bello*. — Vide ad calcem hujus libri not. 607. Ed.

Martius hic primum ter vomere fusus ab ipso
Clangor, et ex omni sonuerunt cornua sulco;
Bellatrix tunc gleba quati, pariterque creari
Armarique phalanx, totisque insurgere campis.
Cessit, et ad socios paullum se rettulit heros
Opperiens, ubi prima sibi daret agmina tellus
Adverso; ut summis jam rura recedere cristis
Vidit, et infesta vibrantes casside terras,
Advolat: atque imo tellus qua proxima collo,
Necdum humeri videre diem, prior ense sequaci
Æquat humo truncos; rutilum thoraca sequenti,
Aut primas a matre manus premit obvius ante.
Nec magis aut illis, aut illis millibus ultra

612. *Quatit.* Vatic. Bonon. codd. Bonon. I. Junt. Ald. Maser. Engent. et edd. ante Carr. præter Bonon. II. — 614. *He.* pro *heros.* Vatic. cod. — 615. *Dare germina.* Bonon. cod. Bonon. I et II. Maser. et (*sed* vitiose *daret*) Junt. *Det germina.* Ald. — 616. *At vero ut.* Vatic. Bonon. codd. Bonon. I et II, et edd. ante Carr. *Recedere castris.* Carr. cod. — 618. *Ima.* Vatic. Bonon. codd. Bonon. I. Junt. Ald. *Imo.* Bonon. II. — 620. *Sequentis.* Junt. Maser. Engent. *Rutilo in thorace sequentis.* Ald. *Sequentes.* Bonon. II. Harles. Ed.

610. In segete ista sensim crescente haud injucunda usus est gradatione poeta: Et primo quidem *ab ipso vomere*, in ipso arandi opere, *Martius clangor fusus*, auditus est e longinquo, tum *ex omni sonuerunt cornua sulco;* porro *bellatrix*, viris armatis gravida, *gleba quati*, moveri incipit, *pariterque creari armarique phalanx*, legiones proveniunt armis ab ipsa nativitate indutæ, tandem *totis insurgere campis*, omnem complent planitiem.

614. *Cessit*, recessit, *paululum heros ad socios*, non timore, sed *opperiens*, exspectans, *ubi prima adverso sibi daret agmina tellus*, ubi primum pugnandi locum darent terræ filii.

616. *Ut* vero *jam rura recedere*, dimoveri, findi, *summis cristis* galearum, *et infestà casside vibrantes* (intransitive, uti sæpius apud Nostrum, v. c. II, 342, VI, 518) *terras*, ipsas jam hostiles galeas splendorem e terris emittere videt, *advolat*, *atque imo tellus qua proxima collo*, ubi capita tantum adhuc et colla exstarent, *necdum humeri videre diem*, emersissent, *prior ense sequaci*, obsequioso, facili (Apollon. III, 1388: ἄρπη εὐκαμπὴς), *æquat humo truncos*, prope terram demetit.

620. Vide ad calcem hujus libri not. 620. Ed.

622. At vero *aut illis*, *aut illis*,

Sufficit, ad diræ quam quum Tirynthius hydræ
Agmina Palladios defessus respicit ignes.
Ergo iterum ad socias convertere Colchidos artes,
Et galeæ nexus ac vincula dissipat imæ;
Cunctaturque tamen, totique occurrere bello
Ipse cupit; spes nulla datur, sic undique densant
Terrigenæ jam signa duces, clamorque, tubæque.
Jamque omnes odere virum, jamque omnia contra
Tela volant; tum vero amens discrimine tanto,
Quam modo Tartareo galeam Medea veneno
Infectam dederat, ususque armarat in illos,
In medios torsit: conversæ protinus hastæ.

623. *Ac diræ*. Bonon. cod. Bonon. I et II Junt. Maser. Ald. edd. ad Engent. Conf. Harles. not. — 624. *Agmine*. Maser. *Agmina*. Codd. Bonon. II. Junt. etc. *Angues* quidam apud Pium, et receperat Heins. — 625. *Ergo iter ad socios*. Vatic. Bonon. codd. Bonon. I. *Ergo iter ad socias*. Bonon. II. Carr. *Arte*. Bonon. cod. — 629. *Clamore tubæque*. Vatic. Bonon. codd. Bonon. I et II. Junt. Maser. Ald. Engent. *Clangore*. Sabell. ex conj. — 630. *Videre*. Vatic. Bonon. codd. Bonon. I et II, et edd. ante Carr. — 631. *Tela jubant*. Vatic. cod. non *cubant* ut legit Heins. *Tela juvant*. Bon. cod. Bon. I et II. *Tela levant*. Ald. *Tela volant*. Jam olim Pius et Maser. ex conj. *Tela ruunt*. Sabell. — 632. *Galeam dedit illa*. Emendati codd. apud Pium. — 633. Hic vs. deest in Vatic. et Bonon. codd. et in edd. ante Carr. Ed.

tot undique emergentibus, *millibus non magis sufficit*, parem se videt, *quam* olim *Tirynthius*, Hercules contra *hydram* Lernæam.

624. *Palladios ignes*. Sunt qui *angues* maliut, ægida puta Palladis; nihil tamen mutandum. Hercules enim, quum sola amputatione nihil proficeret, narratur, igne adhibito (Minervæ consilio. Ed.), quominus capita subcrescerent impediisse.

625. Ergo iterum ad *socias*, auxiliatrices, *convertere* (se) *Medeæ artes*, *et galeæ nodos ac vincula*, lora, quibus mento alligata esset, *dissipat*, solvit quidem, *cunctatur tamen*, non projicit illico, *totique occurrere bello*, conficere bellum, *ipse*, solus, *cupit*.

628. Sed *spes nulla datur*, *sic*, adeo, *undique densant terrigenæ jam signa duces*, conferto agmine incedunt. *Jamque omnes odere*, ira excandescentes petunt, *virum*.

631. *Tum vero amens*, consilii inops, *discrimine tanto galeam* (Apollonius, III, 1363, et Ovidius, Metam. VII, 139, non galeam, sed saxum conjecisse narrant) a Medea hos in usus incantatam (vid. supra 469) *in medios torsit*, magna vi projecit; *conversæ* retro *protinus hastæ*.

Qualis ubi attonitos mœstæ Phrygas annua Matris
Ira, vel exsectos lacerat Bellona comatos :
Haud secus accensas subito Medea cohortes
Implicat, et miseros agit in sua prælia fratres.
Omnis ibi Æsoniden sterni putat ; omnibus ira
Talis erat. Stupet Æetes, ultroque furentes
Ipse viros revocare cupit : sed cuncta jacebant
Agmina ; nec quisquam primus ruit, aut super ullus
Linquitur ; atque hausit subito sua funera tellus.
  Protinus in fluvium fumantibus evolat armis

635. *Qualis ubi atto mœste.* Vatic. cod. unde *attollit* emendati codd. apud Pium, et ipse Pius. *Acto.* Bonon. I. *Qualis ubi exstimulat mœstæ Phrygia agmina matris.* Bon. cod. Bon. II. Maser. Engent. *Qualis ubi exstimulat mœstæ Phrygia agmina monstris.* Junt. Ald. — 636. *Vel exertos.* Vatic. Bonon. codd. *Exsectos.* Bonon. I et II. Junt. Maser. Ald. Engent. *Comanos.* Maser. — 639. *Omnis ubi.* Vatic. Bonon. codd. Bonon. I et II, et edd. ante Carr. — 642. *Haud super ullus.* Recte, Vatic: Bonou. codd. et omues ante Carrionem editiones, quod nemo notavit, nec vero solum Bon. II, quam solam nominat Harlesius. Ed.

635. *Qualis ubi attonitos*, furore percitos, *annua ira mœstæ Matris* (*Mygdonius planctus*, infra, VIII, 239 ; conf. et III, 20, 232), annui dies festi in honorem Cybeles (Megalesia), et quidem dies eorum tertius (*sanguen* vel *sanguinis* dictus) quo Galli acutis cultris brachia incidebant, III, 234, *Phrygas lacerat.*

636. *Vel exsectos lacerat Bellona comatos.* Hoc spectat ad Bellonæ sacerdotes (Bellonarios), quos Gallis jungi et apud alios deprehendimus. Vid. Juvenal. IV, 123; VI, 511 sq. et ibi *Ruperti* ; Lucan. I, 565-567. Locus classicus de Bellonæ sacris est apud Tibull. I, 6, 43, ubi vid. Heynium. *Exsectos* nominat Noster et *comatos*, quod spadònes erant, et comam alebant, quum contra Isidis sacerdotes (Isiaci) maritati essent et calvi. Vid. *van Dalen* Diss. antiquitatibus inservientes, pag. 155.

637. Sic Medea *cohortes accensas*, ira ardentes, *implicat*, *et in sua*, contra se ipsos, *fratres*, ejusdem matris omnes, *prælia agit. Omnis ibi Æsonidem sterni putat*, quisque non fratrem, sed Jasonem ferire opinatur.

640. *Æetes*, eos *furentes revocare* a mutua cæde *cupit*, sed *cuncta*, conjuncta, coacervata, *jacent*, *nec quisquam primus ruit*, *aut super ullus linquitur*, dici haud potuit, qui primus, qui ultimus ceciderit, *atque hausit subito sua funera*, filios suos mortuos (conf. Virg. Æn. VI, 510; IX, 492), *tellus.*

644. *Protinus in* (ad) *fluvium* Phasidem *fumantibus* sanguine *evolat armis* Jason, *qualis Getico de pulvere*, prælio pulverulento, *Mavors*

Æsonides : qualis Getico de pulvere Mavors
Intrat equis, uritque gravem sudoribus Hebrum;
Aut niger ex antris rutilique a fulminis æstu
Quum furit, et Siculo respirat in æquore Cyclops.
Redditus hic tandem, sociosque amplexus ovantes.
Haud jam mendacem promissa reposcere regem
Dignatur; nec, si ipse sibi terga ingerat ultro
Qui pepigit, velit in pacem dextramque reverti
Amplius : ambo truces, ambo abscessere minantes.

648. *Quum ruit.* Heins. ex conj. *Quum fugit.* Heins. apud Burm. in notis. *Et sicco.* Vatic. et Bonon. codd. Bonon. I. *Siculo.* Sabellicus. — 650. *Haud tamen ducem.* Vatic. cod. *Haud tam mendacem.* Bonon. cod. Bonon. I et II, et edd. ante Carr. II. — 653. *Amplius arma truces.* Bonon. cod. Ed.

intrat equis, curru', *Hebrum*, *uritque gravem sudoribus*, facit ut aquæ sudore et dei et equorum calefiant, tepescant saltem. — Vide ad calcem hujus libri not. 645. Ed.

647. *Aut niger*, fumo et fuligine pictus, *Cyclops ex antris*, officina, *a rutili fulminis æstu*, a cudendis fulminibus adhuc æstuans, *furit et respirat*, ruit ad se refrigerandum, *in æquore Siculo*.

649. Sic igitur Jason reversus, sodalesque *ovantes*, lætantes, amplexus est. Nec jam regem denuo precibus adire mendacem dignatur; *nec*, *si ipse*, qui antea promisisset, *ingerat ultro tergà*, vel invito obtrudat aureum vellus, *velit in pacem dextramque reverti*, denuo se fidei tam perfidi regis committere : *ambo truces*, *ambo abscessere minantes*, truci minantique vultu discedunt.

IN LIBRUM SEPTIMUM

ARGONAUTICON

NOVI EDITORIS

NOTÆ.

V. 5. *Et mens incensa tenebris.* — Confer Ovidium, Metam. VIII, 81:

> Talia dicenti curarum maxima nutrix
> Nox intervenit, *tenebrisque audacia crevit.*

V. 27. *Inque ipso nequidquam tempore.*—Quo tempore? an pugnæ postero die? ita quidem videtur: sed et hic de *tempore*, et initio libri de *fabulæ loco* monendus erat lector.

V. 29. *Captasque deis accendere prædas.* — Æetes partem prædæ in honorem deorum cremari jubet, ut Evander apud Virgilium, Æn. VIII, 562, scutorum *incendit* victor acervos. Plura sunt apud historicos hujus consuetudinis exempla. Vide Servium ad Virgil. l. l.

V. 54. *Scilicet Æoliæ pecudis poteretur ut auro,*
Ante meus cæsa descendet Caucasus umbra,
Ac prior Hæmonias repetet super æquora prædas.
Haud ego cum vittis statui feralibus Hellen.

Sic vulgata. Nos Bononiensis editionis lectionem in textum recepimus. Wagnerus vulgatam sequutus, sic interpretatur: «Quæ sequuntur usque ad v. 57, non tam ad Jasonem spectant, quam Peliau regem. *Scilicet* (quam ridiculum!) *Æoliæ pecudis poteretur ut auro.* Sed *ante Caucasus meus descendet cæsa umbra*, naves ex Caucasi mei silvis densis fabricatæ, in mare demittentur, quibus ego prædas abigam e Thessalia, prius quam velleris aurei copiam ei faciam. *Haud ego cum vittis statui feralibus Hellen*, non video, cur a me repetat vellus rex vester, qui Hellen non ad aram sacrificandam duci jusserim (conf. I, 43, II, 589)». — In hoc loco sic scripto pugnantia loquitur Æetes. Non potest Pelias Argonautas in Colchida, ut aureo poterentur vellere, misisse, et *vetuisse reverti.* Cur Æetes postquam se naves armaturum esse

minatus est, quæ prædas agerent e Thessalia, nedum passurnm abripi vellus aureum, deinde dicit, v. 60: *haud ipse mornbor quæ petitis?* In Bononiensi contra lectinne, nmnia sunt plana, et ipse sibi constat Æetes. Operæ pretium est conferre *J. Racine*, Iphig. Act. IV, Sc. 6:

> Jamais vaisseaux partis des rives du Scamandre
> Aux champs Thessaliens osèrent-ils descendre?
> Et jamais dans Larisse un lâche ravisseur
> Me vint-il enlever ou ma femme ou ma sœur?

V. 62. *Martius ante urbem longis jacet horridus annis*
Campus.

Horridus videtur hoc locn significare *incultus*, ut explicat Burmannus. *Longi anni* sunt pro *multis annis.*

V. 71................ *ac si quid in isto est*
Robore, prædicti venies in rura laboris.

Confer *robur ducis*, V, 375. Pro *in rura* legendum forte *in jura.*

V. 75. *Everso jacias dum semina campo.* — Libenter legeris *inverso*, si cnntuleris sequentem Virgilii Incum, qui tam apte in hunc Valerianum quadrat, Georg. II, 140 et sqq.

> Hæc loca non tauri spirantes naribus ignem
> Invertere, satis immanis dentibus hydri;
> Nec galeis densisque virum seges horruit hastis.

V. 82. *Mœsta stabat defixus in ira.* — Apollonius, III, 422:

> ... ὁ δὲ σῖγα ποδῶν πάρος ὄμματα πήξας
> Ἧσθ' αὔτως ἄφθογγος, ἀμηχανέων κακότητι.

Jure Burmannus Valerio laudem tribuit, quod iram adjungat animi perturbatinni, multo elegantius ac decentius Apollonio, qui sine voce dejectis in humum oculis sedisse Jasonem fingit.

V. 83. *Non ita Tyrrhenus stupet Ioniusque magister,*
Qui portus, Tiberine, tuos, claramque serena
Arce Pharon præceps subiit: nusquam ostia, nusquam
Ausoniam videt, et sævas accedere Syrtes.

« Hoc loco, inquit Wagnerus, mira est et lectinnis et interpretationis varietas, quam enumerare et examinare, a nostrn consilin abhorret. Unam Burmanni explicationem attulisse sufficiat, qui nmnia de Italia accipienda, Pharonque, non Alexandrinam illam, sed a Claudio Imperatore (Suetnn. cap. 20) ad portum Ostiensem exstructam, intelligendam esse censet. Mihi tamen id haud arridet, eam in primis nb causam,

quod, quum duo nautæ nominentur, duos portus in animo habuisse poeta videtur. Ægyptum itaque nolim excludi, totumque locum, ita tamen ut *Ioniusve* et *claramve* legere liceat, sic intellexerim : Non ita stupet Etruscus gubernator, qui portum Tiberis, nec Ionium mare transnavigans, qui *Pharon claram serena arce*, ignibus collustratam turrim, *præceps*, plenis velis, *subiit*, prope accessit, in eo fuit, ut intraret, *nusquam ostia* Nili, *nusquam Ausoniam*, Italiam, *videt*, *et* (melius *at*) *sævas accedere (videt) Syrtes*, ad brevia illa arenosa Africæ esse se reflatum. »

Apte pingitur illa comparatione Jasonis animi affectio, qui se velleris aurei jamjam compotem esse, vel, ut ea utar metaphora, qua auctor usus est comparatione, portum jam tenere crederet. Ovidius ait de nave quæ, quum in eo esset, ut portum subiret, in altum rejicitur, Amor. II, 9, 31 et sq.

> Ut subitus, prope jam prensa tellure, carinam
> Tangentem portus ventus in alta rapit.

Non potest ille locus in Carrionis editione intelligi, cui nimis obsequuti sunt Heinsius ac Burmannus. Potior est et archetypi codicis a litera minimo minus abludit sequens lectio :

> Non ita Tyrrhenus stupet Ioniusque magister,
> Qui jam te, Tiberine, tuens, claramque serena
> Arce pharon, præceps subito, nusquam ostia, nusquam
> Ausoniam videt, at sævas accedere Syrtes.

Præceps sententiam turbare Burmanno videbatur, quod hunc locum secus interpungebat ; *præceps* nempe idem est quod *abreptus* nimirum procella. *Serena* non potest significare, ut censet Burm. *lucida, ignes ostendens ; arx serena* h. l. non est *turris*, sed *cælum*, quemadmodum hoc Valerii loco, V, 305: *Qualiter ex alta quum Jupiter arce coruscat. Arx* igitur *serena* nil aliud est quam *cælum serenum*, quod sinit aperte conspici turrim (*claram pharon*) ad ostium Tiberis exstructam. Hanc erexerat Claudius in exemplum Alexandrinæ Phari (vid. Sueton. Claud. cap. 20), ut ad nocturnos ignes cursum navigia dirigerent.

V. 87. *Tum tamen, infando quæ det responsa tyranno,*
Colligit.

Quæ sit vis verbi *colligit* licet inde intelligere, quod eo non semel utitur Virgilius, ubi quis omnes vires, omnemve prudentiam, sive oppugnandi sive propugnandi causa, recolligit ; ex gr. Æn. X, 412 ; XII, 491.

V. 103. *At trepida, et medios inter deserta parentes.*—Medea, quamvis inter parentes, sola sibi videtur relinqui, discedente illo, qui jam tum ipsi est unus omnium loco : is est sensus vocis *deserta*, quam non intellexit Wagnerus, aut non satis explicuit.

V. 105. *Nec potuit mæstos non flectere vultus.* — Burmanno videtur Valerius vim et magnitudinem amoris hic melius exprimere quam Apollonius, III, 443, qui limis Medeam per capitis tegumentum respexisse fingit. Auctorem græcum nemo non excusabit, qui Medeæ patrem adesse meminerit. Judicet lector, uter in hac re naturam ac mores melius servaverit.

V. 108. *Tales humeros, ea terga relinquit.* — Humeros sæpe in specimen pulchritudinis adhibent poetæ. Sic Æneam pingit Virgilius, Æn. I, 589, *Os humerosque deo similem*; sic Valerius de Hercule, II, 492: *Nec tales humeros pharetramque gerebat Apollo.*

V. 109. *Illa domum atque ipsos paullum procedere postes*
Optat, et ardentes tenet intra limina gressus.

« Hæc Burmannus ita explicat, ut simul cum Jasone domum et januam loco moveri et procedere optaverit Medea, ne amores e conspectu amitteret suos. Quæ interpretatio, uti usui τοῦ *procedere*, quod sexto casui jungi solet (nec aliter infra v. 306, *procedere tectis*), consentanea est, vix tamen a me impetrare possum, ut Medeæ tam ineptum attribuere optatum existimem poetam voluisse. Malim igitur hanc verbi *procedere* cum quarto casu constructionem inter singularia Valerii, qualia plura, tribus in primis ultimis libris, obvia sunt, referre, et de ipsa Medea palatio egredi cupiente intelligere, quod et melius cohærere videtur cum sequentibus: *et ardentes tenet intra limina gressus*, h. e. quamquam cupiditate Jasonem sequendi flagraret, pudore tamen victa ad januas substitit. » Sic Wagnerus. — Qualecumque sit illud Medeæ votum, nemo vincet τὸ *procedere domum* posse significare *domo egredi*: itaque Burmanni sententiæ accedimus, sed inviti, nedum auctori gratulantes, ut ille qui sic exclamat admirabundus: *non aspiravit Apollonii ingenium ad illa!* Jucundior est ille Apollonii locus, quam ut eo lectorem fraudemus; sic igitur, III, 446:

. . . . νόος δέ οἱ, ἠΰτ' ὄνειρος,
Ἑρπύζων πεπότητο μετ' ἴχνια νισσομένοιο.

Cæcutiebat profecto vir doctissimus, præ Valerii amore.

V. 111. *Qualis, ubi extremas Io vaga sentit arenas,*
Fertque refertque pedem, etc.

« Non secus ac olim *Io*, quæ, quum ob furtivam cum Jove consuetudinem a Junone in vaccam mutata Argoque custodienda tradita esset, Jovis quidem jussu a Mercurio vigilantiæ Argi subducta formam recepit humanam, sed denuo a Furiis, instigante Junone, per maria et terras exagitata tandem in Ægyptum pervenit. Hæc si memineris, fusius ab ipso Valerio

narrata supra, IV, 351 sq., plana omnia erunt et aperta. » Sic Wagnerus. — Leviter claudicat illa comparatio, si quidem altera *nollet* litus, altera *vellet* limen transgredi.

V. 115. *Oraque quærens Hospitis.* — *Quærens* hic eamdem vim habet quam supra, VI, 682: *nec ablatam sequitur quæritve sororem.*

V. 116. . . . . *aut solo mæret defecta cubili,*
Aut venit in caræ gremium refugitque sororis.

Τὸ *solo cubili* indicat Medeam in suum thalamum se recepisse; quum vero deinde in gremium sororis confugiat, moxque, solito blandior, utrumque parentem osculis prosequatur, tacite innuit Valerius Medeam ex suo subinde in sororis ac patris cubiculum ire ac redire.

V. 118. . . . . *rursusque recedens*
Quærit, ut Ææis hospes consederit oris
Phryxus, ut aligeri Circen rapuere dracones.

Rursusque recedens. Mendosum hoc visum est Heinsio, certe obscurum est; utcumque tamen explicandum. Medea, quum in eo esset, ut amorem sorori suum aperiret, præ verecundia non valet loqui; *rursusque recedens* a sorore, alio transit, *quærens* in animo, intra se cogitans, quomodo *Phryxus* venerit in Colchida, etc. Quem sensum, si cui minus placet, non tueor. Libenter in Phryxi ac Circes memoria versatur Medea, quorum exempla domestica tacite videntur suadere, ut patriam et ipsa relinquere non reformidet.

« Circe, inquit Wagnerus, a Sole patre in Tyrrheniam translata ibi nupsit Pico regi; vid. infra 232, et Apollon. III, 309, 313: qui tamen non draconibus, uti Valerius noster, sed curru ipsius Solis eam abiisse narrat. Apollonius sequutus est Hesiodum, Valerius alios, de quo sententiarum divortio vide *Voss Mythol. Briefe*, II, 127. — Cl. Leuzius acute monet, Medeam hoc ex sorore quæsivisse, quoniam jam tum peregre abeundi consilium Circes exemplo animo ejus insederit. »

V. 122. . . . . *subitoque parentibus hæret*
Blandior, et patriæ circumfert oscula dextræ.

Circumfert, quod mirifice placet Wagnero, an satis illi intellectum sit, nescio. De utroque parente (*parentibus*) non de uno agitur, ac τὸ *patriæ circumfert oscula dextræ* significat Medeam nunc patris, nunc matris (ea vis est verbi *circumfert*) dextram exosculari.

V. 124. *Sic assueta toris et mensæ dulcis herili,*
Ægra nova jam peste canis rabieque futura,
Ante fugam totos lustrat queribunda penates.

Nescit Wagnerus, cur hæc sibi displiceat comparatio: cur et illi et aliis forsan nonnullis, id causæ esse credo, quod, quamvis de canc rabie

afflata res sit, invitam legentis mentem obscœna quædam et fœda subit imago domesticæ canis, catulitionis tempore, a mare cohibitæ: quæ quidem Veneris æstu inquieta ultro citroque per conclave concursans, Medeam nimia causæ et effectus similitudine repræsentat.

V. 127. *Tandem etiam molli sese semel increpat ira.* — Burmannus notat *mollem iram* hic esse veram imaginem animi dubitantis, qui quidem pudori, sed magis tamen amori vult obsequi; irasci quidem sibi Medeam, et se objurgare, quod peregrini amore caleat, illam vero non esse pervicacem et veram, sed molliorem iram, quæ se increpat, sed quæ tamen amori facile cedit. « *Semel*, ait, egregie: quasi jam functæ officio, deinceps frena dare furori liceret. »

V. 139. *At redeat quocumque modo, meque ista precari*
Nesciat, atque meum non oderit ille parentem.

« *At* (sic enim legendum putavi, inquit Wagnerus, pro *aut*, nec refragantur codices) *redeat quocumque modo*, omnia ego movebo, ut redeat sospes ac victor ad aulam nostram, ut iterum videndi eum voluptas mihi contingat, ita tamen, *ut me ista precari* et machinari *nesciat* (admodum placet, quod Lenzii sagacitas mavult, *resciat*), *atque meum non oderit ille parentem*, vindictam sumat a patre. Hactenus satis bene, sensumque aliquem virginei pudoris pietatisque in parentem Medea retinet. »

V. 161. *Ac me nunc decepta reliquit.* — Forsan legendum *non decepta*. Vaticanus codex *non* pro *nunc* habet, lib. V, v. 172.

V. 167. *Respice porro.* — Servius ad hunc locum Virgilii, Æn. VI, 711: *quæ sint ea flumina porro*, ait *porro* græcum esse vocabulum πόῤῥω (longe). Non puto Virgilium ac Valerium græca voce usos esse pro latina *longe*. Idem Servius ad alium locum, Æn. IX, 190: *percipe porro Quid dubitem*, eamdem vocem sic explicat: « *porro* hortantis est, aut nunc conjunctio expletiva »; rectius, ut mihi videtur.

V. 175. *Quis mota loco labefactaque cessit.*—Conf. Virgil. Æn. IV, 395: « magnoque animum *labefactus* amore »; Nostrum supra, III, 210: « neque enim ignea *cedunt* Astra *loco* ». — *Mota loco* et *labefacta* sunt metaphoræ a re militari ductæ.

V. 185. *Ipsam flammiferos cogam compescere tauros,*
Amplexumque pati.

Invenit Pius in codicibus qui Pomponii Læti fuerant sequentes versus:

> Ipsam flammiferos cogam compescere tauros,
> Atque novam segetem ardenti decidere ferro;
> Pervigilem somno claudentem victa draconem
> Lumina conspicies ». Læta est Juno · inde resurgit,
> Amplexuque petit.

Quos Adolphus *Dureau de Lamalle* adjudicavit Valerio, inque textum recepit, mutato ab hinc solenni cifrarum versibus præfixarum ordine, nec semel hoc uno libro; duos enim præterea versus inter 344 et 345 interpolavit: quo fit, ut illius editionis possessores, alia simul habenda carere non possint.

V. 224. *Sola tuæ venio (jampridem ignava) juventæ:*
Cætera parce queri, neu me meliora sequutam
Argue; quippe ut jam reputentur munera divum,
Omnibus hunc potius communem animantibus orbem,
Communes et crede deos.

« Hæc parenthesis (*jampridem ignava*), inquit Wagnerus, confessionem mihi continere videtur diuturnæ absentiæ: fateor, me nimis diu abfuisse, sed ignosce, quæso, nunc tibi eo studiosius operam daturæ. In hac explicatione dissentio ab interpretibus omnibus: *Pio*, qui *juventæ*, quod mihi dativus est, pro genitivo sumi maluit, subintell. *causa*, quod durum; *Heinsio*, qui voluit *ignara*, quod vix sensum præbet; *Burmanno* denique, cui placuit *jampridem guara*, melius, sed sine causa. Si mecum pro excusatione sumas, optime quadrant sequentia: absenti ignosce, sed *cætera parce*, noli, *queri, neu me meliora sequutam argue*, noli mihi vitio vertere quod mitius, clementius cælum quæsierim; *reputemus* (reputes), consideres meeum beneficam deorum institutionem, *hunc potius orbem omnibus animantibus*, hominibus, *communem, deosque crede communes.* » — *Ignava* hic eodem sensu est, quo supra, VI, 486: *Tu thalamis ignava sedes.* — Censeo legendum, v. 226: *quippe etiam repetentur*, hoc sensu: nam, si me arguis, argues etiam deos, sua etiam diis exprobrabis munera. De temperatis zonis hæc ait Virgilius, Georg. I, 237:

.... duæ mortalibus ægris
Munere concessæ divum.

V. 229............. *Nec nos, o nata, malignus*
Cluserit hoc uno semper sub frigore Phasis.

Circe amita erat Medeæ; sed eam, affectus simulatione, *natam* vocat, uti vicissim ab illa *mater* audit, infra, v. 242. — Zinzerlingus ac Burmannus elegantem hunc verbi *cludere* usum notaverunt: videntur enim fluvii, quos *finium arbitros* dicit Tertullianus, regiones, quas alluit quisque, singulas dividere ac terminare. Sed Phasis hoc loco nil aliud est quam Aldinæ conjectura: codices ac veteres editiones habent *mensis*, qui potest explicari, si capiatur pro *anno; malignum mensem* conf. cum *anno luctifero*, supra, III, 454.

V. 232. *Et nunc Ausonii conjux ego regia Pici:*
Nec mihi flammiferis horrent ibi pascua tauris,
Meque vides Tusci dominam maris.

« Satis magniloqua in his est Circe, inquit Wagnerus : Mythologi enim Picum ab ea narrant adamatum quidem, sed, quod ipsam præ Nympha Canente spreverit, ideo in avem hujus nominis esse mutatum, uti fusius tradidit Ovidius, Metam. XIV, 333 sq. brevius Virgilius, Æn. VII, 189, ubi vide Excurs. Heynii, p. 113 et 141. Nec magis vere Tusci maris dominam se jactat, cujus imperium parva insula contineretur. » — Hi sunt Virgilii versus l. l. de Pico in avem mutato :

> Picus, equum domitor, quem capta cupidine conjux
> Aurea percussum virga, versumque venenis,
> Fecit avem Circe, sparsitque coloribus alas.

Hic versus, *Nec mihi flammiferis horrent ibi pascua tauris*, alludit ad hunc Virgilii locum, Georg. II, 140 :

> Hæc loca non tauri spirantes naribus ignem
> Invertere.

V. 238. *Non ita me immemorem magnæ Perseidos.* — « Quæ Perseis sit, inquit Wagnerus, mirum quantum discrepent Mythologi et interpretes. Equidem ipsam Circen intellexerim, sc. Persæ seu Perseidos filiam ; vide *Saxe* Stemmata, Tab. 1, et Heyn. ad Apollodorum, Tab. 9. Apollonius, III, 478, Hecaten eam vult Ἑκάτην Περσηΐδα, ergo aviam Medeæ. » — *Perseis* est Hecate, cui pater Titan quidam, nomine Perses ; vid. Apollon. III, 468. Eamdem Valerius alias dicit *Perseiam*, VI, 495 : *residens altis Hecate Perseia lucis.* Medeæ tutelare numen erat Hecate ; vid. VI, 499.

V. 244. *Nulla quies animo, nullus sopor : ardua amanti.* — Adolphus *Dureau de Lamalle* hunc versum ab ipso sic emendatum,

> Nulla quies animo, nullus sopor : *arride amenti*,

in textum recepit. Nunc Adolphi textum quis emendabit ? qui quidem nisi, inconsulto Smetio, emendandi libidini indulsisset, non profecto duplici mendo (arrĭde *pro* arrīde, ămenti *pro* āmenti) textum inquinavisset.

V. 262. *Adhuc omnes quos detinet insula nautas.* — Circe nautas omnes ad eam appulsos in varia monstra converterat. Virgil. Æn. VII, 19 :

> Quos hominum ex facie dea sæva potentibus herbis
> Induerat Circe in vultus ac terga ferarum.

Vide quoque Homerum ; Odyss. X ; Apollon. IV.

V. 276. *Si Pelopis duros prior Hippodamia labores*
Expediit, totque ora simul jugulata procorum
Respiciens, tandem patrios exhorruit axes ;
Si dedit ipsa neci fratrem Minoia virgo.

« Pergit persuadere exemplis superiorum temporum allatis, nec sine delectu. Quum enim tum satis pia adhuc in patrem fratremque Medea esset (vide v. 340), feminas in memoriam revocat, quarum una patri, altera fratri mortis causæ exstitissent, *Hippodamiam* nempe et *Ariadnen*. Illa patrem habuit OEnomaum, Elidis regem; qui quum oraculo monitus esset a genero sibi cavere futuro, pluribus, qui filiæ pulcherrimæ nuptias ambirent, procis legem proposuerat hanc, ut, si curuli secum certamine contendissent, mors victos, victores filia maneret. Sic igitur tredecim, tot enim numerant mythologi, generosis juvenibus interemptis, ad idem certamen subeundum accessit Pelops, Tantali filius, cujus amore capta Hippodamia patris aurigam vel stabuli præfectum subornavit, ut clavum aliquem rota eximeret, quo factum, ut rex curru excussus paullo post obiret. His ita expositis, non est quod, quos poeta memorat, *duros Pelopis labores*, *tot proeorum ara jugulata*, *patriasque*, quos filia *exharruit*, aversata est, *axes*, ulterius explicem. Ariadnes autem, *Minoiæ virginis*, historia vel tironibus nota est, quæ, quamquam non, quod Jasonem dicere jubet Valerius, *ipsa fratrem* Minotaurum *neci dedit*, causa tamen mortis facta est eo, quod Theseo filum traderet, quo duce Labyrinthum adire monstrumque illud biforme trucidare posset. » — Sic Wagnerus.

V. 280. *Cur non hospitibus fas sit succurrere dignis*
Te quaque, et Ææos jubeas mitescere campos?
Occidat æterna tandem Cadmeia morte
Jam seges, et visa fumantes hospite tauri.

Sic pergit Wagnerus: « *Wakefield* ad Lucret. III, 1004, emendat: *Te quoque et Ææas sulcis* (nam scripti dant *subeas* pro *jubeas*) *mitescere campas*, vel potius: *Te quaque? En! Ææos jubeas mitescere campos: Occidat æterna tandem Cadmeia nocte* (non *morte*, nam hæc vox statim redit, v. 285, et mors poetis dicitur *nox*) *Jam seges*, etc. Hæc igitur *Wakef.* pleraque acute ». — *Mitescere.* Sic supra, V, 519: *Caucasus atque tuis quantum* mitescat *habenis.*—*Morte.* Quamvis hæc vox statim infra redeat, non continuo mutanda, sed potius illa, ut multæ aliæ, auctori tribuenda repetitio, eas forsan, si per fatum licuisset, sublaturo. Præterea *nocte* non placet cum *occidere*; *noctem* pro *morte* adhiberi non nescio, sed in iis plerumque locutionibus, quæ lucis orbitatem vel infernas tenebras innuunt, ut *clauduntur lumina nocte*, etc. Operæ pretium est conjecturam Heinsii, quamvis inutilem, ingeniosam tamen, referre: sic ille: *Occidat* alterno *tandem Cadmeia* marte *Jam seges*.

V. 301. *Sævus Echionia ceu Penthea Bacchus in aula*
Deserit, infectis per roscida cornua vittis,
Quum tenet ille deum, pudibundaque tegmina matris,
Tympanaque, et mollem subito miser accipit hastam.

Integrum Wagneri in hunc locum commentarium hoc est : « *Cen sævus*, iratus, *Bacchus in aula Echionia*, Thebana (conf. infra 544), *Penthea*, *injectis per roscida*, vino madida, *cornua vinclis*, quoniam Pentheus vinculis eum tradiderat, *deserit*, effugit. *Injectis vinclis*, suadentibus ante eum Pio, Vossio, Heinsio et Burmanno, primus in textum recepit Harlesius ; priores habent *insertis vittis*, quod nihili est ».

. Nil mutandum nobis videtur. *Infectæ vittæ* possunt esse *vittæ tinctæ* ; sic Plin. VII, 56, *inficere lanas* ; Catull. LXIV, 225, *infecta lintea*. Hæc verba, *infectis per roscida cornua vittis*, pingunt ornatum Bacchi, qui vittatus erat more sacrificali. Quoque mutationem minus requiras, confer ejusdem Nostri locum, ubi fere similiter pingitur Bacchus, V, 79 :

> Udaque pampinea nectentem cornua vitta.

Sic deinde pergit Wagnerus : « *Quum tenet ille deum*, deo se plenum, in furorem actum, animadvertit, *pudibundaque tegmina matris*, habitum Bacchantium (Heinsius mavult *furibundæque agmina matris* ; nil opus), *tympanaque, et subito miser accipit hastam mollem*, thyrsum, quo non acuto illo quidem, uti ensis, sed obtuso, ad necem tamen a matre ignara ejusque comitibus verberari se sentiret. Bacchum in vincula conjectum a Pentheo poeta noster sine dubio sumpsit ex Euripidis Bacchis, v. 503-518, quem eumdem iisdem fere verbis expressit Horatius, Epp. I, 16, 73 sq. Necem Pentheo a matre inflictam more suo, id est, vividis coloribus et ad miserationem commovendam apte pinxit Ovid. Metam. III, 708 sqq. »

Tò *hastam accipit* non significat hoc loco, *hasta vulneratur*, sed *hastam sumit*. *Pudibunda tegmina matris* longas designant stolas, quibus et Agave, Penthei mater, et ejus comites erant indutæ. Bacchis modestiam tribuit Euripides, Bacch. 938. Idem, l. l. v. 1075, refert Penthea jussisse, ut Bacchus in carcerem conjiceretur, qui mox inde vi divina elapsus, Penthea muliebri habitu et Bacchico ornatum, et mente alienatum in conspectum Baccharum produxit, earumque furori objectum *deseruit* : unde Noster suam comparationem duxit. Medeam scilicet oppressam *mole dei quem pectore toto jam tenet* (VI, 673), proprioque furori objectam, Venus, ut Penthea Bacchus, deserit.

V. 318. . . . . *atque una potius decernit in ira*,
Ac neque tam turpi cessuram semper amori
Proclamat.

Junge *decernit* et *proclamat*, hoc sensu : suadente ira, statuit et declarat se neque cessuram, etc.

V. 335. *Morituraque colligit iras.* — Hoc potest sic intelligi : causas moriendi colligit, se ad moriendum excitat.

V. 339. *Nec tu lucis, ait, nec videris ulla juventæ*
Gaudia, nec dulces fratris pubescere malas ?

Conf. *Torq. Tasso*, *Amintu*, initio:

> Vorrai dunque pur, Silvia,
> Dai piaceri di Venere lontana
> Menarne tu questa tua giovanezza?
> Nè 'l dolce nome di madre udirai?

V. 344. *Cur tibi fallaces placuit conjungere dextras*
Tunc, pater, atque istis juvenem non perdere monstris
Protinus?

« Jam vero, inquit Wagnerus, oratio transilit ad patrem: *Cur tibi fallaces placuit conjungere dextras? Tunc poteras istis juvenem non perdere monstris Protinus? ipsa etiam, fateor, tunc ipsa volebam.* Post versum 344, codex regius habet: *Æta parens, si poscenti sua fulva negasses Vellera, si patrium vetuisses Phasin adire*, de quibus quid senserit præstantiss. Beckius in nova bibl. philol. vol. I, Fasc. p. 269, hic adscribere liceat: « Duo versus, qui sunt in regio codice, nescio quomodo Burmannus pro Valerianis habere potuerit. Sed ut jam scribitur, non constat oratio; requiritur enim vocativus, ad quem dirigat orationem Medea, neque commode quis dixerit: *Tunc poteras non perdere.* Legendum: *Tunc, pater, atque istis*, ut jam docuit Balbus, nec abludit cod. Carrionis ». Hactenus Beckius, cujus sententia hæc est, ut, interrogationis nota post *dextras* ejecta, et commate post *pater* posito, sic scribas: *Cur tibi fallaces placuit conjungere dextras Tunc pater, atque* (cur placuit) *istis juvenem non perdere monstris Protinus?* Recepi igitur emendationem felicissimam. » — Eo feliciorem, quod minimo minus a Bonon. cod. et edit. principe abludit, quorum auctoritas, deficiente Vaticano codice, gravissima.

Hi sunt duo versus, quorum meminit Beckius:

> Cur tibi fallaces placuit conjungere dextras,
> [AEta parens: si poscenti sua fulva negasses
> Vellera, si patrium vetuisses Phasin adire],
> Tunc poteras istis juvenem, tunc perdere monstris
> Protinus.

Istos versus in textum inserere sustinuit Adolphus *Dureau de Lamalle.* De hac re jam diximus supra, not. 185, quam vide.

V. 357. *Tonitru nutritaque gramina promit.* — *Promit* Pii emendatio est, qui subaudit *ex arcula* fretus hoc Apollonii loco, III, 843:

> Ἡ δὲ τέως γλαφυρῆς ἐξείλετο φωριαμοῖο
> Φάρμακον, ὅῤῥά τέ φασι Προμήθειον καλέεσθαι.

Quum vero apud Valerium nulla sit hujus *phoriami* sive *arculæ* mentio, retinenda est omnium codicum lectio, *ponit*, nempe in *sinu*, de quo supra, v. 355.

V. 359. *Durat editque eruor.* — Legendum censeo cum Bulæo et Heinsio *alit*. Ea est Vatic. cod. scriptura, ut *alit* et *edit* potuerint facile confundi. *Alit* ita scriptum esse in Vatic. cod. verisimile est, ut litera *a* superiori parte detecta, duobus lineis constaret, quarum prior visa sit *e*, posterior vero cum litera *l* conjuncta, habita sit pro *d*, hac fere figura : *eslit*.

V. 375. *Qualis adhuc teneros supremum pallida fetus*
Mater ab excelso produxit in aera nido,
Hortaturque sequi, brevibusque insurgere pennis.

« In priori versiculo, inquit Wagnerus, N. Heinsius, qui omnino nodos haud raro quærere amat in scirpo, vel invitis membranis pro *supremum* legi jubet *ubi primum*, quo tibicine opus non est. Illud *ubi*, quod desiderat Heinsius, est in *qualis*, quod sæpe ita pro *sicut* in comparationibus usurpari solet. Quod si igitur disjecta poetæ membra ita in ordinem cogas, omnia habebis plana et perspicua. » Sequitur interpretatio quam vide suo loco, pag. 123. Addit Wagnerus : « Non erat, quod Jortinus in Misc. Obss. IV, 190, reponi juberet *callida*, ideo, quod Venus non potuerit dici *pallida*. Quidni vero? nondum enim tum certa animi Medeæ erat, *tremens* adeo nominatur, v. 394 ».

Conf. Ovid. Metam. VIII, 213 :

.... velut ales, ab alto
Quæ teneram prolem *producit in aera nido*,
Hortaturque sequi.

Hanc Ovidii comparationem affert quoque Burmannus, de quo quid cogitem nescio, an cæcutierit in latrocinio tam manifesto, an conscius conniverit, de silentio utique non excusandus. Pudet Valerium, cætera gravem, rem culpæ deprehendere, quam tironi metricum pensum deproperanti vix ignoscas.—*Brevibusque insurgere pennis.* Valerium agnosco : sic sæpe cogitatum aliunde petitum, propria elegantia ornatum ad eximietatem perducit.

V. 382. *Hic iterum extremæ nequidquam in limine portæ*
Substitit.

Extremæ non est vacua sensu vox, ut possit videri, sed hoc loco aptissima, pingitque Medeam nondum quidem egressam, sed in limine extremo pendentem. *Extremo limini* respondet *primum limen* ; I, 709, *primoque in limine* Acasti.

V. 390............. *monstrataque condere vultus*
Numina, eumque suis averti collibus amnes.

« Vossius nil mutat (sic Wagnerus), et *monstrata numina* sumit de stellis, quæ, quum fulgere vix cœpisseut, mox post nubes recesserint.

Burmannus vult *lumina*, quod facilius : longe felicius tamen Dorvilius ad Charit. p. 205, *montana* numina, i. e. Oreades, cui emendationi assensum ego cum Harlesio præbeo. Nymphæ montanæ ad cantum magicum Medeæ abscondebant se, *eumque suis averti collibus amnes*. Nil mutem, qui sciam, carminibus magicis poetas res efficere vix credibiles, ideoque flumina cum ipsis collibus, ripis, molibus, loco mota alias sibi vias aperuisse ; si quis tamen cum Burmanno malit *vallibus*, i. e. alveis, vel cum Wakefieldio ad Lucret. I, 1084, *subque suis*, nec me dissentientem admodum habebit. »

V. 394. *Jamque tremens longe sequitur Venus.* — Veneris Hecates loco appropinquantis timorem confer cum ejusdem jactantia, supra. V, 182 : *Nec te nunc Hecates subeat metus*, etc.

V. 413. *Ferene aliquam spem lucis ?* « Hæc locutio, inquit Wagnerus, Hebraismum fere redolet, de quo tamen Valerius non cogitavit : fortasse obversatus est Cicero, qui pro lege Manilia, cap. 12, *lucem* pro *felicitate* posuit ; veri tamen similius *vitam* Noster voluit intelligi ». — Certo certius : nunc enim de *salute* anxius Jason, de *felicitate* nihil cogitat.

V. 418. *Sic, te sub teste, remitti Fas me, virgo, tuum.—Post tuum* subaudit *conjugem* Burmannus, additque, *ut spero et promitto me Fore. Tuum* Waguerus intelligit *tui amantem*; sed in præsentia rerum, nondum matura est Burmanni illa connubii sponsio, nec illa Wagneri amoris declaratio ; quare *tuum* hic significare puto *tuum supplicem*. Is illius *supplex* dicitur, cujus misericordiam implorat, cui supplicat: porro vide sup. V, 386, *sed fer opem, regina, viris* ; ibid. 391, *in te animos, sed et omnia nostra repono* ; et conf. VII, 290, *tu supplice digno Dignior es* ; ibid. v. 431, *ut supplicis aspicit ora Conticuisse viri.*

V. 420. *Nec pater ille tuus tantis me opponere monstris,*
(Quid meritum ?) aut tales voluit me pendere pœnas.

« Sic vulgata, inquit Wagnerus. Burmannus exemplis aliis, ubi *ille* et *ante* permutantur, motus dubitat, annon scribendum sit : *nec pater ante tuus.* Ego vero non dubitavi in textum recipere. Ut primum, hoc vult Jason, patris tui copia mihi facta, egoque vellus ab eo petii, nihil aliud a me postulavit, quam ut in debellandis eum Scythis adjuvarem. Adjuvi strenue, nec sine jactura sodalium. »

V. 430. *Degenerem nec me tu prima videbis.* — Virgil. Æn. IV, 13 : *Degeneres animos timor arguit.* Nescio cur Adolphus *Dureau de Lamalle* in Var. Lect. hunc versum Statio tribuat, neque cur probet Mon. codicis lectionem *metu*, reprobante mensura. An ignorat primam syllabam vocis *metu* corripi ? nemo credet profecto, nisi qui meminerit infelicem ejus emendationem ad versum 244 hujus libri. Præterea *me* hic necesse est,

nec raro occurrunt duo pronomina diversæ personæ sic, ut nunc, juxta posita.

V. 436. *Hæret, et attollens vix tandem lumina fatur.* — Callidior hoc loco, ut mihi videtur, Apollonius, et naturæ magis consultus, Medeam finxit obmutuisse præ verecundia, moxque, responsi loco, incantamenta Jasoni tradidisse; quod fuit quovis sermone significantius; vid. Apoll. III, 110.

V. 440. *Nempe, ego si patriis timuissem excedere tectis,*
Occideras, nempe hanc animam sors sæva manebat
Funeris.

Quæ sequuntur, Wagneri sunt verba: « *Nempe*, ita vero est, *ego*, ego inquam, *si patriis timuissem excedere tectis, occideras*, actum de te erat, *nempe*, et profecto *hanc* (δεικτικῶς, manu pectori imposita) *animam* meam, me, *sors funeris sæva manebat*, ego tibi non superstes, tecum moritura fuissem. Hanc animam ad Jasonem refert Burmannus eam ob causam, quod in primo alloquio Medea, a morte Jasonis suam pendere, non satis decore profiteri potuisse videatur. Quam sententiam premit hoc, quod idem tum bis (conf. *occideras* v. 441) dixisse credenda sit Medea, nec absonum mihi videtur, virginem, quæ jam antea, sibi saltem v. 351, fassa esset se cum Jasone mori non recusare, quæque jam in eo esset, ut herbas venenatas traderet, simpliciter atque aperte animi sensa promere ».

V. 450. *Persæasque sinu depromere vires.* — Conf. Ovid. Remed. Amor. v. 263: *Quid tibi profuerunt, Circe*, Perseides *herbæ*. Hecate nempe, quæ vocatur Perseis, supra, v. 238, Prometheum florem prima collegerat, ejusque vim Medeam docuerat.

V. 454. *Et jam nunc deprecor, hospes.* — *Etiamnunc* legendum censeo cum Burmanno: *et jam* et *etiam* in codicibus sæpe confunduntur, iis præsertim in quibus indivisa sunt vocabula.

V. 456. *Dixerat, extemplo (neque enim matura ruebant*
Sidera, et extremum suffixerat axe Booten)

Hunc locum sic interpretatur Wagnerus: « *Nam jam* (sic enim lego pro *neque enim*, unde sensum commodum extricare non possum) *matura ruebant sidera*, matura nempe occasui, jam in eo erant, ut occiderent (*cadentia sidera*, Virgil. Æn. II, 9), *et extremum*, qui ultimus omnium, non nisi die instante, occidit, *suffixerat*, diutius remorata erat, sc. Medea arte magica, *axe*, ad polum Arcticum (axis enim est septemtrio, qui Græcis ἄμαξα dicitur. Sic Servius ad Virg. Georg. III, 351; cf. inf. v. 560 »). — Nil mutavimus. Sensus est: *matura enim sidera non ruebant*, non occidebant, Medeæ magicis artibus cælo suffixa. *Ruere* de ortu occasuque

siderum æque dicitur : utroque sensu Virgilius hoc verbum adhibuit. — *Suffixerat*. Conf. supra, VI, 442 : *Sidera fixa pavent*.

V. 462. *Propiorque implevit Erinnys*. — *Erinnys* hic idem valet quod *furor* (amoris) alias, et *furiæ* hoc Virgilii loco, Æn. IV, 474 : *Ergo ubi concepit furias evicta dolore*.

V. 476. *Arripit Æsoniden dextra, ac submissa profatur*. — Medea proprii periculi imagine (vid. vv. 471-475) permota, loquendi rationem mutat. Egregium est hoc peripetiæ genus, et a natura petitum. Medea enim, prodito patre, nocens facta, nihil habet reliqui, nisi ut ejus fidei totam se permittat, cujus gratia honestum deseruit. Callida est oratio qua utitur, et ad rem locumque aptissima.

V. 481. *Atque hunc te meminisse velis*. — Sic Pius : « Recordare te *hunc*, i. e. collocatum in hac fortuna, a Medea servatum fuisse ».

V. 483. *Hei mihi, cur nullos stringunt tua lumina fletus ?* — Sic explicat Wagnerus : « Ne lacrimulam quidem in genis tuis video oboriri. Qui sensus tamen exsculpi non possit, nisi cum Heinsio ponas *nulli*. Burmannus I pro *stringunt* conjecerat *spargunt*; Burmannus II ad Anthol. t. I, p. 162, *fingunt*. Palmam sine dubio præripuit omnibus Ruhnkenius, qui sic refingit : cur *nullo tinguntur* lumina *fletu ?* Vid. Santenius ad Propert. pag. 915 ». — Ingeniosa quidem Ruhnkenii conjectura est : sed contra omnium codicum consensionem quid possit?

V. 505 . . . . *tum me tectis tua turbet in ipsis*
Flamma tuæque artes.

Piget quod illæ diræ quas ipse sibi imprecatur Jason, posterioribus Medeæ sceleribus justitiæ quamdam speciem tribuere videantur.

V. 509. *Audiit, atque simul meritis perjuria pœnis*
Despondet.

Despondere perjuria pœnis meritis, locutio similis huic : *addicere aliquem morti, supplicio*.

V. 519. *Sævior ingenti Mavortis in arbore restat,*
Crede, labor; quem. . . . .

Recte notat Burmannus post *quem*, abruptum esse sermonem. Medea quum dictura esset : *quem nostra arte superabis*, hæret subito tamquam dubitans, et ipsis artibus magicis diffidens, quo magis conterritus Jason, majori se beneficio obligatum existimet.

V. 528. *Et vacuo furit ore per auras*. — Hoc in memoriam redigit sequentem Virgilii locum, Æn. IX, 63, *Sævit in absentes*, et, ibid. XII, 754 : *similisque tenenti Increpuit malis, morsuque elusus inani est*.

V. 541. *Liberne freto jam vultus aperto.* — Frustra Heinsius proponit *fluctus* pro *vultus*, non refragante Burmanno; suam ipse manum tuetur Valerius hoc altero loco, II, 493: facies *mœstissima capti Litoris.*

V. 546. *Spesque addidit ausa.* — *Ausa* prava est Carrionis codicis emendatio, quam tamen sequimur; codices ac veteres editiones habent *aula*, quæ potest explicari cum Pio, *benignitas aulæ meæ et comitas hospitalis.*

V. 547. *Vos mihi nunc primum in glebas invertite, tauri,*
Æquora; nunc totas aperite et volvite flammas.

Omnes codices ac veteres præter Aldinam editiones habent *flammas* in utroque versu. Nescio an mibi imponat codicum auctoritas, sed *flammas* egregie, incitationis causa, repeti mihi videtur, ipsoque sensu lectionem *glebas* redargui: non potest enim Æetes optare ut jugo dociles tauri Martis campum arent; sperat contra fore ut, primo *(nunc primum)* flammas per totam planitiem evomendo, Jasonem ab aditu prohibeant.

V. 549. *Exeat Hæmonio messis memoranda colono.* — Si forte Jason tauris jugum imponere valuerit, sperat saltem Æetes eum gigantum ferro, qui germinabunt ex agro, periturum.

V. 550. *Tuque tuum parti Graium da, nata, draconem;*
Ipsius aspectu pereant.

Pars hic valet *latus*, vel eodem adhibetur sensu, quo apud Terentium, And. II, 5, 8: *nostræ parti timeo.* — *Dare* significat *obvertere*, ut in his locutionibus, *dare jugulum*, *dare latus*. Quod sequitur, *illius aspectu pereant*, hanc explicationem confirmat. — *Pastim*, corruptam Vaticani codicis lectionem, possis in *pestim* convertere, atque inde sensum satis sanum exerere: *et tu, nata, da tuum draconem, ut sit Graiorum pesti*, vel *in pestem, in exitium, quemadmodum gigantes erunt exitio Jasoni.* Lectio secundæ Bononiensis, *tuque tuum, Gradive pater*, quam sequutus est Pius in commentariis, quum sit nimis diversa, nihili habenda est. Præterea, ut recte notat Maserius, inter *Gradive* et *nata* opus esset conjunctione *et;* sed et *Graium* opus est, qui *pereant* in sequenti versu. Pravam hanc lectionem sequutus Adolphus *Dureau de Lamalle*, notam ad hunc versum sic incipit: *Nous avons eu le courage de mettre ainsi ce vers dans le texte*, etc. Admirabilis certe *fortitudo!* sed, amoto joco, notare liceat hanc locutionem, qua vix uti possit aliquis vulgati textus fidelis ac diligens observator, in ore Adolphi *Dureau de Lamalle* absonam, immo mendacem (de stilo, non de homine probo et integro dicimus) nobis videri, quippe qui toties ac nimis sæpe, levibus aliquando de causis, textum immutaverit.

V. 551.................. *Quin vellera, et ipsa*
Terga mihi diros servent infecta cruores.

Hæc sunt Wagneri: « Stellulam præfixerunt, et varia hariolati sunt commentatores, quod idem et mihi liceat. Aliquem sensum invenisse mihi visus sum, si ita interpretarer: *quin*, si ita audaces sint Argonautæ, ut cum dracone dimicare sustineant, *vellus aureum et ipsa terga*, draconis nempe, *infecta*, conspersa, *diros cruores*, hostium exsecrandorum, qui rapere vellent, *servent* memoriæ causa, ut signa sint fortitudinis, qua vellus suæ custodiæ traditum draco defenderit. Erat etiam, ubi *diris cruoribus* Medeæ venena significari putarem, legeremque: *diri servent illæsa*, scil. vellera, ne rapiantur, *cruores*, ut rex pergat mandata dare filiæ, ut arte sua magica inungat et vellus et draconem; sed audacius hoc esse ipse confiteor ».

V. 558. *Sævisque procul discessit ab agris*. — Lectio *ab agris*, secundæ Bonon. emendatio est. Lectio codicum, *in agris*, melius cum sequentibus cohæret; necesse est, quo stet comparatio quæ sequitur, Jasonis socios, perinde ac ipsum, Martis in campo stare, magno tamen intervallo a duce disjunctos; vide v. 593 et infra not. 614.

V. 559. *Fixerat ille gradus, totoque ex agmine solus*
Stabat, ut extremis desertus ab orbibus axis,
Quem jam lassa dies, Austrique ardentis arenæ,
Aut quem Rhipæas exstantem rursus ad arces
Nix et cærulei Boreæ ferus abstulit horror.

Apollonius, ait, III, 1270, campum Martium ab urbe tantum distare, quantum a carceribus meta curru attingenda.

Hinc profecto Valerius currulis comparationis, diversæ tamen, cogitationem duxit. Hoc certe sibi proposuit, ut Jasonem a sociis relictum in medio, moxque taurorum flammis obscuratum ac involutum pingeret. Comparatio instituitur cum curribus iter simul facientibus sive in Africa, sive in Scythia, quorum unus hæsit sub vesperam in agro, cujus mox arenæ et occiduus dies in Africa, nives et pruinæ in Scythia, conspectum eripiunt.

Non intellexerunt hunc locum Pius ac Burmannus, *orbibus* esse pro *polis* rati. *Orbes* hic *rotas* significare monuit Maserius, quem sequutus Dorvillius ad Charit. p. 639, lucem primus intulit huic loco; sed cum fefellit comparationis propositum, cujus me monuit locus Apollonii supra laudatus, ad quem ille profecto non attendit; erravitque in voce (cujus præcipuum erat momentum) *abstulit*, quam interpretatus est, *obruit*, quod repugnat similitudini: taurorum enim flammis obnubitur tantum, non *obruitur* Jason. *Abstulit* eo sæpe adhibetur sensu, quo sumus interpretati; sic supra, I, 497, *Immensusque ratem spectantibus abstulit aer;* III, 551, *jamque ex oculis aufertur uterque*. — *Extremi orbes* sunt currus ultimi, qui plaustrorum catervatim euntium agmen claudebant. — *Ex-*

stantem secundo loco currum dicit Valerius, quod plaga septemtrionalis altior videtur; vid. Virg. Georg. I, 240:

> Mundus ut ad Scythiam Rhipæasque arduus arces
> Consurgit.

Interpretationem Wagneri, memoriæ causa, hic subjecimus. Sic igitur ille: « *Stabat, ut extremis desertus ab orbibus*, stellis, *axis*, polus arcticus (vid. supra 456), h. l. Arctos sidus, Ursa, *quem jam lassa dies*, sol occidens, ut respiciatur ad lassos equos, nox ingruens, *Austrique ardentis arenæ*, nubes arenarum ventis excitatæ, australis plagæ incolis ex oculis subducunt, *aut quem Rhipæas ad arces*, montes, in plaga septemtrionali, *exstantem*, paululum temporis emicantem, conspicuum, mox tamen *rursus nix et cærulei Boreæ ferus horror* (conf. I, 652), nubes imbribus gravidæ, a Borea coactæ, *abstulit*, obscuravit. Feci, quod potui, ut, quem poeta animo informasse videretur, sensum eruerem, sed mihi nondum per omnia satis feci. Nimis doctus subinde esse vult Valerius meus, quo fit, ut obscurior evadat, et, dum nimis ornare rem, quam comparat, contendit, id, quocum comparationem instituit, ex oculis amittat. Idem ei accidit hoc loco, cujus posterior pars, qua ratione ad Jasonem proprie accommodari possit, non video. Gratiam habebunt lectores, quod Cel. Beckii l. l. p. 270, sententiam adscripserim. « Intricatus, ait, locus, et memorabilis ob diversissimas explicationes, quarum utramque et verba admittunt et contexta oratio. Dorvillii explicatio ad Charit. pag. 591, ed. Lips. ut sit a curru deserto ducta comparatio, vix placet, quod humilior imago futura esset, nec *orbis* videtur diei posse pro curru. Plus erit dignitatis, si de Arcto interpreteris. *Lassa dies* dictum esse deberet pro lumine deficiente ipsius stellæ, ut sit sensus: quem tenebræ, puta *nubes*, aut, in australi terra, arenæ concitatæ obscurant, aut in septemtrionali plaga, nives. Quum *Austrum ardentem* dixisset poeta, hoc ipsum ad oppositam cæli plagam transtulit animum: *exstantem* ornatus causa est adjectum, nec premendum, quasi elatior sit septemtrionalis plaga. — (Sic tamen credidere Veteres. Vide, quæ ad Calpurn. Sic. Ecl. I, 74, 75. *Notum jacentem, erectumque Boream* annotavit Wernsd. Poet. Min. nost. ed. vol. I, p. 403.) Sensus igitur est simpliciter, ut Arctos, quæ deficientibus reliquis stellis sola destituta, arenis et nivibus obscuratur. Sed latet adhuc aliquid in *lassa dies*; requirebatur hic noctis mentio ».

V. 566. *Et ardentes stabula effudere tenebras.* — « Mire dictum videri possit, inquit Wagnerus. Poeta si hoc voluit, ut stabula e tenebris suis ignivomos emiserint tauros, obscurius tamen exposuit. Fortasse tamen ὀξύμωρον sequutus, in qua figura sibi placuisse omnino videtur, si conferas hujus libri, v. 5, *tenebris incensa* mens, et paulo post 585, *frigidus ignis*. Optime, uti et Burmannus vidit, h. l. de fumosis flammis exponi potest, ut Apollonii λιγνυόεντα καπνόν, II, 133, et III, 1290, imitari poeta voluerit. »

— In verbo *effudere* imaginem habes; sic Virg. Georg. I, 512: *Ut quum carceribus sese* effudere *quadrigæ*.

V. 573..................... *horruit audax*
Qui modo virgineis servari cantibus Idas
Flebat, et invito prospexit Colchida vultu.

Merito notat Wagnerus in hoc loco, anteriorem Idæ mentionem desiderari; cujus defectus et uostram et eorum opinionem confirmat, qui Valerium negant summam operi manum adhibuisse.

V. 578. *Et errantem dextra ciet obvius ignem.* — *Errantem ignem* pro *tauris ignem huc illuc circumferentibus*, audax est locutionis genus, sed ab ipsa fabulæ natura prolatum.

V. 590. *Et tota nitentem cornibus ira.* — Codicum lectio, *carminis ira*, potior mihi videtur vulgata. *Carmen iratum* vehemens est locutio, et ingenio Valerii accommodata, apud quem occurrit *ira maris, ira sanguinis, ira Lunæ*, et similia. Præterea lectio *nitentem cornibus* imaginem præbet, jam supra, v. 588, depictam his verbis: *totis propendens viribus hæret.*

V. 600......... *invadit totusque incumbit Iason*
Desuper, atque suis defixum flatibus urget.

Burmanni codex pro *flatibus* habet *facibus*: quid si legas *faucibus*? Si placet nihil mutare, post *defixum* subaudi *terræ*, ac τὸ *suis flatibus urget* intellige de Jasonis prono corpore cominus in taurum incumbente, ita ut eum anhelitu suo tamquam premere videretur; tunc *flatibus urgere* idem significabit quod *afflare*, supra, VI, 173: *virque virum galeis afflavit adnetis.*

V. 604. *Non aliter medio quam si telluris hiatu*
Terga recentis equi, primumque invasit habenis
Murmur.

Pro *quam si* mallem *quam quum*, ut infra, v. 623. — *Invadere habenis primum murmur.* Hanc lectionem mutare tentaverunt Heinsius ac Burmannus; quos quomodo fefellerit tam insignis locutio, miror.

V. 607. *Ille, velut campos Libyes ac pinguia Nili*
Fertilis arva secet, plena sic semina dextra
Spargere gaudet agris, oneratque novalia bello.

Quum benigni agri largius ac spissius serantur quam improbi, fingitur Jason non parciore manu semen spargens, quam si fertilia Libyæ et Ægypti arva seminet. Istud commentum maxime poeticum splendidas ac vividas locutiones ex se velut sponte suggerit, quales *bellum*, pro semine unde orituri sunt bellatores; *bellatrix gleba*, etc.

V. 614. *Cessit, et ad socios paullum se rettulit heros.* — Hinc atque ex versu 593 arguitur Argonautas et ipsos in campo Martis fuisse; vide supra not. 558.

V. 619. *Prior ense sequaci Æquat humo truncos.* — *Ensem sequacem* secus ac Wagnerus intelligo: mihi videtur hæc vox agendi celeritatem ac impetum Jasonis pingere, qui, vix uno hoste confecto, alterum statim occupat.

V. 620................. *rutilum thoraca sequenti*
Aut primas a matre manus premit obvius ante.

« *Primas a matre*, terra, porrectas *manus premit*, amputat. Locum salebrosum facit *sequenti*, quod quum ob proxime præcedens *sequaci*, tum ob collocationem non placet. Quod si tamen jungas verbo *premit*, tum ferri possit, hoc sensu: Colla amputat, priusquam humeri succrescerent, *sequenti* (sequentibus) qui *post hos* vel thoracem vel primas manus (digitos) protruderent, hos occupat, nec patitur ultra provenire. Possis etiam legere *ferenti*, i. e. proferenti. Sed nil opus ». Sic Wagnerus. — *Primæ a matre manus* sunt *manus e terra* primum emergentes.

V. 623...... *ad diræ quam quum Tirynthius Hydræ*
Agmina Palladios defessus respicit ignes.

Cavillator quidam medicus, hoc facinore fretus, cauteriorum inventionem Herculi tribuebat. — *Palladii* dicuntur *ignes*, quod *ignem* adhibuerat Hercules, suadente Minerva, seu *Pallade*. Tò *agmina Hydræ* centicipitem belluam egregie pingit.

V. 635. *Qualis ubi attonitos mæstæ Phrygas annua Matris*
Ira, vel exsectos lacerat Bellona comatos.

Conf. Ovid. Fast. IV, 243:

.... mollesque ministri
Cædunt jactatis vilia membra comis.

Attonitos. Confer eumdem, apud Ibin, V, 453:

*Attonitus*que seces, ut quos Cybeleis mater
Incitat, ad Phrygios vilia membra modos.

V. 645............ *qualis Getico de pulvere Mavors*
Intrat equis, uritque gravem sudoribus Hebrum.

Noli jungere *gravem* cum *sudoribus*: sic potius ordina: *urit sudoribus Hebrum gravem*. Valerius *Hebrum gravem* dixit, spectans ad ingenium ejus

accolarum, sæpe inter se, vel cum finitimis gentibus belligerantium. Idem epitheton Persis tribuit Horatius, Od. I, 2, 21:

> Audiet cives acuisse ferrum,
> Quo *graves* Persæ melius perirent.

Cf. Propert. Eleg. III, 9, 56: *Antonique* graves *in sua fata manus.* — *Torvus* Hister occurrit infra, VIII, 218:

> Torvus ubi et ripa semper metuendus utraque
> In freta per sævos Hister descendit Alanos.

Eodem jure finxit Valerius Hebrum *sudoribus uri*, quo Virgilius Tiberim *sanguine* calescere, Æn. XII, 35: *recalent nostro Tiberina fluenta Sanguine adhuc.*

C. VALERII FLACCI

SETINI BALBI

ARGONAUTICON

LIBER OCTAVUS

LIBRI OCTAVI

ARGUMENTUM

ÆGIDIO MASERIO

AUCTORE.

Excedens Medea gravi mœstissima planctu
Opprimitur. Graio tandem jungenda marito
Effert virgineis medicamina sæva canistris.
Serpens obruitur somno: fulvo exuit ornum
Æsonides auro: cedentes excipit Argo.
Frater in arma ruit; ripæ pater advolat; auras
Questubus ipsa parens pulsat; volat aurea classis
Cyaneos linquens scopulos: connubia læti
Hæmonidæ celebrant; quæ Colchica navis in enses
Vertit: carceribus revocat Saturnia ventos.
Mergitur Albanus; monitis ingratus Iason
Flectitur; hoc sentit virgo, magnumque minatur.

C. VALERII FLACCI

SETINI BALBI

ARGONAUTICON

LIBER OCTAVUS.

ANALYSIS LIBRI OCTAVI.

Medea, patris iram timens, ultimum thalamo mundoque muliebri vale dicit, arculam sinumque ipsum medicaminibus onerat, piis tamen pro incolumitate patris votis factis, ense cincta in lucum properat, 1-23. Jason ibi eam præstolans paventem excipit, blandisque verbis, ut tantis de se meritis addat, et opem in expugnando vellere aureo ferendam orat, 24-44. Ad hæc ita respondet singultans virgo, deosque et sidera obtestata, ut, quæ ipsius causa et patrem et patriam et sceptra reliquisset, ei fidem servare velit Jason, 45-53. Tum ad interiorem lucum ambo progressi; et, dracone conspecto, Jason cohorrescit, cui quum optionem dedisset Medea, utrum ipse cum eo certamen inire, an somno eumdem mergi vellet, posterius se malle tacendo profiteri videtur, 54-67. Deum igitur Somnum Medea implorat, ut, quidquid virium habeat soporiferarum, in unum conferat draconem; nec ipsa deses, diu obluctantem serpentem carmine et artibus magicis in somnum dat dormientique adeo illudit, 68-104. Jam vero Jasonem cohortatur, ut ad vellus auferendum arborem conscendat, ipsoque dracone pro scala utatur. Sic igitur facit juvenis, vellus ramis expedit, et, qui arborem antea circumdederat splendor, is per campum, quem redeuntes Jason et Medea transcurrunt, funditur. Argonautæ omnes Argoque ipsa obviam veniunt, cui immittere prædam properat Jason, deinde Medea comite insilit, et armis indutus adstat ad se suaque defendenda paratus, 105-133. Interea rapti velleris rumor ad urbem pervenit, Medea nusquam in-

venta. Princeps juventutis, Absyrtus, arma rapit primus, Æetes ipse senectutis immemor ad Phasidem amnem properat, præ cæteris tamen regina (Idyia) miserabili oratione filiam deplorat, 134-174. Argonautæ, secundis usi ventis, jam prope erant a Symplegadibus, a quibus nuper tam infestis cavere jubet navis gubernator Erginus, aliamque, quamquam longiorem, viam eligere, cursumque flectere ad Danubii ostia, 175-196. Facile consentit Jason, nec longius, quo fama rerum a se gestarum latius divulgetur, recusat iter, 197-201. Mœsta interim et velato vultu in extrema navi sedet Medea; dolori indulget, vixque cibum capit, quamquam Jason ipse porrigat, Thessaliamque haud procul abesse mentiatur, 202-216. Tandem pervenitur ad Istrum, ubi datam Medeæ conjugii fidem sociis Jason aperit, quam ita egregie meritæ servare instigant omnes. Sine mora parantur nuptiæ; incedit, ut nunquam antea, pulcher Jason, pulchrior Medea, ab ipsa Venere compta, omnium malorum oblita. Sacra fiunt, in quibus, quamquam augur Mopsus omina non admodum læta deprehendere sibi videatur, epulæ tamen lautæ apponuntur, hilares omnes, in quorum medio sponsus et sponsa, substrato vellere aureo, gramineis toris discumbunt, 217-258. Has ipsas lætitias turbat non invitatus conviva Absyrtus, Medeæ frater; qui acerbe satis et jactanter tædas se non huic solum connubio, sed ad Græciæ adeo urbes comburendas afferre minatur, naviculasque suas, quas multas secum habet, Danubii ostiis appropinquare jubet, 259-305. Argonautæ ad hæc, armis confestim raptis, parati ad certamen in litore adstant; Medea autem, mori certa, abdit se antro, in quo epulas modo nuptiales celebraverat, 306-317. Jam vero ipsa Juno, quæ Jasonem suum tantæ hostilium navium multitudini imparem fore videt, Olympo descendit, Æoliis antris ventos emittit, gravissimamque excitat tempestatem, 318-327. Nihil hac tempestate motus, cui antea desponsata Medea fuerat, Stirus, pertinacissime diu obluctatus, decumano tandem fluctu in profundum mergitur, 328-368. Qua clade accepta Absyrtus, vi nihil profici posse perspiciens, obsidione Argonautas cingere constituit, 369-384. Quantum sibi inde periculum immineat, probe considerantes Argonautæ urgent Jasonem, ût vellere ablato contentus Medeam patri remittat. Jason, impense amans Medeam fideique datæ memor, sociis tamen cedere cogitur, 385-407. Haud diu fallit consilium captum Medeam. Seorsim com-

pellat Jasonem, pactæ fidei gravissime admonet; quæ ejus causa fecerit, enarrat; spem aliquam facit, fortasse fieri posse, ut porro eum adjuvet; miratur, furit, respondere volentem ne audit quidem, totamque noctem terriculamentis agitata transigit, 408-457. Postridie procedit, iterumque gemens alloquitur Jasonem, gementem et ipsum blandisque verbis demulcentem, quorum dictorum non nisi primum versiculum reliquit Valerius, 458-468.

At trepidam in thalamis et jam sua facta paventem
Colchida circa omnes pariter furiæque minæque
Patris habent; nec cærulei timor æquoris ultra,
Nec miseræ terra ulla procul; quascumque per undas
Ferre fugam, quamcumque cupit jam scandere puppim.
Ultima virgineis tunc flens dedit oscula vittis,
Quosque fugit, complexa toros, crinemque genasque
Ante per antiqui carpsit vestigia somni,
Atque hæc impresso gemuit miseranda cubili:

1. *Sua fata*. Bonon. cod. Engent. Heins. — 4. *Per umbras*. Bonon. cod. Bonon. I et II. — 8. *Ante per anti carsit*. Vat. cod. *Ante per antiqui carpit*. Bon. cod. *Compsit*. Ald. Ed.

1-23. Medea patris iram timens medicamina ex penetralibus promit, et ad Jasonem confugit. Jam *sua facta*, quæ perpetrasset, et inde sequutura mala, *paventem Colchida omnes furiæ minæque*, iræ furibundæ, *patris circa habent*, obsident quasi, undique oppugnant. Heinsius pro *circa habent* mavult *circum..... agunt* per tmesin; nil opus, nam *habere* Nostro sæpius est pro *tenere*, *continere*, et similibus; vid. inf. v. 98, et V, 284. — Conf. quoque Virgil. Æn. XI, 357: *quod si tantus* habet *mentes et pectora terror*. Ed.

4. *Nec miseræ terra ulla procul*, nulla tam remota, quam non adire mallet potius, quam in patria remanere.

5. *Ferre fugam*, singularis dictio, eadem tamen et IV, 644, et VII, 297. — Occurrit apud Catullum, LXIII, 47 et 99; LXVI, 35, *reditum ferre* pro *redire*. Ed.

6. *Oscula dat vittis virgineis*, omnino arculæ muliebri. Apollon. IV, 26: Κύσσε δ' ἑόν τε λέχος, καὶ δικλίδας ἀμφοτέρωθεν Σταθμούς, καὶ τοίχων ἐπαφήσατο.

7-9. *Impresso*, presso. — Vide ad calcem hujus libri not. 7. Ed.

« O mihi si profugæ genitor nunc ille supremos
Amplexus, Æeta, dares, fletusque videres
Ecce meos! ne crede, pater; non carior ille est,
Quem sequimur; tumidis utinam simul obruar undis!
Tu, precor, hæc longa placidus mox sceptra senecta
Tuta geras, meliorque tibi sit cætera proles. »
  Dixit, et Hæmonio nunquam spernenda marito
Condita letiferis prodit medicamina cistis,
Virgineosque sinus ipsumque monile venenis
Implicat, ac sævum super omnibus addidit ensem.
Inde, velut torto Furiarum erecta flagello
Prosilit: attonito qualis pede prosilit Ino
In freta, nec parvi meminit conterrita nati,
Quem tenet; extremum conjux ferit irritus Isthmon.
  Jam prior in lucos curis urgentibus heros
Venerat, et nemoris sacra se nocte tegebat,

12. Hic versus abest a Bonon. cod. *Ipse meos*. Bonon. II. — 14. *Longæ ... senectæ*. Bonon. cod. Bonon. I et II. *Longe placidus*. Junt. Maser. Ald. Eugent. — 17. *Profert*. Carr. — 20. *Ejecta*. Vatic. Bonon. codd. Carr. — 23. *Isthmo*. Vatic. Bonon. codd. Junt. *Isthmos*. Bonon. II. Maser. Ed.

10, 11. *Ille ... Æeta*. Similem vide locutionem, lib. II, v. 486: tuque Ille *ades, auguriis promisse et sorte deorum*. Ed.

12. *Non carior ille est, quem sequimur*, non æque amo Jasonem, ac te, pater optime, in quo si mentiar, *tumidis simul obruar undis*, fluctus me cum ipso Jasone hauriant!

15. *Melior sit cætera proles*, magis pia, quæ tibi honori et gaudio majori sit, quam ego.

16. Dixit, et *nunquam spernenda*, maximi pretii, utilissima, *Hæmonio marito*, conjugi Thessalo, Jasoni, *medicamina cistis* (Orpheus, 954; Apollon. III, 801, φωριαμὸς) *letiferis*, venena mortifera servantibus, *condita prodit*, profert, promit.

20. *Velut torto* (ornans epitheton!) *Furiarum flagello erecta*, incitata, exagitata, *prosilit*, non lecto, uti Burmanno videtur, nam ista nocte somno se dare nec voluit, nec potuit, sed palatio.

21. Vide ad calcem hujus libri not. 21. Ed.

24-44. Jason in luco blandis verbis Medeam excipit.

25. *Nemoris sacra nocte se tegebat*, abditus in umbra luci exspectabat... *siderea*, insigni, pulcherrima, *juventa*. De eodem Jasone, V, 467, *sideris ora ferens*; cf. IV, 190.

Tum quoque siderea clarus procul ora juventa.
Qualis adhuc sparsis comitum per lustra catervis
Latmius æstiva residet venator in umbra,
Dignus amore deæ; velatis cornibus et jam
Luna venit: roseo talis per nubila ductor
Implet honore nemus, talemque exspectat amantem.
Ecce autem pavidæ virgo de more columbæ,
Quæ super ingenti circumdata præpetis umbra
In quemcumque tremens hominem cadit: haud secus illa
Icta timore gravi mediam se immisit; at ille
Excepit, blandoque prior sic ore loquutus:
« O decus in nostros magnum ventura penates,
Solaque tantarum virgo haud indigna viarum

30. *Tali.* Eugenl. — 35. *Acta.* Vatic. Bonon. codd. et edd. ante Carr. *Se misit.* Vatic. Bonon. codd. et edd. ante Burm. Ed.

27. Poeta Jasonem cum Endymione, is enim est *Latmius venator* a Latmo Cariæ monte dictus, Medeam cum *Luna*, Diana, confert, quæ, pudoris virginei diu tenacissima, tandem dormientis Endymionis venustate abrepta, ne intra osculum quidem constitit, si fides habenda Propertio, II, 14, 16; conf. et Apollon. IV, 55.

28. *Residet*, quiescit, somno correptus.

29. *Velatis cornibus Luna venit*, splendore suo, ne deprehenderetur, imminuto. Apollon. IV, 60: σκοτίη ἐνὶ νυκτί. De defectu, eclipsi Lunæ possis intelligere, si sequaris Catullum, LXVI, 5, ubi vid. cel. Doering. et Walkenaer. Epigr. Callimachi fragmenta, p. 66.

30. *Roseo honore:* suavi, gratiosa, florente pulchritudine (conf. infra v. 237), *implet nemus, talemque*, æque pulchram ac Dianam, *exspectat amantem* Medeam Jason.

32. En nova comparatio! *De more columbæ pavidæ*, solennis vox de animalculis istis, quæ *super*, supra se, *præpetis*, de quibusque avibus carnivoris dicitur, *ingenti umbra*, auget poeta magnitudinem avis, *circumdata*, conclusa, involuta, *in quemcumque*, ut primum in oculos cadit, *tremens*, anxia, *hominem cadit*, quod gravius et significantius, quam volat.

34. Haud secus Medea *icta*, percussa, *timore gravi mediam sese immisit*, toto corpore in amplexus ejus ruit.

37. Jason ita excipit: *O decus magnum in nostros penates ventura*, insigne ornamentum genti nostræ accessura.

38. *Sola haud indigna causa tantarum viarum reperta mihi.* Sic ordi-

Causa reperta mihi, jam nunc non ulla requiro
Vellera, teque meæ satis est vexisse carinæ.
Verum age, et hoc etiam, quando potes, adjice tantis
Muneribus meritisque tuis; namque aurea jussi
Terga referre sumus; socios ea gloria tangit ».
  Sic ait, et primis supplex dedit oscula palmis.
Contra virgo novis iterum singultibus orsa est :
« Linquo domos patrias te propter opesque meorum;
Nec jam nunc regina loquor : sceptrisque relictis,
Vota sequor; serva hanc profugæ, prior ipse dedisti
Quam (scis nempe) fidem. Di nostris vocibus adsunt,
Sidera et hæc te meque vident; tecum æquora, tecum

39. *Nunc* abest a Vatic. cod. *Jamjam non ulla*. Bonon. cod. Maser Eugent. *Jamjam nonnulla*. Bonon. I et II. Junt. Ald. — 40. *Quæsisse carinæ*. Vatic. cod. Carr. — 42. *Aurea*. Codd. et edd. ante Burm. et reposuerunt Bipont. et Wagner. non autem Harles. — 45. *Contra virgo nobis*. Solemni *b* et *v* permutatione Vatic. cod. *Notis*. Bonon. cod. *Contra virgo iterum notis*. Bonon. I et II, et edd. ante Carrionem. Ed.

nes verba. *Haud indigna*, λιτότης, sensusque is est : Operæ profecto pretium erat, tam egregiæ virginis causa, tam longinqua maria emetiri.

39. *Jam nunc non ulla requiro*, nil curo, *vellera*, quibus tu mihi longe potior es; *satis carinæ meæ vexisse*, reportare, *te*.

41. At vero tot tantisque tuis meritis adde, potes enim, vellus aureum : *socios ea gloria tangit*, ad hos etiam pars laudis pertinet.

44. *Primis supplex dedit oscula palmis*, nondum labiis imprimit oscula, sed manibus, iisque *primis*, digitis. Satis modeste !

45-53. Medea tenerrimi amoris significatione totam se tradit atque committit Jasoni; fidei tamen datæ eum admonet.

47. *Non jam nunc regina*, virgo regia, *loquor; sceptris relictis*, *vota* animi, te, mi Jason, sequor; serva *profugæ*, tua causa omnia relinquenti, *quam dedisti fidem*, VII, v. 497 sq.

49. *Di nostris vocibus adsunt* testes, audiunt præsentes, quæ loquimur, invicem promittimus. *Sidera et hæc te meque vident*, sideribus enim et locum dedere in jurejurando (vid. *Heynius* ad Virgil. Æn. II, 154); quascumque vias tecum inibo; *modo ne quis abactam* a te, repudiatamque, *huc*, in hanc regionem, *referat me forte dies*, *oculisque parentis* irati *ingerat*, objiciat; *hoc superos*, *hoc te deprecor*, *hospes*. In hac hospitis appellatione, qua sermonem finit Medea, perfidiæ quam-

Experiar quascumque vias; modo ne quis abactam
Huc referat me forte dies, oculisque parentis
Ingerat; hoc superos, hoc te quoque deprecor, hospes».
  Hæc ait, atque furens rapido per devia passu
Tollitur: ille hæret comes, et miseratur euntem,
Quum subito ingentem media inter nubila flammam
Conspicit, et sæva vibrantes luce tenebras.
«Quis rubor iste poli? quod tam lugubre refulsit
Sidus?» ait; reddit trepido cui talia virgo:
«Ipsius en oculos et lumina torva draconis
Adspicis; ille suis hæc vibrat fulgura cristis,
Meque pavens contra solam videt, ac vocat ultro,
Ceu solet, et blanda poscit me pabula lingua.
Dic age nunc, utrum vigilanti hostemque videnti

53. *Ingerar.* Vatic. Bonon. codd. Bonon. I et II. Junt. Ald. — 62. *Advocat ultro.* Vatic. Bonon. codd. et edd. ante Carr. Ed.

dam atque levitatis hospitibus solitæ suspicionem invenisse sibi, nec immerito, visus est Burmannus, Valeriumque existimat ob oculos habuisse Ovidii illud, Heroid. XVII, 191: *Certus in hospitibus non est amor: errat, ut ipsi.*

54-66. Utrique jam interiorem ingressi lucum conspiciunt draconem. *Rapido passu*, cum impetu, incitatiore gradu, *per devia furens*, de incantatione jam cogitans, *tollitur*, abripitur, deproperat, Medea.

55. *Hæret comes* Jason. Majorem vim habet τὸ *hæret*, quam simplex *est*: inest notio alicujus timoris.

57. *Vibrantes*, intransitive (vide ad VII, 617), *sæva luce tenebræ*, terribilis e noctis umbris oriens splendor.

61. *Fulgura vibrat*, h. l. active, torquet, *cristis*, hunc splendorem emittit corona, massa carnea, quæ multorum serpentium verticem tegit; conf. Apollon. IV, 139, qui terribilem draconis aspectum magis exornat.

62. *Me solam*, quamvis ambo adsimus, *contra*, coram, ex adverso, *videt.* Arte magica Medea effecerat, ne Jasonem conspiceret draco. Aliter Wagnerus, qui sic explicat: «*Me pavens contra solam videt*, semper sollicitus de vellere, præter me neminem accedere propius patitur». Ed. — *Ac vocat ultro*, cristarum ista erectione, et *blande* sibilante *poscit me pabula lingua.* — Sic Propertius, Eleg. IV, 8, 7: *Jejuni serpentis honos quum pabula poscit Annua.* Ed.

64. Dic age, *utrum hostem* te mecum accedentem *videnti exuvias auferre velis*, certamen cum eo inire, vellusque eripere ipse sustineas; *an lumina somno mergimus*, an ego ocu-

Exuvias auferre velis, an lumina somno
Mergimus, et domitum potius tibi tradimus anguem? »
Ille silet, tantus subiit ut virginis horror.
Jamque manus Colchis crinemque intenderat astris,
Carmina barbarico fundens pede, teque ciebat,
Somne pater: « Somne omnipotens, te Colchis ab omni
Orbe voco, inque unum jubeo nunc ire draconem.
Quæ freta sæpe tuo domui, quæ nubila cornu,
Fulminaque, et toto quidquid micat æthere; sed nunc,
Nunc, age, major ades, fratrique simillime Letho.
Te quoque, Phryxeæ pecudis fidissime custos,
Tempus ab hac oculos tandem deflectere cura.
Quem metuis me hic stante dolum? servabo parumper
Ipsa nemus; longum interea tu pone laborem ».

66. *Mergitur*. Vatic. cod. Junt. Ald. Engent. Carr. — 67. *Subiit tum*. Bonon. II. — 68. *Circumque*. Carr. II. Vitiose forsan. — 76. *Oculis*. Vatic. cod. — 77. *Me hic stante dolum*. Sié Pius. *Meis tande dolum*. Vatic. cod. *Me tandem solum*. Bonon. cod. *Me instante dolum*. Edd. ante Carr. *Me stante dolum*. Carr. Ed.

lis affundam soporem, ut mortuo similis jaceat.

67. Ille *silet*, tacendo consentit, ut Medea soporem immittere malit, quæ draconis iras tam terribiles modo descripserat, *tantus subiit* animum ejus, *ut*, non minor quam, *virginis* animum *horror*.

68-78. Carmine igitur in soporem dat draconem Medea. *Manus crinemque*, caput, *intenderat astris*, *carmina barbarico pede*, Scythica modulatione, *fundens*.

70. *Te ab omni orbe voco*, mitte jam totum terrarum orbem, *inque unum jubeo nunc ire draconem*, in hoc solo vim exseras tuam.

72. Medea ait se, *nubila, fulmina, sidera domuisse* somno, quod, quum in has res omnes somnus proprie non cadat (non nimis premendum), verum mitigasse, delenivisse, vicisse tempore nocturno se hæcce omnia profitetur.

74. *Nunc age*, *major*, potentior, *ades, fratrique simillime Letho*, ita ut draconi non tam soporem immittas, quam lethargum.

75. Jam ad ipsum draconem convertit orationem, vel potius cantum: Tempus est tandem *te deflectere oculos ab hac* velleris custodiendi *cura*. Nihil metuas velleri, ego ipsa tuas vices subibo. Nondum tamen draco *discedit fessus*, præ lassitudine, *ab Æolio auro* (*Phryxeum metallum*, V, 633; conf. et VII, 54), *nec quieti*, *quamvis juvet* (forsan *lubet*, quod Casp. Barthio jam in mentem venit), *ora dare*

Ille haud Æolio discedere fessus ab auro,
Nec dare permissæ (quamvis juvet) ora quieti
Sustinet; ac primi percussus nube soporis
Horruit, et dulces excussit ab arbore somnos.
Contra Tartareis Colchis spumare venenis,
Cunctaque Lethæi quassare silentia rami
Perstat, et adverso luctantia lumina cantu
Obruit, atque omnem linguaque manuque fatigat
Vim Stygiam, ardentes donec sopor occupat iras.
Jamque altæ cecidere jubæ, nutatque coactum
Jam caput, atque ingens extra sua vellera cervix,
Ceu refluens Padus, aut septem projectus in amnes
Nilus, et Hesperium veniens Alpheos in orbem.
Ipsa caput cari postquam Medea draconis
Vidit humi, fusis circum projecta lacertis,

80. *Quamvis jubet.* Vatic. Bonon. codd. et edd. ante Heins. Vide similem *b* et *v* permutationem supra, vs. 45. — 81. *At primi.* Maser. — 83. *Venenis* abest a Vat. cod. — 84. *Contraque.* Junt. Ald. ex versu præcedenti translatum. — 87. Post hunc versum deest folium integrum (38 vs.) in codice Vaticano usque ad versum 126. Ed.

sustinet; primi tantum *nube soporis percussus horret.* — Vide ad calcem hujus libri not. 81. Ed.

83. *Spumare Tartareis venenis* Medea dicitur, quod non ita intelligendum, ut, Pythiæ in tripode sedentis more, spumas ore prætulerit ipsa, sed active sumpsit *spumare* poeta, uti coruscare, II, 228, sensusque est: ad spumam usque miscuit venena. *Quassare*, versare, et draconi inspergere, *perstat.* — Vide sis ad calcem hujus libri octavi notam 84. Ed.

85. *Adverso cantu*, coram stans et canens, *luctantia lumina obruit*, opprimit; *omnem vim Stygiam*, magicam, *lingua manuque fatigat*, strenue versat medicamina, canens, *ardentes donec sopor occupat iras*, oculos iratos.

88. Jamque *altæ*, erectæ antea, *cecidere*, subsedere, languere cœperunt, *jubæ*, cristæ, *nutatque coactum*, victum sopore, *caput*, *atque ingens*, longa, lata, *cervix extra sua vellera* (est), a vellere sibi demandato humum versus porrecta.

90. Vide ad calcem hujus libri novi editoris not. 90, ac deinde not. 92. Ed.

93. *Fusis circum*, circumfusis, brachiis *projecta*, humi strata, amplexa est, *seque* ipsam, eo progressam, *suumque simul crudelis*, illudens, *flevit alumnum.*

Seque suumque simul flevit crudelis alumnum:
« Non ego te sera talem sub nocte videbam,
Sacra ferens, epulasque tibi; nec talis hianti
Mella dabam, ac nostris nutribam fida venenis.
Quam gravida nunc mole jaces! quam segnis inertem
Flatus habet! nec te saltem, miserande, peremi,
Heu sævum passure diem! jam nulla videbis
Vellera, nulla tua fulgentia dona sub umbra.
Cede deo, inque aliis senium nunc digere lucis
Immemor, oro, mei; nec me tua sibila toto
Exagitent infesta mari. Sed tu quoque cunctas,
Æsonide, dimitte moras, atque effuge, raptis
Velleribus: patrios exstinxi noxia tauros;

94. *Se sævumque simul.* Bonon. I et II. — 100. *Heu sævum passure diem.* Sic Ald. Carr. *Nec sævum passura diem.* Bonon. cod. Bonon. II. *Næ sævum passure diem.* Junt. Maser. Engent. — 102. *Cede adeo.* Bonon. cod. Bonon. I et II. Ed.

96. *Sacra ferens* Hecatæ, *epulasque*, pabula, *tibi hianti*, cupide arripienti. *Quam gravida*, gravi, *mole jaces? quam segnis flatus habet* te, quam lente spiritum ducis, antea tam vividum atque igneum!

99. Miseret me tui, mi bone; sed præclare tecum agi putes, quod vitæ saltem pepercerim. — Posset respondere draco, ut Antonio Tullius, Philipp. II, 3: *Quale beneficium est, quod te abstinueris nefario scelere!* Sed erravit omnino Wagnerus. Medea de luctu ac dolore cogitans quibus afficietur draco, ut primum evigilabit, nec amplius videbit custodiæ suæ commissum vellus, exclamat: *nec te saltem peremi*, ut acerbum effugeres dolorem qui te manet cras, *heu sævum passure diem!* Miror hunc sensum naturæ et affectibus tam bene accommodatum Wagnero in mentem non venisse, pro illa joculari frigidaque interpretatione, ac, ut vere dicam, pæne absurda. Ed.

100. *Heu sævum passure diem*, quam tristis tibi orietur aurora, *quum nulla tua sub umbra*, abs te obumbrata, *fulgentia dona*, donaria, ἀναθήματα, aureum vellus, *videbis.* — *Sub umbra* de ipsa arbore cum Burmanno intelligimus. Ed.

102. *Cede deo*, fatis ita constitutum credas, *inque aliis lucis senium nunc digere*, alium tibi lucum quære, ubi seniles annos ita transigas, ut a præsenti dolore animum diffundas, exhilares.

103. *Immemor mei*, ne sis μνησίκακος, ut per totum mare sibilis me prosequare tuis.

105. Tu vero, Jason, *cunctas dimitte*, rumpe, *moras.*

106. *Noxia*, impia in parentem, tauros ejus compescui; *terrigenas in*

Terrigenas in fata dedi; fusum ecce draconis
Corpus habes; jamque omne nefas, jam, spero, peregi ».
Quærenti tunc deinde viam, qua se arduus heros
Ferret ad aurigeræ caput arboris : « Eia, per ipsum
Scande age, et adverso gressus, ait, imprime dorso. »
Nec mora fit : dictis fidens Cretheia proles
Calcat, et, aeream quamvis, perfertur ad ornum,
Cujus adhuc rutilam servabant brachia pellem,
Nubibus accensis similem, aut quum, veste recincta,
Labitur ardenti Thaumantias obvia Phœbo.
Corripit optatum decus, extremumque laborem

107. *Infesta dedi*. Bonon. cod. Bonon. I et II. Junt. Maser. — 113. *Squamis perfertur*. Ald. Ed.

fata dedi, opera mea factum, ut se invicem ipsi cæderent; *fusum*, prostratum, *draconis corpus*, significantius quam draconem, molem enim exprimit, *habes; jamque omne nefas, spero, peregi*, tua gratia feci, quæ facere non debebam. — Hoc non apte Wagnerus explicat. Sensus est : spero nullum nefas superesse quod a me postules. Putat Medea se jam nunc satis facinorum admisisse; nihil sceleris ultra cogitat, quæ tamen versatur adhuc in rudimentis, si respicias futura. Ed.

110. *Per ipsum* draconem *scande*; consilium periculi plenum, cui tamen statim obtemperat Jason, *dictis fidens* Medeæ, quam post tot gravia perpetrata fallere se velle credere non poterat, et quantumvis *aeream*, epitheton perpetuum arborum procerarum, *perfertur ad ornum*. In arbore dissentiunt. Orpheus habet *fagum*; Apollonius, sibi non constans, modo *fagum*, modo *quercum*, nominat. Nostro *ornus* est etiam, VII, 535.

114. *Brachia* sunt ingentes rami : memini tamen legere, arbori isti tropæum quasi affixum fuisse, ex quo vellus penderet.

115. *Similem nubibus accensis*, solis radiis collustratis (Apollon. IV, 125 : νεφέλῃ ἐναλίγκιον, ἥ τ' ἀνιόντος Ἠελίου φλογερῇσιν ἐρεύθεται ἀκτίνεσσιν), aut arcui cælesti, quod poetice ita effertur : *Thaumantias*, Iris, *veste recincta*, ad promptitudinem celeritatemque, qua Jovis et Junonis jussa perficeret, exprimendam, *labitur* (solennis vox de diis in terram se conferentibus) *obvia*, ut e regione stet, adversum habeat, *Phœbum ardentem*, solis radios. — *Recincta*, discincta, explicata, non *altiincta*, ut videntur putare Wagnerus ac cæteri interpretes. En.

116. *Obvia Phœbo* idem valet quod *adverso sole* hoc Virgilii loco, Æn. IV, 701 : *Mille trahit varios adverso sole colores*. Ed.

117. *Corripit optatum decus*, celerrime apprehendit, quod tam diu appetiverat, tam longi itineris præ-

Æsonides; longosque sibi gestata per annos
Phryxeæ monumenta fugæ vix reddidit arbo
Cum gemitu, tristesque super coiere tenebræ.
Egressi relegunt campos, et fluminis ora
Summa petunt; micat omnis ager; villisque comantem
Sidereis totos pellem nunc fundit in artus,
Nunc in colla refert, nunc implicat ille sinistræ:
Talis ab Inachiis Nemeæ Tirynthius antris
Ibat, adhuc aptans humeris capitique leonem.
Ut vero sociis, qui tunc prædicta tenebant
Ostia, per longas apparuit aureus umbras,
Clamor ab Hæmonio surgit grege; se quoque gaudens
Promovet ad primas juveni ratis obvia ripas.
Præcipites agit ille gradus, utque aurea misit

131. *Atque aurea.* Vatic. Bonon. codd. et edd. ante Burm. Ed.

mium, *extremumque laborem*, quod finem imponeret laboribus. — Cf. Virg. Ecl. X,1, Extremum *hunc, Arethusa, mihi concede* laborem. Ed.

119. *Vix*, ægre. Ed.—Ipsa arbor per prosopopœiam haud ineleganter, ornamenti per longam annorum seriem possessi tenax sistitur, et resistens et gemens; frustra: nam *tristes super coiere tenebræ.*

121-133. Spoliis lætus, comite Medea, ad navem properat Jason. *Egressi* luco *relegunt campos*, eadem, qua venerant, via redeunt, et fluminis *ora summa*, ostia, *petunt. Micat* velleris splendore *omnis ager; villisque comantem* (*coma* de *ovium lana.* Confer Apuleium, Metam. VI, p. 402, et ibi intt.) *sidereis pellem*, densis, iisque rutilis, crinibus frequentem, fert Jason; sed, quod facimus, si gratæ atque inexspectatæ rei possessio contigerit, ut eam in omnes partes versemus, idem igitur facit Jason, *nunc totos fundit in artus*, expansam toti corpori prætendit, *nunc in colla refert*, humeris imponit, *nunc implicat*, involvit, *sinistræ.*

125. Non secus ac olim *Tirynthius*, Hercules, *ab Inachiis*, Peloponnesi, *antris ibat*, redibat, incedebat, *adhuc aptans humeris capitique leonem*, leonis ad Nemeam confecti exuvias.

127. Ut vero sociis, qui tunc *prædicta*, de quibus antea convenerat (conf. VII, 72, 188: *prædictus* lucus), *tenebant ostia, per longas*, eminus, *umbras* noctis *apparuit aureus*, aureo vellere onustus, jubilis excipitur.

129. *Ipsa ratis gaudens* (haud mirum, sensum tribuere poetam navi, quæ loqui adeo posset), *promovet se obvia.*

131. Jam vero festinans Jason de-

Terga prius, mox attonita cum virgine puppim
Insilit, ac rapta victor consistit in hasta.
Interea patrias sævus venit horror ad aures,
Fata domus luctumque ferens, fraudemque fugamque
Virginis. Hinc subitis inflexit frater in armis;
Urbs etiam mox tota coit; volat ipse senectæ
Immemor Æetes; complentur litora bello
Nequidquam: fugit immissis nam puppis habenis.
Mater adhuc ambas tendebat in æquora palmas,
Et soror, atque omnès aliæ matresque nurusque
Colchides, æqualesque tibi, Medea, puellæ.
Exstat sola parens, impletque ululatibus auras:
« Siste fugam, medio refer huc ex æquore puppim,
Nata, potes: quo, clamat, abis? hic turba tuorum

135. *Fraudemque fidemque*. Bonon. I et II. Junt. Maser. Ald. — 136-186. Hi versus transpositi erant in cod. Vat. et in cod. Bon. post vs. 385 (*At Minyæ*); sed nunc deest in cod. Vat. folium integrum quod continebat a vs. 366 ad vs. 385, et initium transpositionis a vs. 136 ad vs. 153. Desiderantur proinde hic 18 versus. — 136. *Insurgit frater*. Ald. — 140. *Mater Idyia*. Wagner. ex conj. quam nollem in textum invectam. Ed.

scribitur: *præcipites agit*, corripit, *gradus; utque aurea misit terga prius*, hæc enim in tuto ut collocaret, maxime ejus intererat, *mox virgine cum attonita*, non tam, quod navis nunquam antea visæ aspectu commoveretur, sed quod, patria exsul, futuri incerta esset, *puppim insilit*, (conf. II, 513), *ac rapta victor consistit in hasta*, statim arripit hastam, ut promptus paratusque esset ad pugnam, si quis adeo vellet spolium eripere.

134-174. Narrantur, quas vellus raptum et fuga Medeæ in aula dederint, turbæ. *Venit horror*, tristis nuntius, *ferens fata luctumque*, luctuosa fata, *fraudemque fugamque*, fugam fraudulentam.

137. *Volat ipse Æetes*, properat, *senectæ immemor*, nulla senilis infirmitatis habita ratione; *complentur litora bello*, viris armatis.

139. *Fugit puppis habenis*, quæ de navibus usurpantur etiam, V, 437, *immissis*, alias *admissis*, i. e. incitatis, VI, 303; ibid. 271, *adductis*; IV, 679, *permissis*.

140. Quæ sequitur matris satis longa oratio, plena est affectuum, miscetque preces et querelas, et tenerrimi significationes amoris. — *Exstat*, sola præ cæteris eminet, conspicua est.

145. *Nata, potes*, quæ magica polles arte. *Hæc tua tellus sceptraque*, hic, in patria reginam agere potes. *Quis locus tibi, barbara*, quæ Col-

Omnis, et iratus nondum pater; hæc tua tellus,
Sceptraque: quid terris solam te credis Achæis?
Quis locus Inachias inter tibi, barbara, natas?
Istane vota domus, exspectatique Hymenæi?
Hunc petii grandæva diem? Vellem unguibus uncis,
Ut volucris, possem prædonis in ipsius ora
Ire ratemque supra, claroque reposcere cantu,
Quam genui. Albano fuit hæc promissa tyranno,
Non tibi; nil tecum miseri pepigere parentes,
Æsonide; non hoc Pelias evadere furto
Te jubet, aut ullas Colchis abducere natas.
Vellus habe, et nostris si quid super, accipe, templis.
Sed quid ego quemquam immeritis incuso querelis?
Ipsa fugit, tantoque, nefas! ipsa ardet amore.
Hoc erat, infelix, redeunt nam singula menti,

149. *Vota domus.* Sic Bon. cod. Gron. Obs. IV, 12. *Nota domus.* Junt. et edd. usque ad Heins. Ed.

chis, non Græca es, *inter natas Inachias?* nonne te feminæ Græcæ contemnent?

149. *Istane vota domus exspectatique Hymenæi*, sic exples vota parentum, qui alii jamjam, Albano principi, despondimus? *Hunc petii grandæva diem*, vitam igitur mihi ætati provectæ longiorem contingere optavi, ut hunc talem diem viderem?— E natura expressum: id enim præcipue solent matres optare quibus est filia, ut ejus nuptiarum diem videre sibi contingat. Ed.

150. Jam iræ plena orationem dirigit ad Jasonem: Utinam, *ut volucris, in ipsius prædonis ora unguibus uncis ire possem, ratemque supra* (repetas *ire*), supra ratem volitare, *claroque reposcere cantu*, clangore, *quam genui*, filiam. Conf. VI, 293.

155. *Non hoc Pelias evadere furto te jubet*, per talem clandestinam rapinam noluit te expeditione tibi mandata defungi.

157. *Vellus habe*, cum indignatione concedentis verbum, *et nostris si quid super templis*, quidquid præterea donariorum adest, accipe, modo filiam reddas.

158. Nunc cum ipsa filia queritur: *Sed quid ego quemquam*, vel Jasonem, vel alium quemquam immerito *accusem? Ipsa*, sponte, nemine impellente, *ipsa tanto*, seu tam nefario, *ardet amore.*

160. *Redeunt jam singula menti*, bene memini, te subito aliam factam; jam vero perspicio causam, *quod, Ex quo Thessalici subierunt*

Ex quo Thessalici subierunt æquora remi,
Quod nullæ te, nata, dapes, non ulla juvabant
Tempora? non ullus tibi tum color, ægraque verba,
Errantesque genæ, atque alieno gaudia vultu
Semper erant? Cur tanta mihi non prodita pestis,
Ut gener Æsonides nostra consideret aula,
Nec talem paterere fugam? commune fuisset
Aut certe nunc omne nefas, iremus et ambæ
In quascumque vias; pariter petiisse juvaret
Thessaliam, et sævi, quæcumque est, hospitis urbem».
  Sic genitrix, similique implet soror omnia questu
Exululans; famulæ pariter clamore supremo
In vacuos dant verba Notos, dominamque reclamant
Nomine; te venti procul et tua fata ferebant.
  Inde diem noctemque volant: redeuntibus aura

161. *Subierunt nam singula.* Vatic. cod. ex vs. præcedenti. — 168. *Non omne.* Bonon. cod. Burm. conjecturam firmans. Ed.

æquora remi, campis nostris appropinquarunt, appulere navem, *nullæ te dapes*, lautiores cibi, epulæ, *non ulla juvabant tempora*, dies festi, geniales.

163. *Non ullus tum tibi color*, tota pallebas, *ægra verba*, vix verbulum elici poterat, *errantes genæ*, quibus color non constabat, mox pallidæ, mox rubore suffusæ (possis etiam *genas* accipere de *oculis*, quo sensu sæpe apud poetas est, v. c. Ovid. Heroid. XX, 206: *fixæ genæ*. Valerius ipse, VII, 258: *attolle genas*; sed illud præplacet), *atque alieno gaudia vultu*, gaudia quibus vultus non responderet.

165. *Cur tanta mihi non prodita pestis*, cur tam perniciosum amorem mihi non confessa es; effecisses profecto apud patrem, *ut gener Æsonides nostra consideret*, maneret, *aula*, *nec talem paterere fugam*, ad tam nefariam impiamque fugam animum intendere necesse habuisses.

167. Vid. ad calc. h. lib. n. 167. Ed.

172. *Famulæ clamore supremo*, ultimum vale conclamantes, *in vacuos dant verba Notos*; nota proverbialis locutio de dictis votisque inanibus. — Conf. V, 21: *Dicta dabant ventis*. Ed.

175-201. Argonautæ dum iter prosequuntur feliciter, Erginus gubernator alia, quam qua venissent, via patriam repetere suadet. *Inde diem* illum *noctemque* sequentem *volant;* nam *redeuntibus aura gratior*, venti magis secundi.

Gratior, et notæ Minyis transcurrere terræ,
Quum subito Erginus puppi sic fatur ab alta:
« Vos, ait, Æsonide, contenti vellere capto,
Nec via quæ superet, nec quæ fortuna, videtis.
Crastina namque dies trucis ad confinia ponti
Cyaneasque vocat, meminique, o Tiphy, tuorum
Saxa per illa, pater, memini, venerande, laborum.
Mutandum, o socii, nobis iter; altera ponti
Eluctanda via, et cursu, quem fabor, eundum est.
Haud procul hinc ingens Scythici ruit exitus Istri,
Fundere non uno tantum quem flumina cornu
Accipimus: septem exit aquis, septem ostia pandit.
Illius adversi nunc ora petamus et undam,
Quæ latus in lævum ponti cadit; inde sequemur

178. *Vellere rapto.* Bonon. cod. quod malebant Heins. et Burm. Ed.

176. *Notæ transcurrere terræ*, litora relegebant, quæ antea in conspectu habuerant, *quum subito Erginus*, qui pro Tiphye mortuo ad gubernaculum sedebat, V, 65, *puppi sic fatur ab alta.*

178. *Vos, ait, Æsonide* (sic faciunt Veteres, ut unum dignitate priorem compellent, plures autem simul includant, nec aliter Virgil. Æn. IX, 525: *Vos mihi*, Calliope, etc. Ipse Cicero de Orat. II, 47: *quamobrem vos hoc doceo, Sulpici*), *contenti*, læti, tantum *vellere capto*, alias securi, *nec via quæ*, quanta, *nec quæ fortuna*, quæ pericula, restent, *videtis.*

180. *Crastina dies vocat ad confinia trucis ponti, Cyaneasque*, cras perveniemus in viciniam Hellesponti, et Symplegadas illas, ad quas memini, quantum tibi, Tiphy, desudandum esset; *altera Ponti* Euxini *eluctanda*, non sine labore emetienda, *via* est.

185. *Haud procul hinc Istri Scythici* (non quod ibi oriatur, uti Veteres nonnulli falso credidere, sed quod in Scythia latiori sensu sumpta aquas in mare exonerat. Conf. Lucan. II, 50, et Oppian. Cyneg. II, 141) *exitus ingens*, magna moles aquarum, *ruit* magna cum vi atque rapiditate.

186. Hoc igitur flumen septem ostiis in mare procurrere narrat poeta, sequutus in eo Strabonem; nam in ostiorum numero non convenit priscis (vid. omnino Mannert. IV, 219 sq.); nec displicet copia orationis, quæ et ipsa totidem fere, quibus Danubius, alveis incedit: *exitus ruit... flumina fundit... septem exit aquis... septem ostia pandit... ora petamus.* — Videatur ad calcem hujus libri nota 188. Ed.

Ipsius amnis iter, donec nos flumine certo
Perferat, inque aliud reddat mare. Sint age tanti,
Æsonide, quæcumque moræ, quam sæva subire
Saxa iterum, quam Cyaneos perrumpere montes.
Sat mihi; non totis Argo redit ecce corymbis ».
Hæc ait, ignarus fixas jam numine rupes
Stare, neque adversis ultra concurrere saxis.
 Reddidit Æsonides: « Et te, fidissime rector,
Haud vani tetigere metus, nec me ire recuso
Longius, et cunctis redeuntem ostendere terris ».
Protinus inde alios flectunt regesque locosque,
Assuetumque petunt plaustris migrantibus æquor.
 Puppe procul summa vigilis post terga magistri
Hæserat auratæ genibus Medea Minervæ;
Atque ibi dejecta residens in lumina palla

191. *Proferat.* Vatic. Bonon. codd. — 194. *Stat mihi.* Bonon. et Burm. codd. Ed.

190. *Inde ipsius amnis iter*, alveum, *sequamur, donec nos certo*, navigabili et tuto, *flumine perferat*, *et reddat*, promoveat, *ad aliud mare.*

191. *Sint age tanti* (hoc cum gesticulatione quadam pronuntiandum) *quæcumque moræ*, equidem ne tantillum quidem curo navigationem diuturniorem.

194. *Sat mihi.* Locutio elliptica, quæ quomodo explenda commode sit, vix dicas. Magis placet, quod Heinsius jam olim conjecerat, et Burmannus codice suo videt confirmatum, *Stat mihi*, hæc est mea sententia, certus sum: nam *non totis Argo redit ecce corymbis*, vides, mi Jason, corymbos in primo per Cyaneas transitu, IV, 691, graviter læsos, vulneratos esse.

195. *Hæc ait, ignarus, fixas jam numine*, voluntate deorum, *rupes stare.* Vide supra IV, 710.

198. Ad quæ Jason: Non est inanis timor tuus, *nec recuso longius ire, et cunctis redeuntem me ostendere terris*, ut eo plures habeam rerum a me gestarum admiratores.

200. Protinus inde *alios* (ad) *reges locosque flectunt*, regna, urbes, promontoria transeunt, *assuetumque petunt plaustris migrantibus æquor*, Pontum ita gelu sæpe adstrictum ut accolæ gentes plaustris possint commeare. Conf. VI, 154.

202-223. Medea interea tristis sedet, nec blanditiis adeo Jasonis exhilarata, donec ad ostia Danubii perveniunt, ubi socios primum datam Medeæ conjugii fidem edocet.

Flebat adhuc, quamquam Hæmoniis cum regibus iret,
Sola tamen, nec conjugii secura futuri.
Illam Sarmatici miserantur litora ponti;
Illa Thoanteæ transit defleta Dianæ.
Nulla palus, nullus Scythiæ non mœret euntem
Amnis; Hyperboreas movit conspecta pruinas,
Tot modo regna tenens; ipsi quoque murmura ponunt
Jam Minyæ, jam ferre volunt. Vix allevat ora
Ad seras, si quando, dapes, quas carus Iason
Ipse dabat, jam nubiferam transire Carambin

207. Desunt hic duo folia in exemplari Bonon. II nobiscum communicato. — 208. *Defleta*. Ald. ex Pio. — 211. *Ipse quoque murmure ponunt*. Vatic. cod. *Ipse quoque murmure ponti*. Bonon. cod. *Ipsi quoque murmure ponti*. Bonon. I. Junt. *Aspri quoque murmure ponti*. Ald. Lege cum Pio *ipsi quoque murmura ponunt*. Vox *ponti* hic translata fuit ex vs. 207. — 213. *At seras*. Bonon. cod. Bonon. I. Junt. Ald. Ed.

Procul, sola, remota ab Argonautis ipsoque Jasone, *summa puppe*, in angulo extremo, *post terga vigilis* (epitheton ornans) *magistri*, gubernatoris, *hæserat* supplex *genibus Minervæ auratæ*, cujus effigies aurata in puppi ἐπίσημον stetit. VI, 301; Orpheus, 1221: Αἶτι (palla) καλυπτομένη, ἑανῷ δ' ἀμφέσχε παρειάς, quod Noster effert: *dejecta residens in lumina palla*, quæ eadem dicuntur de Thetide, I, 132.

205. *Quamquam Hæmoniis cum regibus*, ducibus egregiis *iret*, *sola tamen* sibi visa, *nec conjugii secura*, certa, *futuri*.

207. Quod poetæ solent, ut, quæ in regionibus sint, flumina, montes, litora, etc. pro ipsis regionibus, hosque pro incolis accolisve ponant, idem et Noster licere sibi putavit. Ubicumque prætervecta est Medea, ibi omnes eam miserantur, *Sarmatici litora ponti*, Sarmatæ.

210. *Hyperboreas movit pruinas*, audacia admodum poetica dictum pro hujus regionis incolis, *tot modo regna tenens*, et hoc nimium de filia regis, qui unius tantum regni dominus esset.

211. *Ipsi quoque Minyæ jam ponunt murmura*, quæ dederant antea, Idas in primis, VII, 574, *jam ferre eam volunt*, et comitem habere.

212. *Vix*, quasi non adessent, *allevat ora ad seras*, diu dilatas ad vesperam usque, *si quando*, namque omnem primo omnino cibum capere recusaverat, *dapes*, delicias, *quas carus Jason ipse dabat*, etsi ipse blandiens eas porrigebat, varioque sermone navigationis molestias aliasque curas levare studebat.

214. *Nunc nubiferam Carambim* (promontorium Paphlagoniæ; *nubifera surgens rupe*, IV, 599) *transire*, *nunc regna Lyci* (*Mariandynorum regis*, IV, 737, 748; V, 8) ei

Significans, jam regna Lyci; totiesque gementem
Fallit, ad Hæmonios hortatus surgere montes.
Insula Sarmaticæ Peuce stat nomine nymphæ,
Torvus ubi et ripa semper metuendus utraque
In freta per sævos Ister descendit Alanos.
Solvere in hoc tandem resides dux litore curas,
Ac primum socios ausus sua pacta docere,
Promissamque fidem thalami, fœdusque jugale.
Ultro omnes læti instigant meritamque fatentur.
Ipse autem invitæ jam Pallados erigit aras,
Incipit Idaliæ numen nec spernere divæ.
Præcipueque sui, si quando, in tempore pulcher
Conjugii Minyas numquam magis eminet inter:
Qualis sanguineo victor Gradivus ab Hebro

216. *Hortatur*. Bonon. cod. Junt. Maser. Ald. Engent. Carr. — 219. *Alumnos*. Vatic. Bonon. codd. Bonon. I et II. Junt. Ald. Engent. *Alanos*. Maser. — 224. *Ipsa*. Codd. et edd. usque ad Heins. *Ipsa nunc*. Bonon. cod. *Innaptæ*. Bonon. II. — 228. *Victor* abest a cod. Vatic. Ed.

significavit, in eo tamen fefellit *gementem*, tristem, ut *ad Hæmonios*, Thessaliæ, *montes* conspiciendos *surgere* vultumque attollere *hortaretur*. — Haud scio an puerilis ille dolus epicæ dignitati satis conveniat. Ed.

217. Ex his igitur Asiaticis Ponti Euxini litoribus jam navem dirigunt Europam versus Istrique ostia.

220. *Resides curas*, residuas post tam felicem e Colchide fugam, *solvere*, ac primum ausus est celata antea *sua pacta*, conjugii fidem Medeæ datam, *docere socios*, qui et læti audivere, *meritamque fatentur*.

224-242. Nec mora, parantur nuptiæ. *Ipse* Jason *Pallados erigit aras*, gratias quidem agit sacra Minervæ faciendo, cui tantum deberet, *invitæ* tamen, quæ innupta ipsa semperque virgo et aliarum nuptiis non favebat (Bononiensi editioni adscriptum fuit *innuptæ*, quod *invitæ* prætulerim), incipit *Idaliæ divæ*, Veneris, *non spernere*, colere, *numen*.

226. Sensus facilis, si recte in ordinem verba cogas: Si quando Jason inter cæteros Argonautas pulchritudine eminuit, præcipue tamen, nunquam magis, quam tempore eminuit conjugii sui.

228. Non secus ac *Gradivus*, Mars, *ab Hebro sanguineo*, ex præliis, e Thracia, ubi cultus inprimis domicilium habere credebatur, *victor*, *furto*, furtim, ignaro Vulcano, ad Venerem visit, mox *subit Idalium*, montem Cypri, mox *dilecta*, Marti,

Idalium furto subit, aut dilecta Cythera:
Seu quum cælestes Alcidæ invisere mensas
Jam vacat, et fessum Junonia sustinet Hebe.
Adsunt unanimes Venus, hortatorque Cupido
Suscitat affixam mœstis Æetida curis;
Ipsa suas illi croceo subtemine vestes
Induit, ipsa suam duplicem Cytherea coronam
Donat, et arsuras alia cum virgine gemmas.
Tum novus implevit vultus honor, ac sua flavis
Reddita cura comis, graditurque oblita malorum:
Sic ubi Mygdonios planctus sacer abluit Almo,
Lætaque jam Cybele, festæque per oppida tædæ;

quoniam ibi genio indulgebat, *Cythera*, insulam Cretæ vicinam, quæ loca Veneri fuisse sacra, vel tironibus notum est. — Vide ad calcem hujus libri not. 228. Ed.

230. Seu quum *Herculi* cælestibus epulis adesse jam concessum est, et *fessum* tot laboribus exantlatis *Junonia*, Junonis filia, Herculis conjux *Hebe sustinet*, fovet, amplexatur. Conf. I, 348.

232. *Adsunt* his Jasonis et Medeæ nuptiis *unanimes Venus, hortatorque Cupido suscitat*, erigit, bene sperare jubet, *affixam*, nimis intentam, *mœstis curis* Medeam. — Vide ad calcem huj. libri not. 232. Ed.

234. *Ipsa* Venus *suas illi croceo*, quem colorem in vestibus amabant (ipsi Jasoni Pindarus, Pyth. IV, κρόκεον εἷμα tribuit. Vid. omnino Spanhemium ad Callimachum, p. 132 sq. ubi nec Valerius neglectus), *subtemine* (conf. VI, 227) *vestes induit*.

237. *Tum novus implevit vultus* (vultum) *honor*, serenitas, hilaritas per totam faciem effulsit; *flavis reddita cura comis*, non passis, ut antea, capillis incessit, sed in nodum collectas compsit, *graditurque*, quæ mœsta sederat, v. 204, *oblita malorum*.

239. *Sic ubi Mygdonios*, Phrygios in honorem Cybeles, Idææ matris, institutos, *planctus sacer abluit Almo*, sexto enim die, cui nomen erat Lavationis, II kal. apriles, statuam deæ in parvo amne Almone lavabant. Conf. Ovid. Fast. IV, 337. Christoph. Saxius in actis lit. Rhen. vol. III, p. 74, ex Inscriptionibus etiam affert Sodales Balneatores Cybeleos. — *Lætaque jam Cybele*, an expiata? Megalesia primo lugubri, deinde festivo ritu celebrabantur: inde *læta* Cybele, et *festæ* dicuntur tædæ. Ed.

240. *Tædæque*, homines tædis instructi, *festæ*, *per oppida*, non Romæ solum, sed per omnes circumjacentes urbes, vagabantur stipem emendicantes (Μητραγύρται). Vid. inprimis Lucianum de dea Syria.

Quis modo tam sævos adytis fluxisse cruores
Cogitet? aut ipsi qui jam meminere ministri?
Inde, ubi sacrificas cum conjuge venit ad aras
Æsonides, unaque adeunt pariterque precari
Incipiunt, ignem Pollux undamque jugalem
Prætulit, ut dextrum pariter vertantur in orbem.
Sed neque se pingues tum candida flamma per auras
Explicuit; nec thura videt concordia Mopsus,
Promissam nec stare fidem; breve tempus amorum.
Odit utrumque simul, simul et miseratur utrumque,
Et tibi jam nullos optavit, barbara, natos.
Mox epulas et sacra parant; silvestria lætis

241. *Tam sævos.* Sic Bonon. cod. Bonon. II. *Jam sævos.* Vatic. cod. et edd. usque ad Burm. — 246. *Et... vertuntur.* Vat. cod. — 251. *Tum nullos.* Vat. cod. — 252. *Lætis.* Sic Vatic. cod. Bonon. II. *Læti.* Bonon. cod. et edd. usque ad Burm. Ed.

241. *Quis modo*, paullo ante, *tam sævos adytis*, templis, *fluxisse cruores cogitet? aut ipsi qui jam meminere ministri*, Galli? Τὸ *qui* male habuit interpretes, ideoque mutarunt in *quid*, vel *haud ipsi quin*, vel exposuerunt per *quomodo*; sed nil mutandum, si invertas, *qui ipsi*, num quis est inter ipsos sacerdotes, qui, quos modo perpessus est, dolores non oblitus sit? — Idem igitur fecit Medea, *graditur oblita malorum*.

243-258. Ipsæ nuptiæ celebrantur, epulæ saltem nuptiales. Varios hac data occasione ritus in nuptiis servatos commemorat poeta.—Vide ad calcem hujus libri not. 243. Ed.

247. *Neque se tum candida*, pura, clara, læta, *flamma* (conf. I, 232) *per auras pingues*, crassiores, pinguiori materia quasi gravidas, *explicuit.* Sic *pingues flammæ* apud Ovidium, Trist. V, 5, 11: *pinguis fumus* apud Lucanum, VIII, 730.

248. *Nec thura videt concordia*, non una nubecula surgebant, sed grana in diversas partes saliebant, *promissam nec stare fidem*, non servari, *breve tempus amorum*, haud diu duraturum.

250. *Odit utrumque* Mopsus, Jasonem, quod tam egregie de se meritam repudiaturum; Medeam, quod hoc repudium tam graviter ulturam prævideret, *simul et miseratur utrumque*, quos utrosque meliori fato dignos haberet.

251. *Et tibi jam nullos optavit, barbara, natos*, quos ab ipsa matre interfectum iri auguratus est.

252. *Mox epulas et sacra*, epulas sacrificales, residuas ex hostiis carnes, *parant; silvestria præmia*, præda venatica, eaque *facili venatu quæsita supersunt*, abundant: *pars veru-*

Præmia, venatu facili quæsita, supersunt:
Pars verubus; pars undanti despumat aheno.
Gramineis ast inde toris discumbitur, olim
Ister anhelantem Peucen quo presserat antro.
Ipsi inter medios rosea radiante juventa
Altius, inque sui sternuntur velleris auro.
  Quis novus inceptos timor impediit hymenæos,
Turbavitque toros, et sacra calentia rupit?
Absyrtus subita præceps cum classe parentis
Advehitur, profugis infestam lampada Graiis
Concutiens, diramque premens clamore sororem:
Atque, « Hanc, o si quis vobis dolor iraque, Colchi,

259. *Impendit*. Vatic. cod. *Impedit*. Bonon. cod. — 262. *Advenitur*. In Burm. edit. error operarum est qui remansit in cl. Harles. edit. Ed.

bus (*figunt*, Virgil. Æneid. I, 212) assant; *pars undanti despumat aheno*, elixant, coquunt.

255. *Gramineis*, e cespite viridi, *toris discumbitur* (in) *antro*, *quo olim Ister anhelantem Peucen presserat*, possis exponere oppresserat, vel adeo compresserat; modestius tamen: persequutus erat, quo ducit *anhelans* nympha.

257. *Ipsi*, sponsus et sponsa, *sternuntur inter medios*, accumbunt convivis cincti, *rosea* (conf. supra v. 30) *radiante juventa altius*, sublimiore lecto, *inque sui velleris auro*. Respexit forsan Valerius ritum, quo nova nupta in pelle lanata consideret; vide Festum voce *lana*. Apollonius Rhod. IV, 1141: ἔνθα τότ' ἐστόρεσαν λέκτρον μέγα· τοῖο δ' ὕπερθε Χρύσεον αἰγλῆεν κῶας βάλον.

259. Sed isthæc gaudia interpellantur repentino Absyrti adventu. Vividiorem facit Poeta orationem, interrogando: *Quis novus timor*, quæ fortuna adversa, *inceptos impediit hymenæos*, fecit, ut zona solvi non posset, *turbavitque toros*, accumbentes subito excitavit, *et sacra calentia*, epulas sacrificales, quæ quum maxime ferverent, *rupit*. Conf. II, 331; — et Virgil. Æn. VIII, 110: *audax quos rumpere Pallas Sacra vetat*. Ed.

261. *Classe*, multitudine navicularum (*canots*), nil amplius; *rates* infra, 284; *biremes* quidem, 427: sed quæ non duos ordines remigum, sed duos remos haberent... *advehitur Absyrtus infestam*, tristem, *lampada quatiens Graiis*, qui paullo ante lætam, nuptialem facem vibraverant, *diramque*, sceleratam, *premens clamore*, magna cum vociferatione invectus, *sororem*, sed nunc eminus tantum, et ad socios directa oratione: nam, v. 291, demum propius accedit.

Accelerate viam, neque enim fugit æquore raptor
Jupiter, aut falsi sequimur vestigia tauri:
Puppe (nefas) una prædo Phryxea reportat
Vellera; qua libuit, remeat cum virgine; nobis,
O pudor! et muros et stantia tecta reliquit.
Quid mihi deinde satis? nec quæro vellera, nec te
Accipio, germana, datam; nec fœderis ulla
Spes erit, aut iræ quisquam modus. Inde reverti
Patris ad ora mei tam parvo in tempore fas sit?
Quinquaginta animæ me scilicet, unaque mersa
Sufficiet placare ratis? te, Græcia fallax,
Persequor, atque tuis hunc quasso mœnibus ignem;

265. *Accelerate fugam*. Burm. Cod. Bon. II.—273. *Non parvo in tempore*. Aldinus corrector. Ed.

265. Non Jupiter aliquis est, quem persequimur, quique taurum, ut ille, simulare possit ad nos fallendos, immo vero (auget verbis poeta et temeritatem et scelus Jasonis) nequam *prædo*, et *una* quidem navi, et tanti rem pretii, *Phryxea vellera*, et *qua libuit*, quoniam ita placuit (*mir nichts, dir nichts*), *remeat cum virgine*, secum eam absportat in delicias suas.

268. *Nobis et muros et stantia tecta reliquit*, gratias vero debemus magnas, et præclare nobiscum actum esse fateamur, quod non et urbem domosque nostras diruerit.

270. *Quid mihi deinde satis?* quas mihi satis dignas dabit pœnas? *nec quæro*, nil curo, *vellera, nec te accipio, germana*, etiamsi reddere velit, *nec fœderis ulla spes erit, nec iræ quisquam modus*. Admodum verbosus est, et variat orationem Absyrtus, quod solemus vehementi ira commoti. Idem fere ei accidit, quod sorori Medeæ, VII, 433: *nec quibus incipiat, videt, ordine nec quo, Quove tenus, prima cupiens effundere voce Omnia*.

273. Jam vero, quam gravem sumpturus sit vindictam non de Jasone solum, sed tota Græcia, Thrasonica jactantia pronuntiat: *Reverti patris in ora mei tam parvo in* (abesse poterat salvo versu hæc præpositio; sed sic sæpe poetæ eam vel adducunt, ubi nil opus, vel omittunt, ubi melius adesset) *tempore fas est?* quid? paucorum dierum spatio res a me gerendas circumscribam?

274. *Quinquaginta animæ* viles, *me scilicet*, me, me, inquam, qui ad majora natum factumque me sentio, *unaque mersa ratis sufficiet placare?* — *Sufficiat*, Heinsio magis placuisset. Ed.

275. *Te, Græcia fallax*, quo encomio per anachronismum ornat poeta Græciam, quæ serius demum male ob malam fidem audire cœpit, *persequor, atque tuis hunc quasso mœnibus*, urbibus, tectis, *ignem*.

Nec tibi digna, soror, desum ad connubia frater.
Primus et ecce fero quatioque hanc lampada vestro
Conjugio; primus celebro dotalia sacra,
Qui potui; patriæ veniam da, quæso, senectæ.
Quin omnes alii pariter populique Patresque
Mecum adsunt: magni virgo ne regia Solis
Hæmonii thalamos adeas despecta mariti,
Tot decuit coïsse rates, tot fulgere tædas ».
Dixerat, itque orans iterum ventosque virosque,
Perque ratis supplex vox remigis illa magistros.
Illi autem intorquent truncis frondentibus undam;

277. *Pater*. Vatic. Bonon. codd. — 281. *Alto pariter*. Balbus, Heins. *Alii*. Bentl. ad Horat. III, od. 6, quod recepit Wagner. — 284. *Coire*. Vatic. cod. Junt. Ald. — 285. *Atque orans*. Vatic. Bonon. codd. Bonon. I et II. Maser. — 286. *Perque raris supplex et remigis vexilla magistris*. Vatic. cod. *Ac remigis vexilla magistris*. Bonon. cod. Ed.

277. Procedit orator ad acerbam ironiam: *Nec tibi digna, soror, desum ad connubia frater*, en, quod fratris est tui amantissimi, en adsum ad dignas cum tam digno conjuge nuptias.

278. *Primus*, nec hunc honorem ab alio mihi præripi patiar, primus *ecce fero*, ut paranymphus, v. 245, *quatioque hanc lampada*, facem nuptialem.

279. *Primus celebro dotalia sacra;* sic dici quidem possint, quoniam de dote convenit inter sponsum sponsamque coram auspice, de quo tamen poetam non cogitasse crediderim, sed de tota nuptiarum solemnitate: properavi, ut primus essem, qui nuptiarum officium obiret.

280. *Qui potui*, mihi ipse gratulor, et in sinu gaudeo, quod potuerim adesse. Afforet ipse pater unicæ filiæ nuptiis, si per ætatem licuisset, *patriæ veniam da, quæso, senectæ*. At vero locum ejus tuentur *alii* (sic in textum recepi suadente Bentleio ad Horat. Od. III, 6, 20, pro *alti*, quod caret sensu), *pariter populique Patresque*, senatus populusque, uti supra, I, 761, tota Colchis, *mecum adsunt*.

285. *Dixerat, itque orans iterum ventosque virosque*, utrorumque denuo auxilium implorat.

287. *Illi autem intorquent undam* (Virgil. Æn. III, 208: *nautæ Adnixi torquent spumas, et cærula verrunt*) *truncis frondentibus*, ramis, quibus folia nondum erant destricta. *Quæque fuerat raptim*, tumultuaria opera, *formata die sub* (durante) *uno, et tantum*, nil nisi, *arbor*, nondum excavata ad navigii usum, *dejecta* (sic *delatum nemus*, I, 121) *montibus suis*, quos proprie natura iis assignavit, non undas, *haud lon-*

Quæque die fuerat raptim formata sub uno,
Et tantum dejecta suis a montibus arbor,
(Quid dolor et veterum potuit non ira virorum?)
Haud longis jam distat aquis, sequiturque volantem
Barbara Palladiam puppim ratis, ostia donec
Danubii viridemque vident ante ostia Peucen,
Ultimaque agnoscunt Argoi cornua mali.
Tum vero clamorem omnes inimicaque tollunt
Gaudia; tum gravior remis fragor, ut procul Argo
Visa viris, unamque petunt rostra omnia puppim.
Princeps navalem nodosi roboris uncum
Arripit, et longa Stirus prospectat ab unda,
Conjugio atque iterum sponsæ flammatus amore.
Jamque alii clypeos et tela trabalia dextris
Expediunt; armant alii picis unguine flammas.

gis jam distat aquis (*haud* jungas τῷ *distat*), parvo temporis intervallo inde a Colchide haud procul abest ab Danubii ostiis.

290. *Quid dolor et veterum potuit non ira virorum?* Totus versiculus glossam sapit.

292. *Palladiam puppim*, ab ipsa Minerva exstructam ejusque tutela firmatam, persequitur Absyrtus; videt *viridem*, lætam, insulam *Peucen, et ultima cornua mali*, nil nisi antennas conspicit. — *Ratis* hoc loco non temere, ut passim, pro *navis* dicitur; sed *barbara ratis*, id est, navigium trabibus connexis temere factum et inconditum, opponitur *Palladiæ puppi*, grandiori scil. navigio affabre fabricato. Ed.

295. *Tum vero clamorem et gaudia*, lætum clamorem tollunt, sed *inimica gaudia*, quod jam in eo erant, ut iram explerent: *tum gravior remis fragor* auditur, *ut procul Argo* nunc tota *visa viris, unamque petunt rostra omnia puppim*. Incipimus timere *uni* navi, quam *omnes*, tam multæ adoriuntur.

298. *Princeps*, primus, Stirus non Absyrtus *navalem uncum nodosi roboris* (quum, quæ posteris temporibus ad hostilem navem attrahendam in bellis navalibus adhiberentur, manus ferreæ, harpagones, Argonautarum ætati non convenirent, haud inepte contum roboreum, non arte, sed ab ipsa natura in uncum effictum poeta dixit) *arripit, et longa ab unda*, eminus adhuc, jam *prospectat Stirus*, an forte Medeam suam videndi copia detur, *conjugio atque iterum sponsæ flammatus amore*. Ed.

301. *Tela trabalia*, hastas crassitie et longitudine trabibus æquales (conf. Virgil. Æn. XII, 294), *expediunt; armant*, oblinunt, *alii picis unguine*, pice liquefacta, *flammas*, faces. Sic *ferrum armare veneno*,

Impatiens tremit hasta moræ, nec longius inter,
Quam quod tela vetet, superest mare: vocibus urgent
Interea, et pedibus pulsant tabulata frementes.
  Quum subitas videre rates, vibrataque flammis
Æquora, non una Minyæ formidine surgunt;
Primus et in puppim, deserta virgine, ductor
Prosilit, et summa galeam rapit altus ab hasta;
Ense simul clypeoque micat; nec cætera pubes
Segnius arreptis in litore constitit armis.
  At tibi, quæ scelerum facies, Medea, tuorum?
Quisve pudor Colchos iterum fratremque videnti,
Quidquid et abscisum vasto jam tuta profundo
Credideras? Ergo infausto sese occulit antro,
Non aliud quam certa mori, seu carus Iason,
Seu frater Graia victus cecidisset ab hasta.

303. *Mora*. Junt. Ald. Ed.

Virgil. Æn. IX, 773 ; *tela flammata veneno*, ipse Noster, I, 108.

303. *Impatiens moræ tremit hasta* (prosopopœia haud inelegans), *nec longius inter, quam quod tela vetet, superest mare.* Sensus facilis : mare inter utrasque naves interjectum brevius factum, ita tamen, ut nondum tela invicem conjici possent. Sed τὸ *inter* ob sequens *superest* quum redundare videatur, Heinsius ejus loco ponere maluit *inde;* nihil tamen novandum, nam et alibi Valerius sic de intervallis usurpat, infra, 382 ; V, 337 ; VI, 220.

305. *Tabulata* in naviculis non nimis urgenda.

306-311. Quid ad hæc Argonautæ? *Quum subitas videre rates, vibrataque*, micantia, *flammis æquora, non una formidine surgunt*, omnes quidem timent, non eodem tamen omnes metu, non iisdem causis ducti.

308. *Primus deserta* in antro *virgine* (vide quam suavi delectu poeta celeritatem Jasonis in agendo exprimat), *prosilit*, galeam *rapit*, *simul* ense clypeoque *micat; nec segnius cætera pubes* in litore *constitit.*

312. Interea quid Medea? *Tibi quæ, Medea, facies scelerum*, quæ tibi nunc mens est? quæ, quos eventus facinora tua habeant, videas? Quantum te pudeat Colchos conspicientem et fratrem *et quidquid jam tuta*, secura, *vasto profundo*, longo mari, *abscisum*, disjunctum, *credideras.*

315. *Ergo infausto*, tristi, *sese occulit antro, non aliud quam certa mori;* nota breviloquentiam, pro : nihil agens, quam ut firmiter apud animum constitueret mori.

Haud ita sed summo segnis sedet æthere Juno;
Haud sinit extrema Minyas decernere pugna,
Nec numero quoniam Colchis, nec puppibus, æquos.
Ergo ubi diva rates hostemque accedere cernit,
Ipsa subit terras, tempestatumque refringit
Ventorumque domos: volucrum gens turbida fratrum
Erumpit: classem dextra Saturnia monstrat.
Videre, inque unum pariter mare protinus omnes
Infesto clamore ruunt, inimicaque Colchis
Æquora, et adversos satuunt a litore fluctus.
  Tollitur, atque intra Minyas Argoaque vela
Stirus abit; vasto rursus desidit hiatu

318. *Sed æthere.* Vatic. cod. pro *sedet æthere*, primæ vocis fine a sequenti absorpto. *Sed ab æthere.* Bonon. cod. *Sed somno segnis.* Engent. — 319. *Aut sinit.* Vatic. cod. Ald. Engent. — 320. *Nec numero cernens Colchis.* Aldinus corrector. — 325. *Inque unum.* Vatic. cod. et reposnit Wagner. *Verrentes imum.* Ald. — 327. *Æquora nec versos.* Bon. cod. — 329. *Desidet.* Vat. cod. *Desedit.* Maser. Engent. Carr. *Descendit.* Ald. Ed.

318-320. *Haud ita sed segnis summo sedet æthere Juno.* Mire turbant in hoc loco interpretes, in quo tamen ne literula quidem mutanda venit, si cum antecedentibus jungas, et verba ita ordines: *Sed haud ita segnis*, otiosa, ut Medea, quæ soli dolori indulgeret, *sedet* Juno.

319. *Haud sinit extrema*, ancipiti, maxime periculosa, *Minyas decernere pugna.*

321-327. En ergo deam ex machina Junonem. *Ipsa*, Æolo neglecto, erat enim periculum in mora (sic ipso Jove invito fulmina torsit, I, 116), *ipsa subit* (alias *labitur*) *terras, tempestatumque refringit ventorumque domos* (*nimbi ventique domos*, I, 584; quem locum omnino conferas velim): *volucrum gens* (alias, *populus*) *turbida fratrum erumpit, inque unum* (sic reposui pro *imum*, jubente Burmanno, qui recte monet, τὸ *omnes* exigere *unum*) *pariter mare protinus omnes infesto clamore*, sonitu, flatu, *ruunt*, *inimicaque Colchis æquora*, et altum mare, *et adversos statuunt*, excitant, *a litore fluctus* (*Brandung*). — Vide, quæse, quam rapide omnia agantur: Juno *refringit* claustra; venti *erumpunt; monstrat* classem Saturnia... *videre*... *protinus* et *omnes* et *pariter* et *in unum mare*, unam cæli plagam, *ruunt*... fluctus et iu *alto mari* et *ad litora erigunt.*

328-368. Nihil motus hac, quam vividis coloribus poeta pingit, tempestate Stirus, ad recuperaudam sponsam omnes intendit nervos; tandem fluctibus mergitur. *Tollitur, atque intra Minyas Argoaque vela*

Abrupta revolutus aqua; jamque omnis in astra
Itque reditque ratis, lapsoque reciproca fluctu
Descendit: vorat hos vortex, hos agmine toto
Gurges agit, simul in vultus micat undique terror;
Crebra ruina poli cælestia limina laxat.
Non tamen ardentis Stiri violentia cedit;
Hortatur socios media inter prælia Divum:
« Transferet ergo meas, in quæ volet, oppida dotes
Colchis! et Hæmonius nobis succedet adulter!
Nec mihi tot magnos inter regesque procosque
Profuerit prona haud dubii sententia patris!

332. *Varat hos vertex.* Vatic. et Bonon. codd. Bonon. I. *Trahit hos vertex.* Junt. Maser. *Trahit hos vortex.* Ald. Lege *vorat hos vortex* cum Bonon. II, et sic Harles. (quamvis vitiose *vocat* expressum fuerit) Bipont. Wagner. — 334. *Lumina.* Vatic. Bonon. codd. et edd. ante Burm. — 337. *Transferet.* Codd. et edd. ante Burm. nec aliter legendum, quamvis *transferat* in posterr. edd. hæserit. Ed.

abit, contingit, ut prope accedat; sed mox discedentibus utrimque fluctibus, in immensam ante se apertam voraginem dejectus, agitur retro; *jamque omnis in astra* (solemnis poetis hyperbole) *itque reditque* aliquoties *ratis*, *lapsoque*, desidente, *fluctu reciproca*, rursus, *descendit.*

332. *Vorat* (graviter dictum), avide abripit, *hos vortex*, *hos agmine* aquarum, fluctuum, *toto gurges*, æquor, per superficiem *agit*, rapit.

334. *Crebra ruina poli* (sic *cæli ruina*, Virgil. Æn. I, 129), tonitruum fragor et fulmina, *cælestia limina laxat,* aperiunt cælum; ita dehiscunt nubes, ut ipse Olympus conspici videatur. Similem, quamquam contrarium, hyperbolen habet Ovidius, Metam. II, 260, ubi de temeraria Phaethontis aurigatione sermo est: *Dissilit omne solum, penetratque in Tartara rimis Lumen, et infernum terret cum conjuge regem.*

335. *Ardentis* et ira et amore... *Divum*, ventorum.

337. Quæ sequuntur, multa habent præclara, et juveni accommodata amanti, jactabundo, irato; in eo tamen peccasse videtur poeta, quod in ipsa tempestate ita verbosum inducat Stirum, ut prope viginti versiculis animi sensa expromat. *Transferet ergo Colchis*, Medea, *meas dotes* (proci enim heroica ætate donis primum sibi ad virgines et parentes aditum faciebant. Vir cl. *Lenz, Gesch. der Weiber im heroischen Zeitalter, s.* 163), et se ipsam, et data olim dona avehat, quocumque libeat! *et Hæmonius* (contemptim, uti supra, v. 283) *nobis succedet adulter*, raptor alienæ conjugis!

339. *Nec mihi profuerit, inter tot*, eosque *magnos regesque procosque*, procos regios, *prona haud dubii sententia patris*, qui, ut primum petii, statim eam addixit, desponsavit!

An virtus prælata viri est, et fortior ille,
Quem sequitur? jungam igniferos sine carmine tauros,
Sævaque Echionii ferro sata persequar hydri.
Hoc adeo interea spectans de litore pugnas
Amborum, victoris eris; jam digna videbis
Prælia, jamque illud carum caput ire cruenta
Sub freta; semiviri nec murrha corpus Achivi,
Sed pice, sed flammis et olentes sulfure crines.
Vos modo vel solum hoc fluctus expellite corpus,
Non te, Æeta pater, generi, aut, Sol magne, pudebit.
Fallor? an hos nobis magico nunc carmine ventos
Ipsa movet, diraque levat maria ardua lingua?
Atque iterum Æsonides, iterum defenditur arte,
Qua solet? haud illi cantus et futile murmur

344. *Specta.* Vatic. et Bonon. codd. — 347. *Achivis.* Junt. Engent. — 348. *Sed olentes* leg. puto. Prima in *sed* omissa fuit litera, ob similem in fine vocis præcedentis literam. — 350. *Et sol.* Bonon. et Burm. codd. Ed.

341. Fortasse tamen virtutem spectarit Medea? At, quæ ille magicis præstigiis perpetravit, hæc ego *sine carmine* efficiam, jungam tauros, et bellatores e Cadmeis dentibus ortos persequar.

344. Nec temere hoc dictum putes, Medea: ipsa spectatrix ab hoc litore sis certaminis singularis, ad quod adulterum provoco; *victoris eris*, certissime ergo mea; *jam digna videbis prælia*, nam quæ antea vidisti, hoc nomine indigna, ... *freta cruenta*, sanguine ejus infecta.

347. *Semiviri corpus Achivi*, acerbe et contumeliose dictum, ut Græci cum Scythis comparati molles et effeminati habendi sint; cf. Virgil. Æn. IV, 215; IX, 617; XII, 99; item Nostrum, supra, VI, 694. *Nec murrha* (quam non nisi in ditiorum cadaveribus adhibebant), *sed pice*, *sed flammis et sulfure*, facibus pice et sulfure oblitis, *olentes crines*. At *olere* crebrius quarto casui jungitur; sic *redolere*, IV, 15.

349. *Vos modo, o fluctus, hoc solum corpus*, me solum, sine sociis adeo, *expellite*, ad litus ejicite, et solus edam facinora, quæ me dignum Medea conjugem, dignum Æeta generum, dignum Sole magno progenerum ostendant.

351. Sed fortasse hujus meæ calamitatis fundus est ipsa Medea, *ipsa nunc magico carmine* excitat *ventos*, *levatque maria ardua*, ut ardua sint, in altos fluctus erigantur.

354. *Sed haud illi futile*, inutile, contemnendum, ridiculum, *murmur proderit. Ite, rates*; nunc, nunc insurgite remis, socii, *et frangite*,

Proderit : ite, rates, et frangite virginis undam ».
Dixit, et intortis socio cum milite remis
Prosilit; ac fluctu puppis labefacta reverso
Solvitur, effunditque viros, ipsumque minantem
Tunc quoque, et elata quærentem litora dextra.
Ibat et arma ferens et strictum naufragus ensem;
Incipit et remos et quærere transtra solutæ
Sparsa ratis, mœstas altis intendere voces
Puppibus; ast inter tantos succurrere fluctus
Nulla potest, aut ulla velit; quotiesque propinquat,
Tunc aliud rursus dirimit mare. Jam tamen exstat,
Jamque abiit, fundoque iterum violentus ab imo
Erigitur; sed fluctus adest, magnoque sub altis
Turbine figit aquis, et tandem virgine cessit.
Absyrtus visu mœret defixus acerbo,
Nec quid agat, qua vi portus et prima capessat
Ostia, qua possit Minyas invadere clausos,

357. *At fluctu.* Vatic. cod. nec aliter legendum. — 364. *Ille velit.* Vatic. Bonon. codd. Bonon. I, vere juxta Heins. et Burm. *Aut illa.* Junt. Maser. Ald. — 365. *Exstat.* Sic Ald. *Errat.* Vatic. Bonon. codd. et edd. usque ad Heins. — 366. *Revolutus ab imo.* Ald. — 368. *Figit equis.* Junt. Ald. Engent. Ed.

disjicite, *virginis*, a virgine commotam, *undam*.

356. *Intortis* extemplo summa vi *remis*, socio cum milite *prosilit*, appropinquat litori; sed fluctus decumanus in litore fractus redit, *labefactat* navim, *solvit*, *effunditque viros*, ipsumque Stirum, qui neque nunc desinit minari, dextraque elata in litus evadere contendit.

360. *Ibat*, nabat per æquor, *stricto ense;* remos vel fragmenta navium circumspicit; *mœstas altis* (melius *aliis*, uti, v. 281 : nam naviculæ ejus erant planæ) *intendit voces* repetitas *puppibus*, quarum tamen nulla, præ fluctuum vehementia, succurrere *potest*, *vel velit* audere, *quotiesque propinquat*, *tunc aliud rursus diremit mare*, fluctus tam immanis, ut parvi maris instar esset.

365. Jam modo *exstat* capite erecto, modo *abiit*, evanuit undis obrutus, semel tamen adhuc *violentus*, nervis omnibus intentis, *ab imo erigitur*, emergit; *sed fluctus adest*, *sub altis figit aquis*, magna vi limoso maris profundo illidit, *et tandem virgine cessit*, cedendum fuit.

369-384. Absyrtus mœstus vi ni-

Quos videt agnoscitque fremens; maria obvia contra
Sævaque pugnat hiems, totusque in vertice pontus.
Abscessit tandem, vanaque recedit ab ira,
Et tanta de clade ratis; latus inde sinistrum
Adversamque procul Peuces defertur in oram
Cum sociis; gemino nam scinditur insula flexu
Danubii: hac dudum Minyæ Pagaseaque puppis
In statione manent; illinc Æetius heros
Obsidet adversa tentoria Thessala classe
Impatiens, pugnæque datur non ulla potestas.
Noctes atque dies vastis mare fluctibus inter
Perfurit, expediant donec Junonia sese
Consilia, atque aliquem bello ferat anxia finem.
At Minyæ tanti reputantes ultima belli
Urgent, et precibus cuncti fremituque fatigant

372. *Fremens.* Sic olim Sabell. *Tremens.* Edd. usque ad Heins. — 374. *Ascendit.* Bonon. cod. *Abscedit.* Pius. — 377. *Cum sociis.* Sic Bonon. II. *Quum socii.* Aliæ edd. et Bonon. cod. ad *Minyæ* referentes. Ed.

hil profecturum videns, obsidione cingere Danubii ostia statuit.

372. *Videt agnoscitque*, tam prope videt, ut dignoscere omnes et capita numerare posset; *contra pugnant obvia* a litore adverso *maria*, marini fluctus, sævaque hiems, *totusque in vertice*, supra caput accumulatus, *pontus*.

374. *Abscessit tandem*, *vanaque*, nihil profutura, *recedit ab ira*, *et tanta de clade ratis*. —Vide ad calc. hujus libri not. 374. Ed.

375. Naves constituit ad alteram insulæ partem; *gemino nam scinditur* a terra continente separata *insula* Peuce *flexu Danubii*.

378. Hac in insula stationem habet Argonautarum navis; Absyrtus contra classe sua *tentoria* Argonautarum in litore posita *obsidet*, portuque exire prohibet hostes. — Videatur sis ad calcem hujus libri nota 375. Ed.

382. Nihil interea remittit tempestas: *noctes atque dies vastis mare fluctibus inter* (vide ad v. 304) *furit*, donec Juno ipsa *anxia*, *consilia expediret*, manifestaret, *sua*, finemque faceret huic bello.

385-399. Argonautæ a Jasone, ut Medeam tradat, postulant. *Minyæ tanti*, tam periculosi, reputantes *ultima*, eventum, *belli*, non singuli, sed *cuncti*, non admonent, sed *urgent*, *et precibus fremituque*, importunis precibus ac murmuratione Jasonem *fatigant*.

Æsonideu : quid se externa pro virgine clausos
Objiciat, quidve illa pati discrimina cogat?
Respiceret pluresque animas, majoraque fata
Tot comitum, qui non furtis, nec amore nefando
Per freta, sed sola sese virtute sequantur.
An vero, ut thalamis raptisque indulgeat unus
Conjugiis? id tempus enim! sat vellera Graiis,
Et posse oblata componere virgine bellum.
Quemque suas sinat ire domos, nec Marte cruento
Europam atque Asiam prima hæc committat Erinnys.
Namque datum hoc fatis, trepidus supplexque canebat
Mopsus, ut in seros irent magis ipsa nepotes,
Atque alius lueret tam dira incendia raptor.

387. *Clausas.* Vatic. cod. — 389. *Facta.* Bonon. cod. — 390. *Non furtis nec more.* Vatic. Bonon. codd. Bonon. I. *Non furiis nec amore.* Bonon. II, et aliæ ante Heins. — 396. *Commutat.* Bonon. cod. *Commutet.* Bonon. I. Junt. Ald. *Committet.* Bonon. II. Ed.

387. Cur se *externa*, barbara, *pro virgine clausos objiciat*, obsidioni exponat? *Respiciot pluresque animas majoraque fato tot comitum*, non unius Medeæ rationem habendam, de vita plurium cogitet, qui majoribus rebus gerendis sese destinaverint, qui eum sequuti sint non amoris furtivi nefandique causa, sed ut virtutis suæ documenta darent. — Videatur ad calcem hujus libri notatio 390. Ed.

392. *An vero, ut thalamis raptisque indulgeat unus conjugiis?* hoc sibi sumat, ut rapta cum virgine nuptias celebret? *id tempus enim*, scilicet! *Sat vellera Graiis*, contentos esse ablato vellere, totumque bellum *oblata*, reddita *virgine* componi posse.

395. *Quemque*, et Absyrtum et socios, *suas sinat ire domos, nec Marte cruento Europam atque Asiam prima hæc committot Erinnys*, dissidium, furor. Ipsam Medeam Erynnios nomine condecorare voluisse Argonautas, satis inficetum videatur; fieri tamen potuit, ut poetæ obversaretur Virgil. Æn. II, 573, ubi Helena *Trojæ et patriæ communis Erinnys* dicitur.

397. *Namque datum*, constitutum, *hoc fatis Mopsus*, *trepidus* tamen *et supplex*, obtestans Jasonem, ne in proposito persisteret, *canebat* vaticinans, *ut in seros ire magis ipsa* (melius *ista*, uti Bononiensis, *mala* nempe) (— Non *malo*, sed *incendia*. Ed.) sineret *nepotes*, *atque alius lueret tam dira incendia raptor;* Paris, qui facem belli Europam inter et Asiam primus incensurus sit. —

Ille trahens gemitum, tantis ac vocibus impar,
Quamquam jura deum, et sacri sibi conscia pacti
Relligio, dulcisque movent primordia tædæ,
Cunctatur, mortemque cupit, sociamque pericli
Cogitat, haud ultra sociis obsistere pergit.
Hæc ubi fixa viris, tempus fluctusque quietos
Exspectant; ipsam interea, quid restet, amantem
Ignorare sinunt, decretaque tristia servant.
Sed miser ut vanos, veros ita sæpe timores
Versat amor, fallique sinit nec virginis annos.
Ac prior ipsa dolos et quamlibet intima sensit
Non fidi jam signa viri, nimiumque silentes
Una omnes: haud illa sui tamen immemor umquam,

401. *Est acri* pro *et sacri*, ut citat Pius, Vatic. cod. *Est acris ubi conscia*. Bonon. cod. Bonon. I et II. Ed.

Conf. Virgil. Æn. I, 566: *et tanti incendia belli*. Ed.

400-407. Jason sociis urgentibus cedit invitus, cedit tamen. *Ille trahens gemitum*, alte suspirans, *tantis ac vocibus impar*, quid tam veris consiliis atque monitis, iisque tam vehementer datis reponeret non habens, *quamquam jura deum*, jusjurandum, *et sacri sibi conscia pacti relligio*, fidei quam Medeæ testibus diis juraverat datæ conscientia, *dulcisque primordia tædæ*, ipsæ nuptiæ inchoatæ, *movent*, *cunctatur* dubius, *mortemque cupit*, *sociamque pericli cogitat*, mori mavult, quam Medeam deserere suam; tandem tamen *haud ultra sociis obsistere pergit*.

405. *Hæc ubi fixa*, certa, *viris*, non excepto Jasone, *quid restet*, quæ sors eam maneat, *amantem ignorare sinunt*, celare volunt, *decretaque tristia servant* secum, apud animum occultant, ne quid Medea resciscat.—Vid. ad calc. n. 407. Ed.

408-445. Ovidio teste, *res est solliciti plena timoris amor*: timet sæpe, ubi nihil timendum, nec tamen semper inanis est iste timor. Hac eadem sententia breviter non minus, quam præclare proposita, viam sibi munit Valerius ad ægritudinem, qua Medeæ animus afficeretur, explicandam. *Sed miser ut vanos, veros ita sæpe timores Versat amor, fallique sinit nec virginis annos*; quamquam admodum juvenis, puella decipi tamen non potuit.

410. *Signa viri jam non fidi*, frigidioris, *sensit quamlibet intima*, etsi vel maxime occultare, dissimulare vellet, *nimiumque silentes*, tectos, obscuros, verborum parcos, Argonautas, idque *una*, uno eodemque tempore, nec singulos aliquos, sed *omnes*.

412. *Haud sui tamen immemor*,

Nec subitis turbata minis, prior occupat unum
Æsoniden, longeque trahit, mox talibus infit:
« Me quoque, vir, tecum Minyæ, fortissima pubes,
Nocte dieque movent; liceat cognoscere tandem,
Si modo Peliacæ non sum captiva carinæ,
Nec dominos decepta sequor, consultaque vestra
Fas audire mihi. Vereor, fidissime conjux,
Nil equidem: miserere tamen, promissaque serva
Usque ad Thessalicos saltem connubia portus,
Inque tua me sperne domo: scis te mihi certe,
Non socios jurasse tuos; hi reddere forsan
Fas habeant; tibi non eadem permissa potestas.
Teque simul mecum ipsa traham; non sola reposcor
Virgo nocens, atque hac pariter rate fugimus omnes.
An fratris te bella mei, patriæque biremes

423. *His.* Vatic. Bonon. codd. *His*, et vs. seq. *abeant.* Edd. ante Heins. præter Eugenl. — 424. *Promissa.* Vatic. Bonon. codd. — 426. *Huc.* Bonon. et Burm. codd. Bonon. I et II. Ed.

constitit sibi, *nec subitis turbata minis*, periculis, *prior occupat*, se convertit ad Jasonem, *longeque* ab sociis remotum *trahit*, seorsim ducit.

415. *Me quoque tecum Minyæ, fortissima pubes, nocte dieque movent*, sollicitam habent tam egregii, te duce, viri juvenes: attamen hoc mihi dicas, *an captiva* sim vestra in navi, an non conjugem, quod promiseras, sed *dominum decepta sequar.* Noli me celare, quid de me decreveritis.

419. Abs te quidem, *fidissime conjux*, talem enim te esse persuasum habeo, nil timeo; si tamen tibi sociis cedendum esse existimes, *ita tamen miserere*, ut saltem promissi jura connubii serves, donec in patriam tuam pervenerimus; tum *in tua me sperne domo*, repudia, si ita lubet, vel pro ancilla habeas; quam in bello captarum mulierum sortem sæpe fuisse novimus ex Homero.

422. *Scis te certe mihi jurasse*, socios non item, qui si fortasse me tradendi jus habeant, tibi tamen æqua potestas non est. Quod si tamen feceris, *te simul mecum traham*, mecum ad patrem abducam, qui non me solam ut nocentem persequitur, sed te, et velleris et filiæ raptorem; *atque hac pariter rate fugimus omnes*, cunctos, quotquot in navi versamur, eadem culpa tenet; omnes ut fugitivos insequitur pater.

427. Forsan vero tot, quibus frater te premit, navibus perterrefactus, me deserendi consilium ce-

Terrificant, magnoque impar urgeris ab hoste?
Finge rates alias, et adhuc majora coire
Agmina; nulla fides? nullis ego digna periclis?
Non merui mortemque tuam comitumque tuorum?
Vellem equidem nostri tetigissent litora patris
Te sine, duxque illis alius quicumque fuisset.
Nunc remeant, meque ecce (nefas) et reddere possunt,
Nec spes ulla super: quin tu mea respice saltem
Consilia, et nimio comitum ne cede timori.
Credidit ardentes quis te nunc jungere tauros
Posse? quis ad sævi venturum templa draconis?
O utinam ergo meus pro te non omnia posset,
Atque aliquid dubitaret amor! quin nunc quoque quære
Quid jubeas. Heu! dure, siles, magnumque minatur

434. *Poscunt* apud Maser. et recepit cl. Wagner. — 437. *Reddidit ardentes qui se tunc*. Vatic. Bonon. codd. Bonon. I. *Credidit ardentes quis se tunc*. Bonon. II, et aliæ usque ad Burm. — 439. *Pro te nunc omnia*. Bonon. cod. — 440. *Nunc quoque quære*. Sic Vatic. Bonon. codd. Bonon. I. *Quæro*. Bonon. II. *Quare*. Junt. Ald. *Quærit*. Maser. Eugent. — 441. Hic versus in omnibus codd. et editionibus plerisque post vs. 460 (*Solis avi*) interseritur. Maserius hunc habet post v. 463 (*Nomina Palladia*). Omiserunt illum Eugent. Colin. Gryph. Suo loco, ut mihi videtur, reposui, et cod. Vaticani lectiones et in hoc versu et in præcedenti, quas præposterus ordo mutare suaserat, servavi. *Quid jubeas*. Sic Vatic. cod. *Quid dubitas*. Bonon. cod. et edd. omnes. Ed.

pisti. At vero, fac, *adhuc majora coire agmina; nulla fides?* num fidem datam fallere fas sit? *nullis ego digna periclis*, ego, inquam, quæ tot periculis temet eripuerim?

431. *Non merui mortemque tuam comitumque tuorum?* Valerius si ita scripsit, hoc voluit: tam egregie de vobis merui, ut vel mortem, si ita opus sit, mea causa subire deberetis. Mirifice tamen placet, quod Heinsius conjecit: *Martemque tuum comitumque*, ut arma pro me capiatis.

432. *Vellem equidem nostri tetigissent* comites tui *litora patris sine te*, tum de iis actum fuisset, *duxque illis alius quicumque fuisset*, nullius causa fecissem, quod tua causa, tui amantissima feci. *Nunc remeant* a me servati et incolumes.

435. *Quin tu mea respice saltem consilia* fortiter resistendi, *et nimio* non tam tuo, quam comitum *ne cede timori*. Recorderis, quæso, quam incredibilia modo, me auxiliante, perfeceris; tauros ardentes viciati, *ad templa*, lucum, *draconis* venisti.

439. *O utinam ergo meus pro te*

Nescio quid tuus iste pudor. Mene, optime quondam
Æsonide, me ferre preces et supplicis ora
Fas erat? haud hoc nunc genitor putat, haud dare pœnas
Jam sceleris, dominumque pati ». Sic fata, parantem
Reddere dicta virum furiata mente refugit
Vociferans; qualem Ogygias quum tollit in arces
Bacchus, et Aoniis illidit tympana truncis:
Talis erat, talemque jugis se virgo ferebat,
Cuncta pavens; fugit infestos vibrantibus hastis
Terrigenas, fugit ardentes exterrita tauros.
Si Pagasas vel Peliacas hinc denique nubes
Cerneret, et Tempe viridi lucentia fumo;

443. *Aut dare pœnas.* Vatic. Bonon. codd. — 448. *Tyana.* Vatic. cod. *Thyada.* Heins. — 453. *Viridi* abest a Vatic. cod. *Fusco.* Bonon. et Burm. codd. Ed.

non omnia posset, atque aliquid dubitaret amor! Ipsa memet accuso, quæ tui amore, temere satis et inconsiderate, quidquid optaveris, a me impetrare te siverim. — Vide ad calcem hujus libri not. 440. Ed.

442. *Mene* igitur, *optime*, sed eheu! *quondam*, me, quæ tua causa omnia feci, fortasse factura sum, precantem, supplicem adeo coram videre potes? Ipse pater, quamquam iratus, mirabitur, nec poterit credere, me tam subito pœnas dare sceleris, teque non conjugem habere, *sed dominum pati.*

445-463. His dictis Jasonem respondere parantem fugit furibunda, magnoque cum clamore, *qualem Ogygias*, Bœotias, *quum tollit in arces*, in montes (conf. VII, 562, et alibi) agit, *Bacchus*.

449. *Talis* igitur *erat*, *talemque jugis*, transtris, *virgo se ferebat cuncta pavens*, ut terriculamenta inania phantasiæ obversarentur. — *Transtris*, aliud profecto cogitans, scripsit Wagnerus. *Jugis*, id est, per juga, per montes, non eget interpretatione. Ed.

450. *Fugit infestos*, quasi præsentes hostes se persequentes, *vibrantibus hastis*, quæ micare ante oculos videbantur, *terrigenas*, e dentibus hydri prognatos; *fugit ardentes*, etiam nunc ignivomos, *exterrita tauros.*

452. *Si denique* hoc saltem contingeret, ut *Pagasas*, Thessaliam, *Peliacas nubes*, montem Pelion, nisi ipsum, e longinquo tamen cacumina nubibus involuta, *cerneret*, *et Tempe viridi lucentia fumo.* Fumo? Faciliora sunt ad intelligendum, quæ conjiciunt, *fundo* Maserius, vel *luco* Heinsius; sed nihil movendum: *fumo* enim exquisitius est et doctius, quam ut librario magis, quam ipsi poetæ debeatur. Fluvii vaporibus, quos emittunt, fumantes sæpius occurrunt; suavissima igitur, si quid video, et naturæ con-

Hoc visu contenta mori. Tunc tota querelis
Egeritur questuque dies, eademque sub astris
Sola movet; mœstis veluti nox illa sonaret
Plena lupis, quaterentque truces jejuna leones
Ora, vel orbatæ traherent suspiria vaccæ.
Procedit non gentis honos, non gloria magni
Solis avi, non barbaricæ decor ille juventæ,
Qualis erat, quum Chaonio radiantia trunco
Vellera vexit ovans, interque ingentia Graium
Nomina Palladia virgo stetit altera prora.
Mœstus at ille minis et nota Colchidos ira

457. *Plana lupis.* Vatic. cod. — 458. *Suspiria bacchæ.* Vatic. cod. Junt. Ald. Engent. *Baccæ.* Bonon. cod. — 459. *Gloria magni.* Absunt duæ istæ voces a Vatic. cod. et Bonon. I. *Non more paterni.* Bonon. cod. Bonon. II. — 464. Hic versus abest a Vatic. cod. *Et ille nimis.* Bonon. cod. Bonon. II. Ed.

venieus imaguncula est *in fumo viridi*, emissis nempe ex Peneo fluvio, qui per vallem illam Thessaliæ amœnissimam, Tempe dietam, non leni incedit alveo, sed *spumosis volvitur undis* (Ovid. Metam. I, 570), vaporibus, qui, quum colorem ducerent e subjacentibus pratis et arboribus viridibus, virides ipsi apparuere. — Potest *fumum* duxisse Valerius ex Ovidii loco laudato, v. 571: *Dejectuque gravi tenues agitantia* fumos *Nubila conducit.* Ed.

454. *Hoc visu contenta mori*, quæ loca amœna si conspiceret, lubentissime moritura. *Tunc tota querelis egeritur*, transigitur (*digerere* fere eodem sensu, v. 102), *questuque dies* (ejusdem notionis *querelarum questusque* geminatio odiosa, ut recte monet Burmannus, ideoque mavult *fletuque*, vel *gemituque*. Harlesiana habet *quæstu*, errore operarum), *eademque sub astris*, noctu (cf. II, 171), *sola movet*, iisdem indulget.

456. Quasi per tenebras noctis esurientium luporum ululatus audiretur, *et leones* præ fame frendentes, *vel orbatæ* vitulis mugientes dolore *vaccæ*.

459. *Non procedit*, non continuatur; sic Livius, V, 48, *quum stationes procederent*, quod explicat Gronovius: *quum a fessis licet fame continuarentur.* Ed.

462. *Inter ingentia Graium nomina*, tam egregios fortesque Græciæ juvenes, *Palladia virgo*, virago, *altera stetit* in *prora*, ut duas coram viderent Argonautæ Minervas, unam, tutelam navis, ἐπίσημον, alteram Medeam, utrasque bellicosas.

464. Jason tandem rumpit silentium. *Mœstus minis et nota Medeæ ira*, dubius animi adstat; utcumque tamen *mulcere*, delinire blan-

Hæret, et hinc præsens pudor, hinc decreta suorum
Dura premunt; utcumque tamen mulcere gementem
Tentat et ipse gemens, et tempora currere dictis:
« Mene aliquid metuisse putas, ...
. . . . me talia velle,
Diva viro nimium conjux infensa fideli?
Horreo si qua movent animos, ingrataque nobis
Quæ te cumque premunt; sed mollia tempora primum
Captamus, sævique placet mora commoda belli.
Tot coiere duces, hostilique impete turmæ
Certatim incubuere odiis, mortemque minantur.
Causa fuga est, et noster amor. Quoscumque superbis
Cernis equis equites fremere, aspera jussa parentis
Æetæ, Absyrtique immania signa sequuntur;
Et classe, et ferro, atque animis certatur iniquis.
Quare ne pereat tecum tua Thessala pubes,
Et venias turpi fratris ducenda triumpho,
Irati subitura patris, matrisque, sororisque
Aspectus sævos, horrendaque murmura vulgi,
Quærimus huic finem damno, certæque ruinæ,
Sospite te, sociisque tuis, et pube Pelasga.
Quod si barbaricam vesana superbia mentem

467. *Et tempera dictis.* Vatic. cod. *Quærere.* Heinsii recta conjectura. — 468. Hunc versum omiserunt Eugent. Colin. Gryph. *Meruisse.* Vulgati. *Metuisse.* Barthius et Heins. quod admisi. Ed.

dis verbis, *tentat gementem, gemens ipse, et tempora currere dictis. Currere* vix locum tueatur, quum τὸ *tentat* verbum requirat cetivæ significationis; melius igitur *ducere* vel *quærere.* — *Quærere* eo felicius conjecit Heinsius, quod et facilem sensum præbet hoc verbum, et a vetere scriptura minimo minus abludit. Ed.

468. *Mene aliquid metuisse putas?* Haetenus Valerius qui morte, ut videtur, interceptus, nihil ultra scriptum reliquit. Carminis illud fragmentum (*Mene aliquid metuisse putas*) supplevit Pius, et abruptum Valerii opus, Apollonio duce, ad finem perduxit. Vid. t. I, p. XLII, præfationem editionis Aldinæ circa finem. Ed.

Erigit Absyrti, atque odio tumefactus inani
Efferus Æetes, certare ultricibus armis
In tua fata velit, et euntia vela morari,
Non animis cedam, non cedam milite Graio,
Justaque in adversos committam prælia Colchos ».
Sic ait : illa gravi ductorem affata dolore est :
« Num venti mea vota, simul tua verba tulerunt,
Æsonide, ac pariter curas pepulere priores?
Tempora causaris, subitique pericula belli,
Postquam in deterius lapsa est fortuna Citeæ
Conjugis, et noster non est reparabilis error!
Nunc Martem differre libet, nunc Colchica bella,
Post connubia pacta exspectatosque hymenæos.
Tu tantum confide mihi, placabo furentem
Germanum, et blandis componam prælia dictis,
Legatos donis mulcens, atque effera corda ».
Phasias his mœstum verbis solatur amantem,
Ancipitemque iterum vinclis propioribus arctat.
Cogit inire dolos, et perniciosa parare
Exitia Absyrto, nec non præmittere dona
Hospitii, Æsonius quæ nuper contulit heros.
In primis peplum Hypsipyles, quod tinxerat ardens
Purpura, et Ogygio pulcherrima Gratia Baccho
Arte laboravit madidæ prope litora Diæ.
Hæc Bromius nato tribuit monumenta Thoanti,
Hypsipylæque Thoas; dein Lemnia, saucia amore,
Regina Argolico dat regia dona tyranno.
Hinc odor ambrosius gratis afflatibus hæsit,
Incubuit postquam rapiens Minoida natam
Bacchus, et adverso conjunxit pectore pectus,
Postquam Gnosiacis comitatam carbasa ab oris
Attica, crudelis Theseus in litore Diæ

Liquit anhelantem somnos, curasque levantem.
  Interea fallax legatos dulcibus ambit
Alloquiis Medea, dolum meditata, necemque
Fratris, Iolchiacum sic promeritura maritum,
Ultoremque ultura suum. « Discedite raptim,
Ite citi, hisque aris actutum sistite fratrem,
Sidera dum mea cœpta juvant, et fraudibus apta
Nox tegit insidias, tollens cum luce pudorem,
Ut revehat pecudis felicia vellera Colchos
Auricomæ, cupidique ferat sub jura parentis. »
Sparsit ab his liquidas medicatum nectar in auras,
Ætheraque ignivomum, quo torvus frater adactus,
Viribus et cæli impulsus traheretur ad aras
Victima, Thessalicis jampridem debita cultris.
  Improbe amor, quantis mortalia pectora curis
Involvis, miscens odium, funebria bella,
Et gemitus, fletusque graves: Discordia demens,
Et manibus Rabies pectus laniata cruentis,
Funerea vadunt fraterna per agmina dextra.
Innumeris agitas discordem cædibus orbem,
Aspera cuncta viris fœcundo pectore promens.
Elatus Deus arcitenens, facibusque timendus,
Quali Medeæ complesti corda veneno
Oblitæ fratris, patriæ, oblitæque parentum!
  Adproperat pariter Colchis, comitatur Iason
Fraudibus intendens animos. Æetius heros
Parte alia accelerat, Phryxæo illectus ab auro,
Pollicitis captus sævæ insidiisque sororis.
Nusquam tuta fides. Verbis persuasus amicis
Trajicit obscura vectus super æquora nocte
Absyrtus, parvo quem suscipit insula portu.
Tantum effatus, « Abitne heros per stagna profundi

Chimerii, soror, Æsonides? relegitne priora
Litora? vel portus alios subiturus et urbes? »
Fallax ut juvenes Graios, pubemque Pelasgam
Excipiat ferro, atque inimico remige claudat;
Quum subito Æsonides densis subit actus ab umbris,
Attollitque manu nudatum fervidus ensem.
At virgo velata oculos, et fronte reducta,
Cernere non potuit morientis vulnera fratris:
Impietate pia est. Qualis cervice juvencus
Saucius a Libyco reboans immane leone
Se rotat, et gyris redeuntibus implicat orbes:
Talis ab Æmonio percussus Ponticus ense
Absyrtus, licet attonitus, et corde gelato
Saxeus, arma tamen juvenilibus apta lacertis
Corripit, et sævo fert comminus ora tyranno.
Vestibulo in primo, postquam manantia frustra
Vulnera tentavit geminis compescere palmis,
Luctatus multum, calida procumbit arena,
Dianæque tholum moribundo lumine cernit,
Quem Brygos sacrasse viros fert certa vetustas.
Avertit Diana oculos, scelerisque nefandi
Horruit orsa atrox et quæ domat omnia Erinnys.
Quin faciles medio gemuerunt flebile ponto
Nereides; Tritonque tuba cecinisse querenti
Fertur, et exsequias juveni duxisse perempto.
Membrorum extremas et vestis Anaurius heros
Concidens partes, ter hiantibus oscula jungit
Vulneribus, cædem ter respuit, impiaque ausa
Devovet, ac sævæ ter lustrat imagine cædis,
Exstincto terramque levem, placidamque quietem,
Tartareasque canes, nitem et Minoa precatus,
Elysias sedes, et amœna vireta piorum.

IN LIBRUM OCTAVUM

ARGONAUTICON

NOVI EDITORIS

NOTÆ.

V. 6. *Ultima virgineis tunc flens dedit oscula vittis.* — « Hoc dicit, quia mox nuptura erat Medea; aliæ autem erant nuptarum, aliæ virginum vittæ. » — Sic Weitzius, cui assentiri omnes interpretes inde colligo, quod ejus sententiam afferunt, nulla notatione subjecta; immo Adolphus *Dureau de Lamalle* eamdem opinionem, non nominato Weitzio, profitetur. Sed aliter nobis, et profecto lectori videbitur. Nonne enim illæ sacerdotales erant vittæ, quibus, ut Hecates ministra, insignita erat Medea? Vid. V, 349:

> Talis et in vittis geminæ cum lumine tædæ
> Colchis erat.

Hæc autem insignia Medeam, deæ sacerdotio renuntiantem, exuere necesse erat.

V. 7. . . . . *crinemque genasque*
Ante per antiqui carpsit vestigia somni.

« Male habuit non unum interpretem τὸ *ante*, eam ob causam, quod ob statim sequens *antiqui*, ingrata exsistat ὁμοφωνία. Ejus igitur loco Burmannus *ungue*, Slothouw. *acta* reponere maluerunt; ast ego retinui *ante*, quod respicere videtur antecedens *fugit*, antequam fugeret, toros adhuc semel amplexa, sed, dum dirum illud somnium, V, 334 sq. in memoriam revocat, horret, et summæ tristitiæ sensu crinem genasque non tam lacerat, quod Burmanno visum, sed *carpit*, leniter invadit. » Sic Wagnerus. — *Per* hic eodem adhibetur sensu quo sequentibus ejusdem Valerii locis: I, 767, *Talia per lacrymas;* ibid. 173, *tua per suspiria*. In his exemplis *per* idem valet quod *inter*.

V. 10. *O mihi si profugæ genitor nunc ille supremos*
Amplexus, Æeta, dares, fletusque videres
Ecce meos! ne crede, pater; non carior ille est.

Exstat in hunc locum egregia Adolphi *Dureau de Lamalle* adnotatio. Merito monet hanc orationis confusionem, *ille*, *Æeta*, diversæ personæ vocabula, perturbationem animi apte pingere; exquisitam Medeæ de patre loquentis gradationem admiratur, quæ primo gravitatem culpæ tantum cogitans, tertia utitur persona, *profugæ genitor nunc ille*; mox, quum ipsum tamquam præsentem audet alloqui, *Æeten* tantum nominat; postremo, quasi lacrymis ac dolore patrem sibi videatur aliquatenus placavisse, hoc *patris* nomen liberis culpæ consciis maxime verendum proferre sustinet: *ne crede, pater*.

Hæc feliciter invenit exposuitque Adolphus *Dureau de Lamalle*. Eo libentius laudem merenti nunc tribuimus viro, quod errantem inviti sæpe reprehendimus.

V. 16. *Dixit, et Hæmonio nunquam spernenda marito*. — Conf. VI, 500: *spernere nec usquam Mendaci captiva viro*.

V. 20. *Inde velut torto Furiarum erecta flagello*. — Burmannus *erecta* explicat: « lecto, quem gemebunda presserat, excitata ». Per eum igitur non stat, quin Medeam *e palatio prosilire* cum Wagnero intelligas; vide supra, lib. VIII, not. 20; hujus vol. pag. 172.

V. 21. . . . . . . *attonito qualis pede prosilit Ino*
In freta, nec parvi meminit conterrita nati,
Quem tenet; extremum conjux ferit irritus Isthmon.

« Poeta, inquit Wagnerus, Medeam comparat cum Inone, Athamantis conjuge, qui, quum a Junone in furorem actus esset, uxorem pro leæna habitam persequutus est: cujus iras evitatura, Furiis et ipsa agitata Ino, in sinu gerens filiolum Melicertam (nam alterum, Learchum, paullo ante Athamas correptum saxo alliserat; vide supra, III, 68), ad mare properavit, et cum ipso puerulo in mare se præcipitem dedit e scopulo; quæ omnia uberius narrantem consule Ovidium, Metam. IV, 416 sq. Jam vero plana omnia, obscurius tamen ultima, v. 23, extulit poeta: *extremum conjux ferit irritus Isthmon*. Burmannus ita explicat, ut Athamantem ad extremam litoris oram substitisse, et furore inani, quod evaserit manibus conjux, pedibus pulsasse terram existimet. Mihi autem Valerius Athamantem ita prope Inus vestigiis insistentem videtur induxisse, ut ense sublato ipsam adhuc tangere atque ferire crederet, ictu tamen inani in extremum scopulum debaccharetur. »

V. 29. *Velatis cornibus et jam Luna venit*. — Hæc imago Dianæ præ verecundia velo caput obducentis, quamvis jucunda, non Heinsium placare potuit, qui conjiciendi libidine pruriens proponit *elatis cornibus*, tamquam Diana talibus assueta, elato capite inviseret amantem.

V. 35. *Icta timore gravi mediam se immisit*. — Varias lectiones consule. Lectio *acta* melius conveniebat cum sequentibus, *mediam se immisit*; quam

inique deturbavit Carrionis codex. Conf. Virgil. Æn. X, 63: *Aeta furore gravi.*

V. 55. *Ille hæret comes, et miseratur euntem.* — Virgil. Æn. VI, 476: *Prosequitur lacrymans longe, et miseratur euntem.*

V. 69-74. De *Somno* hæc disserit Wagnerus: *Somne pater.* « Hoc nomine venit etiam Ovidio, Metam. XI, 633, qui et aulam ejus fusius pingit ibid. 590 sq. Hoc *patris* nomine omnibus diis communi plures ornat Valerius: Æolum, I, 751; Apollinem, V, 18; Bacchum, II, 256; Tartarum, IV, 258. Conf. Heyn. ad Virgil. I, 155. » Nost. edit. t. II, p. 83.

Somne omnipotens. « Cf. Homerum, Il. XIV, 233, et Orpheum, 1002, ἄναξ πάντων τε θεῶν, πάντων τ' ἀνθρώπων. Apollon. IV, 146: θεῶν ὕπατον, summum deum. Meleagr. Epigr. 88: ὁ καὶ Διὸς ὄμματα θέλγων.

> *Quæ freta sæpe tuo domui, quæ nubila cornu,*
> *Fulminaque, et toto quidquid micat æthere.. ..*

« Cornu quoque, a serioribus præsertim poetis, tribui Somno videmus, v. c. Statio, Theb. II, 154; VI, 27; Sil. Ital. X, 352. Hinc fit, ut *irriguus* (ὑγρός) et *liquidus* apud ipsum Nostrum, IV, 16, nominetur, et quietem *irrorare*, *irrigare* (Virg. Æn. I, 692), *perfundere membra*, Græcis βαπτίζειν, dicatur. Nec desunt antiquitatis monumenta, in quibus hoc cornu videre est.» Vid. Lessingii *wie die Alten den Tod gebildet*, in fronte libri, it. Tab. V, et pag. 45.

Nunc, age, major ades, fratrique simillime Letho. — « De hac Somni et Mortis similitudine non est, quod pluribus dicam. Liceat tamen adscribere locum Senecæ Tragici elegantissimum in Hercule furente, vs. 1065 sq. ubi Chorus itidem Somnum provocat, ut Herculi se immittat:

> ....tuque, o domitor
> Somne malorum, requies animi,
> Pars humanæ melior vitæ,
> *Frater* duræ languida *Mortis*;
> Veris miscens falsa, futuri
> Certus et idem pessimus auctor:
> *Pater* o rerum, portus vitæ,
> Lucis requies, noctisque comes;
> Qui par regi famuloque venis
> Placidus fessum lenisque fovens;
> Pavidum leti genus humanum
> Cogis longam discere noctem:
> Preme devictum torpore gravi.

Confer omnino, præter modo laudatum Lessingium, libellum cl. Doeringii de imagine Somni, L. 1783, 4 ». — Confer quoque Homer. l. l. v. 231: κασιγνήτῳ Θανάτοιο.

V. 75-78. *Te quoque, Phryxeæ pecudis fidissime custos*, etc. Confer hæc Medeæ ad draconem verba, cum oratione Somni ad Palinurum, Æn. V, 844:

> .... datur hora quieti:
> Pone caput, fessosque oculos furare labori:
> Ipse ego paulisper pro te tua munera inibo.

V. 81. .... *ac primi percussus nube soporis*
Horruit, et dulces excussit ab arbore somnos.

« Nihil hic mutandum, inquit Wagnerus. *Nubem soporis*, præter Statium Theb. X, 285, et Achill. I, 250, a Burmanno laudatum, habet etiam Claudianus, de raptu Proserp. I, 81, et de laude Stilich. I, 309, ubi Gesnerus: « Metaphoræ huic et phantasiæ poetarum occasionem dedit magistra natura. Turbantur et velut nube quadam obscurantur dormiturientium oculi ». Nec *percussus*, suadente Heinsio, in *perfusus*, vel cum Wakefieldio, Delectus tragœd. p. 371, in *perculsus* mutes; est enim, quod me docuit ill. Heyuius ad Tibull. I, 2, 3, ex Orpheo, Argon. 36 et 540: γλυκερῷ βιβολημένος ὕπνῳ. — *Et dulces excussit ab arbore somnos.* Facilius esset *corpore*, vel *pectore*, quod voluit Heinsius, sed vulgatum servari potest, si ita exponas: somnum incessentem ab oculis defendere conatus est eo, ut corpus moveret, et ab arbore in terram serperet, quæ explicatio firmatur, v. 93 (*humi*) et 110, ubi draconem humi jacentem scandere Jasonem jubet Medea. »

Prohibebatur Somnus ab aditu *arboris*, vel potius *draconis* arbori advigilantis: sed prior locutio magis poetica est; idque debet Valerius Heinsio frigidas emendationes opponenti, ut gratior ipse videatur. Nescio an hunc Virgilii locum respexerit, Æn. VI, 283:

> Ulmus opaca, ingens, quam sedem Somnia vulgo
> Vana tenere ferunt, foliisque sub omnibus hærent.

Mihi certe videor videre Somnos a Medea immissos, arboris frondibus hærentes, quos vigil excutere tentat draco, ne ab arbore ad se ubrepant.

V. 84. *Cunctaque Lethæi quassare silentia rami*
Perstat.

« Et hæc, ait Wagnerus, non una obscuritate laborant. *Cuncta silentia*, satis audacter pro omni noctis horrore, omni vi soporifera quæ *Lethæo ramo* inest; hunc *juniperi* fuisse tradit Apollon. IV, 156, cui arbori gravem, i. e. somniferam vim tribuit etiam Virgil. Ecl. X, 76. — Omnino dum hæc scriberet poeta, ob oculos habuit Virgil. Æn. V, 854-856:

> Ecce deus ramum Lethæo rore madentem,
> Vique soporatum Stygia, super utraque quassat
> Tempora; cunctantique natantia lumina solvit.

Venusta hæc omnia et perspicua, quæ, dum pulchrius more ætatis suæ efferre vellet, obscuravit Valerius. »

V. 90. *Ceu refluens Padus, aut septem projectus in amnes*
Nilus, et Hesperium veniens Alpheos in orbem.

Sic Wagnerus : « Haud parum desudarunt in hoc loco interpretes, qui, si verba spectes, nihil admodum difficultatis habet. Comparat nempe draconem porrectum cum tribus fluviis, quorum cuique addit participium : *refluens* Padus, *projectus* Nilus, *veniens* Alpheus. Et *Padus* quidem *refluens* est exundans, ultra ripas effusus, nihil amplius. Lucano, IV, 134, est *stagnans*, eodem sensu ; conf. ejusdem Lucani, VI, 272.... *Nilus projectus*, quod gravius quam porrectus, ideo tamen non placet, quod eadem vox paullo post, v. 93, occurrit... et *Alpheus veniens*, ex Elide, subter maria diu terrasque depressus, cum Arethusa deinde Siciliæ fonte aquas consocians ; vid. Ovidii Metam. lib. V, 494-497 et 573 sq. His igitur attributis omnibus magnitudinem fluviorum indicare voluit poeta. In verbis itaque nihil est offendiculi. Sed vitium in eo est, quod tenuissimo filo nectitur antecedentibus comparatio, et res magnitudine nimis diversæ, *ingens draconis cervix*, magnique nominis fluvii inter se conferuntur. Sed, uti Burmannus, et Ernest. in Diss. II, de elocutionis poetar. lat. luxurie, p. 89, recte monuerunt, obversatus Nostro est Apollonius, IV, 151, qui draconem ait mille explicuisse orbes, non secus ac fluctus ater et surdus et admodum fremens in æquore magno se volvens ; sic enim intelligo Græca : μήκυνε δὲ μυρία κύκλα, Οἷον ὅτε βληχροῖσι κυλινδόμενον πελάγεσσι Κῦμα μέλαν, κωφόν τε καὶ ἄβρομον. Hæc Valerius more imitatorum magis exornare et calamistris inurere sibi visus est ».

Refluens dicitur de flumine in alveum, post exundationem, se recondente ; sic Virg. Æn. VIII, 86 :

> Tibris ea fluvium, quam longa est, nocte tumentem
> Leniit, et tacita *refluens* ita substitit unda.

Id. Æn. IX, 32 :

> .·............. aut pingui flumine Nilus,
> Quum *refluit* campis, et jam se condidit alveo.

Refluens mare apud Plin. II, 97, significat *æstum maris decedentem*. Locus Apollonii, de quo Wagnerus, aliquid habet quidem simile, sed aliam præbet imaginem. Errat Wagnerus in sensu vocis ἄβρομον, quæ significat hoc loco, *sine strepitu*. Neque enim convenit strepitus cum somno.

Alpheum auctor nominat, ob cursus longitudinem, respiciens ad longitudinem colli draconis, quod a vellere vi somni sic recederet (*atque ingens extra sua vellera cervix*), ut *Hesperium veniens Alpheos in orbem*. Non tamen hæc singula premendum est : satis sit comparationem in universum constare.

V. 92. *Ipsa caput cari postquam Medea draconis*
Vidit humi, fusis circum projecta lacertis.

Nemo mirabitur Medeam tanto draconem, quem ipsa nutriebat, affectu prosequi, nisi qui nesciet quædam animalia pro sacris apud Veteres habita fuisse. Vide Diodor. I, 85; Daniel, XIV, 22: « Et erat *draco* magnus in loco illo, et colebant eum Babylonii ». Vide quoque Maxim. Tyr. Dissert. 38, pag. 383; Ælian. Histor. Animal. XI, 16; Propert. IV, 8. Nonne Medea ipsa orans draconem (v. 103) ne se per totum mare sibilis exagitet, aliquid in eo divini esse profitetur?

Gallicus interpres, judicium auctoris hoc loco damnans, totam Medeæ orationem ingenio suo refinxit, quam vide, t. III, p. 271, rhetoricæ floribus ac figuris perpastam.

V. 94. *Seque suumque simul flevit crudelis alumnum.* — Cur Wagnerus *illudens* post *crudelis* in commentario scripserit non perspicio; *suum flevit crudelis alumnum* potest explicari sic: *flevit* quod esset *crudelis* in *suum alumnum*, vel sic, per græcismum: *suum* ipsius *crudelis* (genitiv.) *flevit alumnum*; sic Horat. Sat. I, 4, 23: *dum mea nemo Scripta legat, vulgo recitare timentis.*

V. 110. *Aurigera arbor.* — « Talia multa, inquit Wagnerus, effingunt vocabula poetæ, sed *auriger* taurus est etiam apud Ciceronem de Divinat. II, 30, in oratione tamen ligata ».

V. 136. *Hinc subitis inflexit frater in armis.* — « Huic voci, *inflexit*, unde commodum aliquem sensum vix possis extundere, aliam certatim substituere conati sunt interpretes: Pius *effluxit*, Aldus et Zinzerlingius *insurgit*, Heinsius *effulsit*, Burmannus *se erexit*, Harlesius *en flexit*, quarum nulla satis placet. Mihi quidem in mentem olim venerat *incessit* (præsens verbi *incessere*; nam quæ sequuntur omnia, *coit*... *volat*... *complentur*... *fugit*, præsenti tempore efferuntur), h. e. *persequitur*; sed nec hoc satis placet. In nonnullis, non antiquissimis tamen, codicibus reperiuntur post v. 136, hi sedecim versiculi:

Occidit Æetes, casu perculsus acerbo,
Stratus humi; caræ relegens vestigia natæ
Dat gemitus, lacrymasque simul vocesque resorbet.
Heu miser! attollens fœdatam pulvere tandem
Canitiem: « Poterasne tuo nocuisse parenti,
Filia, sola meæ spes non indigna senectæ?
Duceris a Minyis furtim, dulcique carebis
Conjugio, læta et nunquam prædone marito.
Hic labor est, Absyrte, tuus revocare sororem;
Undique selectam pubem, jam classe parata,
Et nostro da vela mari ». Tum ille impiger omen
Accipit, et magni subiit mandata parentis.
   Interea velo remisque feruntur in altum
Certatim Minyæ. Solers Neptunia proles
Consulit, ut dubio caveant contendere cursu:
« Et securus, ait, nobis et tutior Ister.

Quos quanquam præposteros supposititiosque, qui ante me Valerium ediderunt, habuere, ideoque locum iis in ipso contextu concedere noluerunt, eorumdem tamen exemplum sequutus in commentario nolui omittere. » — Sic Wagnerus. Varias lectiones vide. Nihili habendi sunt illi sedecim versus, quos aliquem ea mente commentum esse verisimile est, ut versum 135 cum versu 186 jungeret.

V. 140. *Mater adhuc ambas tendebat in æquora palmas.* — « Otiosum *adhuc*, inquit Wagnerus, nisi velis rescribere *ad hæc* audita et visa. Quid si *Idyia?* hoc enim nomen fuit matri Medeæ, nec admodum repugnant ductus literarum. Obesse videbatur, quod plerumque Εἰδυῖα invenitur, ideoque prima syllaba corripi non possit; sed Ἰδυῖα non minus bene, uti Heynius ad Apollodor. p. 203, probat ex Hesiodi Theog. 960, ubi etiam prima syllaba brevis. Accedit, quod nomen proprium vix abesse posse, et sola librariorum inscitia, qui nomina propria rariora sibi incognita mutare solebant, excidisse videatur. Temperare igitur non potui, quin feminæ, quam et Apollonius, III, 243, nominatim habet, memoriam renovarem, locumque ei in ipso contexto concederem, Heinsii sequutus exemplum, qui eamdem Ovidio, Heroid. XVII, 232, restituit ». — Illam mutationem nec patiuntur codices, nec requirit sensus. *Adhuc*, i. e. insuper, præterea.

V. 167.................... *commune fuisset*
Aut certe nunc omne nefas, iremus et ambæ
In quascumque vias; pariter petiisse juvaret
Thessaliam, et sævi, quæcumque est, hospitis urbem.

« Locus salebrosus, ait Wagnerus, in quo vocula *nunc* sensum turbat. Accesserim Heinsio conjicienti: *commune fuisset Aut certe* tecum *omne nefas*, itaque cum antecedentibus conjunxerim: Utinam mihi confessa esses! effecissem apud patrem, *aut*, si hic noluisset consentire, *tecum* ipsa in societatem facinoris venissem; *iremus ambæ in quascumque vias*, ipsa tibi comes fugæ fuissem; *Thessaliam* tecum petiissem, *et sævi, quæcumque est*, vel oppidulum, vel *urbem hospitis*. Sic omnia quidem bene nexa; fateor tamen, totum locum ideo non placere, quod regina eaque grandæva ex animi sententia talia profiteri vix credi queat. »

Nunc omnino retinendum. *Fuisset* pro *foret*: sic sæpe tempora mutant poetæ, nec syntaxis semper meminit affectus; præterea *nunc* cum *iremus* tam apte conjungitur, ut, si abesset, deesse videretur.

V. 188. *Illius adversi nunc ora petamus et undam,*
Quæ latus in lævum ponti cadit.

Ex Colchide versus Cyaneas navigantibus quum Ister ad dextram esset, recte putat Burmannus, quem sequitur et citat Wagnerus, hic non respici situm navis aut Argonautarum, sed ex communi more loquendi

lævum latus dici, quod ingredientibus Pontum per Bosphorum erat lævum, ut fuerat revera prima navigatione. Ita centies Ovidius in Tristibus et ex Ponto, *sinistrum* et *lævum* Pontum dicit.

V. 189. . . . . *inde sequemur*
Ipsius amnis iter, donec nos flumine certo
Perferat, inque aliud reddat mare.

Sic Wagnerus : « Humani hic aliud accidit Valerio ; vide Dorvilliom ad Chariton. pag. 261, qui Danubium in Adriaticum quoque mare effluere credidit. Haud abs re fuerit, huc facientem adscripsisse locum Plinii Hist. Nat. III, 23 : « Istriam cognominatam a flumine Istro in Adriam effluente e Danubio amne... plerique dixere falso : nullus enim ex Danubio amnis in mare Adriaticum effunditur. Deceptos credo, quoniam *Argo navis* flumine in mare Adriaticum descendit, non procul Tergesta (*Trieste*), nec jam constat, quo flumine. Humeris travectam Alpes diligentiores tradunt; subiisse autem Istro, deio Savo, dein Nauporto, cui nomen ex ea causa est, inter Æmonam Alpesque exorienti ».

V. 194. *Sat mihi; non totis Argo redit ecce corymbis.* — Non opus est ellipsi : textus potest sic explicari : sat est mihi, quod Argo non redeat cum totis corymbis.

V. 208. *Illa Thoanteæ transit defleta Dianæ.*—« Vulgati habent *deflexa*, qood non satis attento videri possit respicere ad promineotem in mare Chersonesum Tauricam. Valerius autem non de sola Medeæ transvectione loquitur, sed de commiseratione, qua ubique excepta sit : quæ commiserationis notio quum in præcedente *miserantur* non minus, quam in sequentibus *mærent* et *moventur* obvia sit, eadem in versiculo inter illos medio abesse non potest. Haud dubitavi igitur in textum recipere *defleta*, quod codex Regius et Aldina præferont. Jam vero habes, quæ desiderator, commiserationis ideam : defletur ab ipsa *Diana* Taurica, *Thoantea* ideo dicta, quod Thoantis, patris Hypsipyles Lemniæ (de quo plura, lib. II, 418 sq.), ætate, Iphigeniam eo transtulerat (vide Ovid. ex Ponto, III, 2, 59 sq.); fletur vero, quatenus Diana eadem est quæ Hecate, cujus sacerdos fuerat Medea, V, 240, et alibi. » — Sic Wagnerus, cujus opinionem confirmat ille locus, in quo eadem Diana, Hecates nomine, Medeam deflet, lib. VI, 495 :

Hanc residens altis Hecate Perseia lucis
Flebat.

V. 210. *Hyperboreas movit conspecta pruinas.* — Gallicus interpres ait hunc versum,

Du Sarmate, à ses cris, les déserts s'attendrirent,

fidelem esse latini versus *imaginem:* si dixisset, *interpretationem*, posset aliquatenus ferri; sed *imaginem* diversam prorsus, quis non videt? Hinc

conspecta (*à sa vue*), illinc *à ses cris* (exaudita); hinc *pruinæ* (*les frimas*), illinc *les déserts* (litora deserta): alia igitur hinc, alia illinc imago est. Præterea *flebat* Medea, non *clamabat;* nec *deserta* erant litora Hyperborea: sed quod de litoralibus incolis canit Valerius, id de litoribus ipsis accepit interpres: atque ita, quod finxit verecunde, ac figurate extulit Latinus vates, id Gallicus versificator ad literam interpretatus, aliam omnino faciem rebus induit; *classicum* versum *romantico* (ut vocant Galli) mutavit, id est, abortivum quemdam ingenii partum, vel nescio quam speciem vanam, carentem forma, ægri somniis similem, quam mens imaginari ac percipere nequit, in locum imaginis veræ ac naturalis, poeticis coloribus depictæ, substituit, ac deinde latinum versum fideliter se expressisse prædicat!

V. 211. *Ipsi quoque murmura ponunt Jam Minyæ, jam ferre volunt.* — « Editiones habent *ponti*, inquit Wagnerus, et mire se torquent commentatores, nihil tamen proficiunt. Quum vero antiquissimi libri, in his Vaticanus primus, pro *ponti* habeant *ponunt*, non video, cur librariorum oscitantia motam non restituam vocem, qua reposita lux oritur loco ».

Adolph. *Dureau de Lamalle,* quum Vaticanum codicem et commentarios Pii ob oculos haberet, pessimam Aldinæ editionis lectionem *aspri... ponti* impavide recepit, addiditque in var. lect. « Mihi lectio illa, quam Pius memorat, maxime placet; item Burmanno placuit: quare in textum admisi ». Duplex error: nullam enim Pius istius lectionis mentionem facit; quodque Burmannus de Vaticana lectione, a Pio memorata, pronuntiavit, id Adolphus *Dureau de Lamalle* de Aldina falso intellexit. Periculum est, ubi quis tam leviter versatur in critica, ne lector ab uno errore æstimans, totam editionem aspernetur: quod malum Deus avertat!

V. 217. *Insula Sarmaticæ Peuce stat nomine Nymphæ;*
Torvus ubi, et ripa semper metuendus utraque
In freta per sævos Ister descendit Alanos.

« *Torvus*, quia taurinis capitibus et cornigeri fluvii a poetis finguntur. Sic Burmannus. Vir doctus autem (Jortinus) in Misc. Obss. vol. IV, p. 192, hoc *torvus* respicere putat *ad accolas feroces et barbaros*, et eadem quidem ratione, qua fluvius Indus *niger* dicatur Claudiano, in Probi et Olybrii Cons. v. 170. Sed quæri possit, anne isto Claudiani loco, uti apud eumdem Stilich. I, 156, Indus non fluvius, sed homo (*Indianer*) sit. Præterea vero ista figura orationis ob sequentes *Alanos* huic loco non satis accommodata videtur. Quid enim? nonne Valerius tum dixisset, accolas descendere in freta per accolas? Maneat igitur Pii et Burmanni explicatio. » Sic Wagnerus.

V. 228. *Qualis sanguineo victor Gradivus ab Hebro*
Idalium furto subit, aut dilecta Cythera.

Eximia pulchritudine est ille omnino locus qui intra versus 228-240

continetur. Hic vivit et spirat omnis illa veteris Mythologiæ poetica suavitas. Haud scio an summus ille pictor, Nostras *David*, posterioris suæ, immo, ut veremur, postremæ tabulæ cogitationem inde duxerit: idem certe est, apud utrumque pictorem vel poetam, argumentum: ac versus huic notæ præfixi, possent epigrapheu Davidis tabulæ præstare. Nec non in cæteris versibus conveniunt plurima: *Jam vacat, et fessum ... adsunt unanimes* Gratiæ, *hortatorque Cupido...* arma *exuit... ipsa suam duplicem Cytherea coronam donat... novus implevit vultus honor.* Hæc legens mihi videor argumentum Davidicæ tabulæ descriptum legere, immo pictam ipsam ob oculos habere.

V. 232. *Adsunt unanimes Venus, hortatorque Cupido:*
Suscitat affixam mæstis Æetida curis.

« Nihil mutare volui, inquit Wagnerus; offendit tamen hoc, quod *Cupido* et ad verbum *adsunt* et ad *suscitat* referendus sit, quod vix ferri potest. Cui incommodo ut mederer, majorem post *Cupido* distinctionem, quam editiones ante Burmannum præferunt, restituendam existimavi, deinde vero pro *suscitat adfixam*, in quo injucunda ad aures sunt *at... ad*, malim legere: suscitat *hic* fixam, cui tum optime respondet sequens *ista.* Sic omnia recte et ex ordine procedent. »

V. 235..... *ipsa sua duplicem Cytherea coronam*
Donat, et arsuras alia cum virgine gemmas.

« *Duplex corona*, inquit Wagnerus, nihil aliud esse mihi videtur cum Harlesio, quam duplex cestus, quorum uno mammas, altero paullo inferius ventrem cingebat Venus, de quo vide Winkelmanni Hist. artium, lib. IV, cap. 5, edit. Francogall. Huberi, t. II, pag. 177. Dissentit tamen ill. Heynius ad Virgil. Æn. I, 655, qui *duplicem coronam* intelligit diadema aureum, gemmis distinctum; Flaccum enim se ipsum interpretantem subjicere *arsuras olim cum virgine gemmas.* Hoc spectat ad Creontis, Corinthiorum regis, filiam Creusam, quacum conjugium Jason inierat; quod ita ægre tulit Medea repudiata, ut Creusæ coronam naphtha perunctam dono mitteret, qua igni forte admota, palatium cum ipso Creonte et filia conflagravit ». — Potior tamen nobis videtur Heynii explicatio.

V. 239. *Sic ubi Mygdonios planctus sacer abluit Almo,*
Lætaque jam Cybele, festæque per oppida tædæ.

« Comparatur Medea, inquit Wagnerus, cum Cybeles sacerdotibus et aliis huic deæ devotis, qui, quum per aliquot dies brachia cultris acutis pupugissent atque incidissent, ultimis diebus Megalesiorum, hoc enim nomine veniebat Romanis in honorem Matris deorum instituta solemnitas, lætitiæ se dabant. Bis dies hos festos memorat Valerius, III,

232 sq. et VII, 635, neutro tamen loco tam copiose, quam nostro, cujus ergo singula videamus. » — Sequitur interpretatio quam vide pag. 188. Ovidii versus, quos hoc loco laudat Wagnerus, hic apposuimus, Fast. IV, 337:

Est locus, in Tiberim qua lubricus influit Almo,
Et nomen magno perdit ab amne minor:
Illic purpurea canus cum veste sacerdos
Almonis dominam sacraque lavit aquis.

V. 243. *Inde, ubi sacrificas cum conjuge venit ad aras*
Æsonides, unaque adeunt, pariterque precari
Incipiunt, ignem Pollux undamque jugalem
Prætulit, ut dextrum pariter vertantur in orbem.

« Pompa in templum ducta quum in navi vel litore locum non haberet, *ad* aram ducta, *una veniunt ad aras, pariterque precari incipiunt.* Præferebatur *ignis et aqua.* Facem præferre solebat puer patrimus, cujus personam nunc sustinere Polluecm fortasse Valerius jubet lusu verborum, puer enim ille dicebatur *prælux.* »

Sic Wagnerus. Credo potius ea mente Valerium unum e Dioscuris *prælucem* elegisse, quod eorum fronti *prælucebat* stella, ut plerumque fingunt poetæ; sic Valer. V, 367: *astroque comantes Tyndaridas.*

Sic pergit Wagnerus: « Porro memoratur *adoratio:* dextrum pariter vertuntur in orbem; dextra enim ad os (unde *adoratio*), admota corpus circumagebant. Plinius, Hist. Nat. XXVIII, 2: *in adorando dextram ad osculum referimus; totum corpus circumagimus.* Plura qui cupit, adeat interpretes ad Suetonii Vitell. II ».

Legendum censeo: *et* dextrum pariter *vertuntur* in orbem. Vide var. lect. Heinsiique notam. Burmannus in hunc morem hæc notat: « Recte Pius, Maserius, et Weitzius, hæc de *adoratione*, in qua se vertebant in dextrum orbem, si læta erant sacra, explicuerunt: et omnia de hoc ritu obvia, in tristibus et funereis sacris, in sinistrum se vertisse ».

Sic deinde Wagnerus: « Nec *auspicia* defuerunt, sine quibus nihil vel publice vel privatim agebatur; confer Cic. de Divinat. I, 16, et Valer. Max. II, 1. Apte igitur poeta auspicii vel potius thuris adolendi cerimoniam assignat *Mopso* auguri, qui tamen tristia omnia videbat portendi ».

V. 263. *Diramque premens clamore sororem.* — Τὸ *premens clamore* venatoris prædam sectantis imaginem præbet. Virg. Georg. III, 413: *Ingentem* clamore premes *ad retia cervum;* et Æn. I, 324.

V. 264. *Atque hanc.* — Legendum forte: *Usque hanc.*

V. 286. *Perque ratis supplex vox remigis illa magistros.* — « Locus similis, IV, 647, sed noster depravatus, cui non unam labem adsperserunt librarii. Varia tentarunt interpretes, ut nitori suo locum restituerent,

quorum commenta quum enumerare longum esset, ea tamen afferam, quæ lucem quamdam affundere videntur. Et Heinsius quidem conjicit, vel: *Perque rates supplex it remigi, et inde magistris;* vel, *Ter quater his supplex vox erigit illa magistros.* Withofius (*kritische Anmerk.* Düsseld. 1799, *St.* 5, *S.* 48): *Perque rates supplex volat et premit ille magistros.* Liceat et mihi hariolari. Quid si legas: *Perque rates una est* vox remigis *atque magistri?* In quo si falsus sum, πρῶτον ψεῦδος in eo fuit, ut hæc tali conjectura tota oratio aptius necti posse videretur: Absyrtus, v. 285, oraverat viros; jam vero, quid his precibus effectum esset, narrare voluisse poetam opinatus sum. Offendit in primis τὸ *supplex* ob præcedens *orans;* rejecta igitur litera *s* quæ librarii incuria ex *ratus* sequenti voci adhæsisse videbatur, habebam *upplex*, unde facilis transitus ad *una est*, etc. Sic etiam, ita putabam, cum v. 287 oratio melius cohæret: Absyrtus orat viros: una eademque vox obsequiosa est omnium, nec voce tantum promptitudinem declarant, sed manus statim admovent operi, *intorquent undam,* etc. Consulueram et cl. *Ruperti*, qui, quoniam Burmanni codex habet *vexilla magistros*, ita forsan legendum existimat: *Perque ratis urget* (excitat, incitat) *remos*, h. e. remiges, *vox alta magistri*, vox clara hortatoris remigum, κελευστοῦ. Quam emendationem, codicis quippe auctoritate firmatam, meæ præferendam esse sponte lubensque fateor. »—Sic Wagnerus. His addemus conjecturam Adolphi *Dureau de Lamalle* sic emendantis: *Perque ratis supplex remeat vox illa magistros.*

V. 307. *Non una Minyæ formidine surgunt.* — *Non una* Pius explicat *communi*, Burmannus *varia.*

V. 312. *At tibi quæ scelerum facies, Medea, tuorum?* — Insignis apostrophe, affectu plena, et grandi morum documento gravissima.

V. 319. *Haud sinit extrema Minyas decernere pugna,*
Nec numero quoniam Colchis, nec puppibus, æquos.

« Istud *quoniam*, inquit Wagnerus, locum habere non potest, nec pro *nempe*, *nimirum* posuisse censendus est Valerius. Aldina habet *cernens Colchis*, quod ad sensum optime quadrat, hoc tamen habet incommodi, quod versiculo proxime antecedente *decernere*, proxime sequenti *cernit* occurrunt. Malim igitur Burmanno accedere, qui *æquos* mutari jubet in *æqui*, cui si obtemperes, retineri *quoniam* potest. Fortassis legere etiam queas *jamjam.* »—Burmanni notam in contrarium sensum detorsit Wagnerus: nil enim mutandum censet Burmannus, monetque similem alibi sæpe occurrere constructionem.

V. 325. *Inque unum pariter mare protinus omnes Infesto clamore ruunt.* — Adolphus *Dureau de Lamalle*, omissa Vaticani codicis mentione qui tamen *unum* et ipse præfert, notat, monente Heinsio, lectionem hanc niti codice Regio, declaratque hoc nomine, Matthiæ, regis Hungariæ, codicem

designari ; quæ res eum falsum habet : nam *codex Regius* apud Heinsium, est Suecorum regiæ bibliothecæ codex. Vide Nicolai Heinsii præfationem, hujus editionis vol. I, pag. XCV.

V. 333. *Simul in vultus micat undique terror.* — Pius explicat : *fulgura et fulgetra oculos impetunt*, et conferri jubet hunc Virgilii locum, Æn. I, 90 : *crebris* micat *ignibus æther*. Posset hæc interpretatio confirmari et hoc Virgilii loco, Æn. VIII, 431 :

> Fulgores nunc *terrificos*, sonitumque, *metumque*
> Miscebant operi.

Et hoc Valerii, IV, 661 :

> Sic ubi multifidus ruptis e nubibus *horror*
> Effugit, et tenebras nimbosque *intermicat* ignes,
> *Terrifici*que ruunt sonitus.

Sæpe tamen cum *timore*, proprie adhibito, occurrit *micare*. Sic Ovid. Fast. III, 36, *Terreor admonitu, corque timore micat ;* Heroid. I, 45, *Usque metu micuere sinus.*

V. 337. *Transferat ergo meas in quæ volet oppida dotes.* — Illius consuetudinis, quam memorat Wagnerus, plura occurrunt apud Homerum veteresque poetas exempla. Vid. Homer. Il. XVI, 178 : Ὅς ῥ' ἀναφανδὸν ὄπυιε, πορὼν ἀπερείσια ἕδνα. Ibid. 190 : Ἠγάγετο πρὸς δώματ', ἐπεὶ πόρε μυρία ἕδνα. Vide quoque Il. XXII, 472, et Apollon. I, 975.

348. *Sed pice, sed flammis, et olentes sulfure crines.* — Legendum credo : *sed olentes.* Sic apud Ovidium occurrit ter repetitum *sed*, Metam. V, 17 :

> *Sed* grave Nereidum numen, *sed* corniger Ammon,
> *Sed* quæ visceribus veniebat bellua ponto
> Exsaturanda meis.

Vid. Quintil. IX, 3.

V. 367. *Et tandem virgine cessit.*—Dicitur *virgine cessit* quemadmodum *cedere loco, vita, bonis.*

V. 374. *Abscessit tandem, vanaque recedit ab ira.* — *Abscessit* et *recedit* in eodem versu non bene conveniunt ; quid si legas *resedit ?* Sic Virgil. Æn. VI, 407 : *tumida ex ira tum corda residunt.*

V. 375. *Et tanta de clade ratis.* — Recedere *ab* ira et *de* clade, non bene. Jungendum est igitur initium hujus versus cum sequentibus : *et de tanta clade ratis defertur in latus sinistrum*, etc.

V. 390. . . . . . . *qui non furtis, nec amore nefando*
Per freta, sed sola sese virtute sequantur.

Furtis emendatio est Heinsii, nimis leviter, ut mihi videtur, recepta. *Furiis*,

codicum et veterum editionum lectio, vehementior est, et ardori Medeæ pingendo magis accommoda. *Furtis* conveniret, si de Jasonis amore sermo esset; sic Virgil. Georg. IV, 346, *Martisque dolos et dulcia furta;* sed *furiis* et *amore* ad Medeam pertinent: rogant nempe Jasonem Argonautæ ne unam feminam quæ *furiis* et *amore nefando* abrepta ipsum *sequuta* esset *per freta*, potiorem haberet tot viris fortibus, qui et ipsi ducem eum *sequuti* essent, sed *virtute sola* compulsi.

V. 393. *Id tempus enim!* — Recte Pius id per interrogationem et indignationem dici notat: an, id tempus Veneri et thalamis idoneum?

V. 407. *Ignorare sinunt, decretaque tristia servant.* Post *servant* subaudi *sub pectore*, et conf. Virg. Æneid. I, 40: *Quum Juno æternum servans sub pectore vulnus.*

V. 434. *Meque ecce, nefas! et reddere possunt.* — « Ita vulgata, inquit Wagnerus, sed admodum frigide: non poterant tantum, sed volebant etiam, urgebant tradi; consentientibus igitur pluribus et libris et interpretibus reposui *poscunt*, scil. abs te, ut reddas ».

Lectionem *poscunt* Maserius protulit; quam unde petiverit nescio; lectio codicis Bononiensis et veterum editionum, *possunt*, æque bona mihi videtur. Quum Vatic. codex habeat *poss*, libenter legerem *possent.*

V. 440. *Atque aliquid dubitaret amor! Quin nunc quoque quære*
Quid jubeas. Heu! dure, siles, magnumque minatur
Nescio quid tuus iste pudor.

Wagnerus vulgatam sequutus habet: *quin nunc quoque quærit, Nescio quid, tuus iste pudor,* quod sic explicat: « Hæc de industria obscurius effert Medea, hoc tamen vult: Video, te animo aliquid volvere, quod tamen dicere te pudet, ut nempe artibus meis magicis in perniciem fratris utar ». — Prototypi codicis auctoritate fretus, restitui *quære* in fine versus 440, sequentemque versum huc revocavi, de quo vide varias lectiones.

V. 447. *Vociferans; qualem Ogygias quum tollit in arces*
Bacchus, et Aoniis illidit tympana truncis.

« Locus corruptus, ait Wagnerus. Recte quidem habent *Aonii trunci*, in montibus Thebanis decerpti rami, uno verbo thyrsi; sed his thyrsis Bacchus illidit tympana? Hoc equidem non intelligo. Verum vidisse videtur Heinsius in eo, quod Vaticanum sequutus, qui pro *tympana* habet *tyana*, reponi *thyada* suadet, sed intactum reliquit alterum ulcus, quod insidet verbo *illidit*. Forsan dicere possis, poetam audaci phantasmate deum thyadas in furorem excitantem sistere, ferientem, flagellantem ita Bacchas, ut thyrsi frangerentur, quæ significatio est verbi *illidere*. Si qui tamen, in quibus ipse nomen profiteor meum, afflatum omnino vehementiorem indicari existiment, lenius saltem aliquod verbum circumspi-

ciendum, et eum Burmanno vel *instigat*, vel *impellit*, legendum. Posterius malim eam ob causam, quod Valerius ipse, III, 265, ubi itidem de Thyadibus sermo, eodem verbo utitur: *impulsæ se jam deus agmine matris Abstulit;* conf. etiam locum nostro simillimum, V, 80: *Bœotia qualem Thyas et infelix cuperet vidisse Cithæron.*»

Virgilium respexit Valerius, Æn. IV, 300, ubi Dido, Æneæ profectione sibi nuntiata,

> Sævit inops animi, totamque incensa per urbem
> Bacchatur: qualis commotis excita sacris
> Thyias, ubi audito stimulant trieterica Baccho
> Orgia, nocturnusque vocat clamore Cithæron.

Nihil mihi videtur mutandum hoc Valerii loco; supplenda tantum aliquot vocabula, per ellipsin omissa: Medea *refugit vociferans*, *qualis* vociferatur femina (Thyas), quum illam *Bacchus tollit in arces Ogygias*, etc.

V. 459. *Procedit non gentis honos, non gloria magni
Solis avi.*

«*Non procedit* Burmannus, quod miror, exponit: nihil juvat, nihil efficit apud Jasonem. Quidni prodit, incedit, in conspectum venit, orta luce, *mane*, quam ipsam vocem loco *magni* ponere possis?» — Sic Wagnerus.

V. 461. *Qualis erat quum Chaonio radiantia trunco
Vellera vexit ovans.*

Ante hunc versum legitur vulgo: *Quid dubitas? heu, dure, siles? magnumque minatur.* Vid. supra not. 440. Wagnerus vulgatum ordinem sequutus, cohærentiæ defectu laborat: «Satis abrupta, inquit, nec apte cohærens oratio, cui incommodo mederi possis, si suppleas, prodit primo mane Jasonemque compellat: *Quid dubitas?* etiamnunc aperte non dicis, quid timendum mihi, aut sperandum sit? *heu! dure, siles*, quid constitueris, facile ex silentio tuo colligo; *magnumque minatur*, magnas minas, iras vultu præfert. — *Chaonius truncus* est ipsa navis Argo, nempe ex silvis Dodonæ, urbis Epiri (Chaoniæ), oraculo insignis, excisa, vel potius pars ejus, quæ vim loquendi atque vaticinandi haberet, de quo vide lib. I, 2 et 303. Sensus igitur hic est: *Talis nunc erat Medea*, suæ sibi conscia magnæ potentiæ, qualis, quum Jasone comite vellus aureum *ovans*, triumphans navi inferret».

Minatur, hoc versu, et *minis*, vs. 464, mutationi non obstant: nam versus 464 subreptitius est; vide not. subseq.

V. 464. *Mœstus at ille minis et nota Colchidos ira.* — Hic versus, quum absit a Vaticano codice, Valerii non est: in Bononiensi codice, juncturæ causa, primum adjectus, in omnes postea editiones adscitus est.

V. 468. *Mene aliquid metuisse putas?* — «Sic recte, ait Wagnerus, non *meruisse*, uti legunt nonnulli: respicit enim Jason ad hæc Medeæ dicta, versu 436: *nimio comitum ne cede timori.*»

ARGONAUTICON

LIBER NONUS

EX APOLLONIO

INTERPRETE PIO

ARGONAUTICON

LIBER NONUS,

EX APOLLONIO,

INTERPRETE PIO.

Nunc mihi, Calliope, primæ ratis ausa canenti,
Erroresque ducis varios, iterumque remensum
Æquor, et Adriaco lustratas marmore terras,
Adspira : tu sola deum Pataræa tenentem
Noscere regna vales, sacrosque haurire liquores;
Tu potes Aonios mecum lustrare recessus.
  At vigil igne gravi, scelerisque agitata furore,
Colchis adest; lacerumque sui caput impia fratris
Projicit in patriam classem : defixerat hostes
Et res, et novitas, tantique piacula monstri,
Naufragiumque recens, et visæ mortis imago.
Non sinit attonitos regina quiescere, et acrem
Eductum mediis Acherontis vallibus ignem,
Accensumque super magicis per transtra venenis
Hostica conjecit: flagranti turbine pinus
Deleta, in cineres piceasque abit usta favillas.
Nec contentus eo Stygius rapit æquoris ignis
Viscera, et undantem populant incendia pontum:
Tantum herbæ, mens, lingua valent, Hecatæaque verba!
Adjuvat, et sociis cinctus dux Thessalus urget,

Fortunæque instare parat, divumque favori.
At Colchi quamvis armis et milite præstent
Innumero, armatam pubem tamen usque reducunt
In loca tuta maris, viso per transtra furore
Ignis, et adverso Minyis consurgere bello:
Vulnere perculsi gemino, jactura ducisque
Terrificat mentes, et acerbo concutit æstu.
Emicat Æsonides inimica corymba revellens,
Rostraque perfringens Argois æmula rostris,
Nec minus et laterum tabulas perrumpit inertes.
Non secus in molles pernix si forte columbas
Incidit accipiter, cadit hæc laniata cruentis
Unguibus; illa ruens resupino pectore rostrum
Experta, alarum cadit exagitata fragore,
Aut plumis nudata suis: sic fluctuat agmen,
Et turpi dat terga fugæ; subsistit Iason
Contentus vicisse feros sine sanguine Colchos.
Olli fortunam adversam, regisque superbi
Invictam precibus mentem, præduraque corda
Æetæ, natoque super mala tanta perempto,
Volventes animo, statuunt concordibus urnis
In mare mox Cronium festino flectere remo.
Fulmina sed vibrans prohibet Saturnia Juno.
Postremo mores, rabiemque Cytæidis oræ,
Barbaricique iras regis furiasque perosi,
In varios abiere locos, cunabula gentis
Prima futura suæ: hi qua sese hospita fundit
Insula, ubi Absyrti cognomine terra vocatur,
Terra ducis grati monumenta perennia servans:
Ast alii latus Illyricum, Cadmæaque juxta
Culmina substructæ quæ surgit in æthera turris,
Encheliisque viris juncti vixere coloni

Montibus in celsis: ubi vasta Ceraunia in astris
Erumpunt, flamma Jovis exagitata frequenti:
Unde datum vastæ rupi per sæcula nomen.
Quum primum peregrina novæ manus appulit oræ,
Certatim nectit gaudens retinacula terræ
Hylleæ, qua pube frequens supereminet æquor
Insula; at Hyllees venientibus obvia Colchis
Signa ferunt pacisque notas: ab Apolline dona,
Quum leget has oras, atque alta secabit Iason,
Fatales tripodes terra quacumque locentur,
Sic Clario dictante deo, possessor ab hoste
Vincetur nunquam. Quin Phœbi munere felix
Nunc etiam diversa latet, fruiturque serena
Pace ferax regio, mortalibus invia cunctis.
Non Hyllum regem inveniunt, quem Ægeis amanti
Alcidæ peperit Melite Phæacide terra;
Cui vixdum pubente gena culta insula sordet:
Quippe feri regitur sub nutu pressa tyranni
Nausithoi; mare sed Cronion penetravit, agens huc
Indigenam populum, et Phæacis robora terræ.
Succedit mox Nausithoo, quem agrestibus armis
Mentores occidunt pro captis arma ferentem
Et propugnantem regni sua jura juvencis.
Dicite Pierides, quanam ratione per oram
Ausoniam, terramque Ligustida, Stœchades et quæ
Dicuntur, signa Argolicæ sint certa carinæ.
Utile quod duxit Minyas, quid abire coegit
Tam longe in Latios fines, terrasque repostas?
An Jovis ira tulit fœdatis turpiter aris
Cæde ducis Colchi, atque Ææe virginis ausu?
An lavet ut Nymphe commissa piacula, quærunt
Italiam, sedesque deæ, Circeia regna?

Hæc latuere ducem Argolicum Minyasque feroces
Eminus Hyllæum sulcantes puppe profundum.
Insula militibus sic cessit tota comatis,
Quos juvat innumeros implere Liburnida terram,
Insula quæque truci circumdatur obvia ponto,
Issaque, Dysceladosque, et pinu dives Imerte.
Dein Corcyræos Argo subit acta recessus,
Huc ubi Neptunus remorari Asopida jussit
Insignem capitis cultu Corcyran honesto,
Ictus amore gravi, longe a Phlœuntide terra.
Hanc nautas pelagus sulcantes undique apertum
Dum cernunt nigram prædensis arboris umbris,
Corcyran Veteres referunt dixisse Melænam.
Hanc ultra et pulchram Meliten, altamque Cerosson,
Dum gaudet ventis pubes Argiva secundis,
Radere Nymphæam properant: hic pulchra Calypso
Atlantis populos placida ditione regebat.
Quum subito montes, porrecta Ceraunia, mœstis
Occurrunt Minyis; præsens non defuit ausis
Juno, procellosi consternens dorsa profundi,
Aspera quos portu Electris suscepit amico.
  Ecce autem attonitis humana voce carina
Remigibus propere increpuit, quam bellica Pallas
Aptavit pridem structam e Dodonide silva.
Venturos canit errores, canit et Jovis iras
Vocibus humanis, stellati conscia cæli.
Quin pelagi ambages memorat, sævasque procellas
Non manibus, nullaque dari dissolvier arte,
Ni mortem Absyrti Circe, cædemque piaret.
Mox jubet Œbalios pelagi immortalia fratres
Numina supplicibus placare infensa querelis,
Certus in Ausonias quo cursus provehat oras,

Incidat in Circen donec Pagasæa carina,
Barbarica Circen Persa atque Hyperione natam.
Sic visæ Minyis tabulæ resonare loquaces.
Tyndaridæ actutum surgunt, et supplice dextra
Concipiunt pia verba deis, pia tura ministrant;
Ast alii heroes suspiria pectore ducunt.
Ulterius propere velis protruditur Argo,
Donec in Eridani tandem transvecta fluenta est.
Huc Phaeton, rutilo percussus fulmine pectus,
Semicremus cecidit, Phœbeo lapsus ab axe,
Quem vasti cepere lacus, stagnansque Padusa
Vulneris ardentis pueri correpta vapore;
Nunc etiam gravibus miscetur odoribus unda,
Unda frequens nimium : non hanc pernicibus alis
Transeat, in liquido volitans vaga gurgite præpes.
Virgineus chorus Heliadum, super alta sedentes
Extensis foliis riparum brachia, fratris
Tristia fata gemunt, cognataque funera ducunt.
Gutta superciliis crebro stillantibus exit
Electri in gemmas, Phœboque exusta calenti
Flumineis tandem concreta nitescit arenis;
Horrisonis Boreas quum litora flatibus illa
Verberat, et nigræ quum fluctuat unda paludis,
Eridani subeunt latices, volvuntur et amni
Frusta coacta, Notis pluviisque undante fluento.
Fama tamen prisca est Celtis auctoribus, illas
Esse dei lacrymas Clarii, dum plorat ademptum
Lampade fulminea natum, radiosque resumens
In lacrymas totus cedit deus, imputat ipsis
Mœstus equis nati casus, et verbere sævit,
Quando ultra Boream venit, montesque nivales,
Et cælum liquit, patrisque minantia verba

Perpessus nati causa, quem dia Coronis
Concepit ripis Amyri pingui in Laceria.
Non Minyis, fœda pollutis cæde, labantem
Gaudia pertentant animum, Cerealia dona,
Ingrati latices Bacchi; quin naribus hærens
Teter odor miseros crudeli tabe peredit,
Semiusto Phaethonte Padi prope dorsa profundi.
Accipiunt etiam gemitum lugentis acerbe
Heliadum turbæ: harum oculis it tristibus humor,
Palladio quales manant de cortice guttæ.
Mox abeunt, Rhodanique secant immensa fluenta.
Hic autem Eridani præceps illabitur amnem,
Et junctus strepitu ripas præradit acuto,
Extrema veniens tellure, ubi cardine operto
Sunt caligantis portæ et cæca atria noctis,
Unde cadens præceps hac litora fertur ad ima
Turbidus, Ionioque fremens bacchatur in alto:
Illac Sardoum rapido petit impete pontum,
Flumineos latices septena per ostia mittens.
Per quem Graia lacu ratis est pro viribus acta
Hyberno, linquit dum Celtica rura juventus
Thessala: fertur enim sinuosas plurimus undas
Intrare Oceani, quæ si Pagasæa subisset
Navis, in ignotis periissent fluctibus omnes,
Visere nec noti potuissent æquoris oras.
At Juno cælo effulgens, cæloque relabens
In terras, dedit Hercynio de vertice signum,
Unde omnis concussa cohors formidine vasti
Clamoris, graviterque deæ summa arce tonantis.
Heroes cæli monitu rediere, viamqu e
Agnoscunt fidam, et melioris gurgitis undas.
Litora continuo rapido allatrata profundo

Deveniunt Gallorum oras; quas prævia Juno
Monstravit juveni Æmonio; volat acta carina.
Dux Ligures ignotus obit, quod Iasona carum
Nube dea involvit, nigroque obtexit amictu.
Ast illi media penetrant jam cærula fauce,
Stœchadas et reduces linquunt fratrum arte Laconum
Adjuti, unde illis statuere altaria Graii,
Sacraque perpetuo nautis celebranda futuris.
Mox cursu Æthalia transmittitur insula certo,
Qua placitum fessos relevare laboribus artus,
Figere et arma loco; Græci cognomina portus
Nominis unde trahit, finxit nisi vana vetustas.
Hinc celeri fluctus medios Aquilone secabant
Litora quum primum Ausoniæ, Tyrrhenaque cernunt
Æquora, et Ææ portum subiere sororis.
Anchora tum fundat vocalis robora puppis.
Hic Circe liquido purgabat in æquore membra,
Terrorem noctis lymphis et somnia lustrans.
Sanguine nam thalami, domus, et penetralia cuncta
Flere videbantur; rapido nam turbine vidit
Involvi, ac totis volitare penatibus ignem,
Et simul omne nefas flamma crepitante cremari:
Quare diva potens, primi sub lumina solis,
Æquoris intrabat latices: fusumque per herbam
Omne genus pecudum florentes demetit agros,
Olim quæ magico Perseis carmine Circe
Junxit adoptatis informia corpora membris,
Taurisonosque lupos, et semihomines Centauros;
Et rabidæ rugit serpens connexa leænæ,
Semicaperque lepus, variarumque ora ferarum.
Heroes ingens cepit stupor: omnis Achivum
Effigiem Circes et lumina torva juventus

Aspiciens, genus agnoscit, diramque tyranni
Barbariem: Æetæ scires de sanguine natam.
Illa, procuratis somni terroribus, ædes
Ad proprias flectit, vultu blandita, manuque
Innuit, accelerent passus, atque atria visant.
Sentit inesse dolos, jussitque resistere pubem
Æsonides, socia tamen intrat Colchide Circes
Limina; ubi aurato jussi sedere curuli,
Elingues sine voce ambo, crudelibus alma
Justitia exagitans stimulis præcordia pulsat;
Præsertim caput ambobus quum tangeret illa.
Ipse autem terræ infigens dux Thessalus ensem,
Quo juvenem incautum excepit, terram aspicit, astra
Suspicere haud potuit demisso in Tartara vultu.
Actutum Circe patratam pectore cædem
Præsago volvit, quamvis irata nefando
Sanguine conspersis primum; mox supplice dextra
Carmina turbatos fundit placantia manes,
Et sontes a cæde novat, culpamque remittens,
Sollicitos crebro lustralibus abluit undis.
Desuper extendens porcum dea provida sacrum
Ense ferit sacro, retroque piantia verba
Murmurat hospitibus Jovis avertentia cædem;
Invocat atque mola placat pia numina fusa.
Quin etiam famulæ totas ramenta per ædes
Lecta ferunt: urit Stygios placantia manes
Liba, vaporatis lustrantia funus in aris,
Tristis ut immani cessaret Erinnys ab ira,
Afforet et placidus libatis Juppiter extis,
Sive peregrino polluti sanguine dextras
Vir mulierque forent, cognatave turba nocentum.
Mox jubet assideant sponda dux Thessalus aurea

Et tristis Medea simul: sermonibus horæ
Ducuntur variis; his proxima, filia Solis
Nomen, et insano tolerata pericula ponto
Quærit, et haud vanum putat evenisse soporem,
Et nigri simulacra dei; cupit ipsa loquentis
Excipere alternos sonitus. Micat ignea versans
Lumina virgineus pudor, erroremque fatetur.
Tum genus a Phœbo visa est, manifestaque proles.
Virgo maris narravit iter, metita labores
Æquoreos sacræ puppis, variosque meatus,
Voce patrem referens, formoso corpore matrem;
Barbaricum veluti pavido terrore parentem,
Insidias, tacitosque dolos vitaverit astu,
Juncta viro quem stirps extollit regia Graio.
Absyrti non ausa tamen crudelia fari
Vulnera, et ad sacras stratum crudeliter aras.
Ipsa tamen tacitis præsenserat omnia Circe
Dum titubat Medea notis, et fluctuat ore
Virgo verecundo, dum terræ quærit hiatus.
Sed tamen his nymphe flentis miserata dolores
Alloquitur: sic cogit amor, sic incitat ira:
« Proh miseram! qui turpis amor? quæ tristis Erinnys
Impulit in facinus tantum? quid credula virgo
Sperasti patris irati fore numen inultum?
Certe aderit, nec longa mora est, quum sceptra Pelasga
Diruet, ac pedibus calcabit adultera colla,
Ulturus natique necem, sævæque sororis
Dedecus, et Phryxi sublatum turpiter aurum.
Cede age, et infelix nostro procul orbe facesse,
Argolicis famulata viris: eat iste protervus,
Quem tibi conjugio patris sine fœdere junxti».
Sic ait: illa, gravi jamdudum oppressa dolore,

Desiccat lævi rorantia lumina peplo,
Donec Iolchiacus deflentem sustulit heros,
Et juvenem comitatus amor; suadere salutem
Incipiunt, blandoque levant sermone gementem.
Non Jovis uxorem latuerunt ista: sed Iris
Omnia prædixit. Juno Thaumantida verbis
Talibus alloquitur, pro caris anxia Graiis:
« Labere nympha polo, pernicibus incita pennis,
Et canam properare Thetin sub nostra marinis
Tecta jube latebris redeuntem et gurgite ab imo.
Sola meis prodesse potest Nereia nautis.
Rursus in æquorei deflectas litora ponti:
Hæreat Ignipotens facito, qui incude sonora
Nudatos humeros, exertaque brachia tollit,
Dum cadit alterno vibratus malleus ictu;
Ventosi cessent folles, dum transvolat Argo.
Præterea Hippotaden, ventis qui jura superbis,
Et leges præbere solet, celer Iris adito,
Cui nostræ retegas arcana silentia mentis;
Flabra mone cessent, quibus aere sæpe quieto
Flantibus alterne, tumidis freta concita surgant
Fluctibus, ut mollis spiret levis aura Favoni,
Donec ad Alcinoum veniant, Phæacidaque oram ».
Postquam effata dea est, summo volat Iris Olympo,
Præradens tenerum velocibus aera pennis.
Quam læto adstantem gremio vagus excipit Ægon
Nereidum in thalamis, ubi blando compulit Iris
Ad dominam sermone Thetin properare verendam.
Vulcanum mox stare jubet, Vulcaniaque arma.
Æoliam dein versa, specum penetravit, et auras
Compressit, ne adversa ratem vis auferat Euri.
Interea Nereum Thetis, æquoreasque sorores

Deserit, ætheriisque deam dea convenit astris.
Ipsa autem Thetidi regali comminus ostro
Juno sedens, tali affata est Nereida voce :
« Nunc mentis cape vota meæ, Thetis : impiger heros
Perpetuo nostrum suspexit numen Iason.
Dona pio pensare libet nunc debita cultu.
Ut prius insanis errantem fluctibus Argo
Servavi, supplex meque in tua regna recepi,
Eripuique maris cæco collisa furore
Arma ratis postrema sacræ; licet ignis, et igni
Juncta procella levem præstinxerit ante columbam.
Nunc quoque Scylla rapax, canibus succincta marinis,
Eructansque imos fluctus sulcanda Charybdis;
Protege, diva, viros : quid non abs te impetret una
Juno tua? infantem dilexi protinus, et tu
Sola recusasti lectum temerare jugalem,
Quum tamen immodico captaret Juppiter astu,
Juppiter insano semper correptus amore,
Alternoque initu genialia fœdera turbans.
Qui quamvis Stygias toties juraverit undas,
Misceri se nolle tibi, Stygis antra severa
Spernebat, tantum stimulabat cæca libido.
Donec eum veneranda Themis compescuit ore
Faticano : « quemcumque, inquit, Thetis alma cubili
Junxerit, ille suo major genitore futurus
Nascetur quicumque dea »; tunc solvit amorem,
Ne foret in cælo post ulla potentia major.
Ast ego, quæ tædis præsum dea sola maritis,
Sponte tibi regem delecta ex pube dicavi
Argolicum; thalamis etenim gaudebis; et orta
Progenies rutilum cæli est ventura sub axem.
Ante tuos thalamos cunctis de more vocatis

Cælicolis, juvit pariter tibi lumina ferre
Pronuba, et ardentes ad mutua fœdera tædas.
Verum age, diva, meis adhibe narratibus aures:
Elysios tuus in campos penetrabit Achilles,
Qui nunc Chironis dociles dat cantibus aures,
Naiadesque fovent divini lactis alumnum.
Hunc Medea virum melioribus aurea fatis,
Te sortita nurum, præstanti prole tenebit.
Quare tu socrus nurui auxiliare futuræ.
Quid tua tam nostros Minyas, rogo, concutit ira?
Hos Neptuni ignes, hos Æolus aere septus
Navifrago haud reditu prohibent, rabiesque Charybdis.
Ira tua offendit: tu lenia flamina laxa,
Et compesce animos, donec Phæacia regna
Attigerint; tu sola potes maria alta repente
Sternere, et auxilio virides concire sorores.
Ne sine præcipites rabidam penetrare Charybdim,
Ne voret ingressos; avidis nec trude latebris
Ausoniæ Scyllæ, genuit quam Phorcyn, et atra
Nocte vagans Hecate, quam dicunt esse Cratæin.
Tu nostros defende duces, tu comminus Argo
Protege, diva maris: cursus via parva futura est».
Sic ait: his autem Thetis est sermonibus usa:
« Si rapidi vehemens ignis cadet impetus, audet
Mens mea jam reditus facilem spondere salutem,
Flatibus occiduis Zephyri, qui vasta movere
Æquora molle solet, velisque inspirat apertis.
Nunc tamen æquoreas præstat visisse sorores.
Longa via est; tu, Juno, viros, tu, Juno, magistrum
Mane jube findant sacra vada cærula puppi».
Dixit, et ætheriis nymphe delabitur oris,
Cæruleas ingressa vias, pontique lacunas.

Auxilio poscit Nereidas alma sorores,
Junonis mandata ferens. Neptunia turba
Occurrit votis, insanum aggressa laborem.
Has mare in Ausonium mittit; pernicior ipsa
In Latium movet, et divinæ litora Circes,
Occiduasque maris Tyrrheni contigit oras.
Repperit heroas veniens Thetis ad mare juxta
Argolicam puppem: discum jaculatur Iason,
Ille pilam; validis incurvat viribus arcum
Æacides, promens lævato spicula ferro.
Magnanimo dextram jungit dea læta marito,
Nota viro soli, reliquis incognita Graiis.
Et: « Quid, ait, generosa manus, prope litora fluctus
Tyrrheni, resides neglecta laude sedetis?
Quum primum roseis Titonida fuderit ulnis
Juppiter æternum volvens opus, impiger Argo
Propellat remex monitu Junonis amicæ.
Æquoreæ accurrent Nymphæ, quæ vela secundis
Flatibus implebunt scopulosa per æquora, planctasque,
Afflantes facilesque vias, atque æquor amicum.
Nesciat Argolicus, moneo, mea corpora miles,
Ne factum id nobis graviores excitet iras ».
Dixit, et immensum subiit non cognita pontum.
Æacides visu subito perterritus hæret,
Attonitusque abiisse dolet; non viderat olim
Iratam, profugamque Thetin; causa acris Achillis
Deseruit thalamos, et Thessala tecta reliquit.
Terrenos artus Nymphe, moribundaque membra
Nocte super media urebat; mox, luce reversa,
Ambrosia ungebat teneri dea corpora nati,
Redderet æternum ut sacro medicamine Achillem.
Hic amens Peleus, viso in discrimine nato,

Oreque anhelantem, et nimio suffecta rubore
Lumina, conjugii penitus tunc immemor, altis
Deturbat Thetidem thalamis, velut igne nocentem.
Illa dolore gravi correpta, simillima vento,
In mare se liquidum, et Neptunia regna recepit,
Irata Æacidæ, atque humana cubilia vitans.
Conjugis ille tamen monitus heroibus ardens
Detegit, et stimulos cupientibus addit amicis.
Illi parentes monitis certamina linquunt,
Disponuntque toros, defessaque corpora curant.
Irriguo demum permulcent corpora somno.
Lucifer Idæo quum primum vertice fulsit,
Afflatu nautis Zephyri redeunte secundo
Transtra subit generosa manus, viridique profundo
Anchora contrahitur; quæ nauticus expetit usus,
Cuncta parant; dein vela trahunt, extendere loris
Connisi, et velant antennis cornua summis.
Æqua ferunt jam flabra ratem, ventique secundi.
Cernitur Anthœmessa procul; Sirenia dulci
Hic virgo accersit venientia lintea voce.
Has, Acheloe, olim peperit tibi Dædala cantu
Terpsichore; viridem Cereris tum forte puellam
Mulcebant, querulis concordi voce Camenis.
Alitibus similes partim, membrisque pudicæ
Virginis, organico quæ viscera fascinet ore.
Aeria sub rupe sedens Acheloia proles
Vocales nautæ insidias, et cæca tetendit
Retia, et innumeras reditu impediere carinas:
Sirenes prædulce malum, tormentaque blanda,
Mellifluo solitæ corrumpere corda veneno.
Litora radenti plectris vocalibus Argo
Concinuere deæ promentes florida vocis

Plectra suæ, et grato lenibant pectora cantu.
Carmine jam demulsa cohors et voce sonora,
Ad scopulos properasset iter, nisi providus Orpheus
Majestate manus tenuisset inutile votum;
Bistoniaque chely mellitis pectine Nymphis
Obloquitur, modulis modulos et carmine carmen,
Atque fides fidibus superans; ita pascit amicas
Decipiens aures, ne quo capiantur ab ore.
Sirenum solus cantu Teleontius heros
Demulsus, surgit magico male concitus œstro,
Et salit in pelagus præceps, Nymphasque requirit
Perditus; at Buten Cypris miserata revulsit
Faucibus e mortis miserum, et vada salsa vomentem.

Sirenes Argoa manus jam fugerat, ecce
Infames Scyllæ scopuli, immanisque Charybdis,
Frangere docta rates, fluctus ad sidera tollit;
Hos vorat, hos revomit, fundoque exæstuat imo;
Flamma tepens fervescit aquis, scopulique fragore
Astra petit vortex; caligine lucidus æther
Fuscus erat, nigra compleverat omnia nocte:
Quumque deus Lemni solita cessaret ab arte,
Fundebat calidum pelagi tamen unda vaporem.

Nereides atque alma Thetis modo transtra gubernant,
Temonis modo dorsa regunt, dum transeat altum
Puppis, et insidias divino remige vitet.
Non secus ac blandi delphines in æquore vasto
Turmatim comitare solent vaga lintea puppis,
Assultans hic fronte tenus; salit alter ab unca
Puppe celer; latus ille tenet, laterique propinquat
Blandus; at e navi consurgunt gaudia tota:
Nereidum sic densa cohors concurrit ad Argo.
Ipsa viam moderata Thetis procurat, et instat

Numinibus pelagi; vestes pia turba recingit
Nuda pedes, et crura simul, ne deflua læna
Turpiter æquorea Nymphis uvescat ab unda.
Contendunt votis æquis; modo sacra videres
Corpora in astra rapi, modo sub penetralia ponti
Intima; sæpe caput refluens supereminet unda.
Non secus ac florens pubenti Felsinus ævo,
Cui celeres ad cuncta pedes oculusque manusque,
Gestit, et enodes undantis corporis artus
In rapidam studet ire pilam, tenerosque sodales
Provocat, et grato firmat sua robora ludo.
In dextrum mox ire latus, mox ire sinistrum,
In faciem pectusque vides, modo dorsa supinus
Flectit, humi residet, surgit, retro abripit, ante
Projicit, ancipiti ne linea fluctuet orbe
Anxius: ille vago semper levis aere currit,
Nunc declivis humi, nunc æthere summus aperto.
Quam propere adducto torquentur spicula cornu,
Votaque sollicitæ discurrunt intima mentis,
Tantum pernici fugiunt vaga lintea velo,
Flamine et heroum validis impulsa lacertis.
Prætereunt cursu viridantia prata sereno
Trinacriæ, quæ pulchra boves armentaque Solis
Pascit; ubi similes mergis vada inire profunda
Aggressi Minyæ, Junonis jussa facessunt.
Hic ovium balatus iners, quæ florida rura
Tondebant levibus cythisis adoperta thymoque,
Mugitusque boum informis pervenit ad aures.
Roscida per querceta jacens hic filia Solis
Junior, armentum Phaethusa simillima patri
Pascebat, ramus palmas argenteus armat.
Lampetie tauros fulvo similes orichalco

Pulchra pedum quatiens sequitur, cui candida membra,
Candida formosæ pariter sunt membra sorori.
Nox ruit oceano, Minyæ quum cærula dorsa
Prætereunt maris angusti, dum rursus ab alto
Illucens Aurora polo comitatur euntes.
Est ultra Ionium pelagus fœcunda frequensque
Insula, ubi nimio tumefacta Ceraunia fluctu
Alludunt maria, et terrarum in viscera latrant:
Hic falcem superesse ferunt. Vos, dicite, Musæ,
Non decet humano divina effarier ore.
Intulit hac patri Saturnus vulnera læso.
Hanc Cereris culmos robustaque farra secantis
Esse alii memorant; habitaverat hanc quoque terram
Alma Ceres, spicas Titania monstra tumentes
Cædere falce docens, dum Macrida diligit ipsam.
Nomina tum Drepanes fuerunt celeberrima sacræ.
Phæacum fuit hæc nutrix: processit origo
Phæacum Nymphæ a genere, et cælestibus oris.
His vexata malis pontique laboribus, Argo
Trinacriis vastum in pelagus penetraverat auris.

ARGONAUTICON

LIBER DECIMUS

EX APOLLONIO

INTERPRETE PIO

ARGONAUTICON

LIBER DECIMUS,

EX APOLLONIO,

INTERPRETE PIO.

INTEREA Superum lenita Thessalus ira,
Emensoque mari, luctusque ignarus Iason
Obvertit proram, et melioribus appulit oris.
Hic molles inter populos libamina divis
Porricit Alcinous; qui, visa cominus Argo,
Et duce sidereo, medium quem lecta juventus
Ducebat regis placidam felicis ad urbem,
Gaudet, et hospitio lætus suscepit amico.
Phæacum plebs læta viro est, festique favoris
Signa parat, lætos ignes, ramosque virentes
Postibus imponit, choreasque et carmina ludit.
  Inter lætitias et festæ munera mensæ
Surgit amari aliquid : Colchorum classis, et ingens
Æetæ populus, magnis clamoribus actam
Soligenæ natam Phæacum in jura reposcunt.
Vis animi trucis et mores, et barbara corda,
In bellum furiasque rotant; decernere ferro
Fert animus : sed sceptra tenens certamina tanta
Alcinous dirimit, sedatque immitia cœpta.
His Colchis turbata malis, stimulata furore

Aretes genua amplexuque et supplice dextra
Reginæ tangit, passis per colla capillis.
« Adsis, o regina, mihi, placidoque favore
Adspira, genibusque tuis miserere puellæ
Supplicis, atque fero ne me, rogo, dede parenti.
Scis etenim quantum errori quantumque periclo
Obvia sit mulier: mea tunc præcordia movit
Dirus amor, vehemens et quæ movet omnia Erinnys,
Non furor: hoc novere faces Hyperionis astri,
Tectaque noctivagæ Perseidos orgia divæ.
Imprudens, regina, ducem, peregrinaque navis
Transtra subi, tristis stupor hæc persuasit, Erinnysque
Impulit in facinus: prudentia defuit orsis.
Non secus ac thalamis fueram impolluta paternis,
Talem me castus semper servavit Iason.
At veneranda mei, quæso, miserere doloris,
Fortunæ miserere meæ: tu diva maritum
Flecte, potes certe: quid enim non unica possis?
Sic tibi dî felix ævum, felicia regna
Dent, decus, et natos, et nullis sceptra periclis ».
Talia cum lacrymis Medea et supplice dextra
Fundebat faciles reginæ mitis ad aures.
Nil actum tamen ipsa putans, licet omnia caute
Curarit, Graios verbis sic mulcet amicis:
« Heroes, augusta cohors, divumque propago,
Servate incolumem, quæ vos servavit ab hoste
Incolumes, quæ cuncta dedit, quæ cuncta reliquit
Parrhasio genitor dives quæ possidet orbe.
His oculis, inquam, his oculis, sopire draconem
Vidistis mea verba ferum, spirantiaque ora
Taurorum æternos ignes, restinguere succis
Herbarum magicis, curvoque adjungere aratro;

Quæ mea, quæ me ipsam fidei imperterrita vestræ
Credere decrevi, et fulvis squallentia villis
Tegmina, quæ Graias essent ducenda per urbes.
Omnia quum vobis dederim, nil mi ipsa reliqui,
Hospitii præter divos, et fœdera dextræ
Jusque piumque datæ; vestrum defendite corpus:
Vestra ego sum, et vestro pars non indigna triumpho.
Cur sanguis, cur corda tepent? quæ robora vidi,
Quos animos, nostris pro mœnibus agmina quando
Ense metebatis Persæ? quum victor Iason
Cæsorum innumeros pedibus calcaret acervos?
Ergo qui magnos potuistis vincere reges,
Vincere relliquias, fugitivaque castra timetis?
Non pater hos mittit, fugiunt immane parentis
Barbaricumque jugum, violentaque jura tyranni ».

Prociduo sic fata genu; quicumque loquentem
Audiit, illam animo constanti et pectore firmo
Esse jubet; quatiunt hastas, pugnasque lacessunt.

Nox ruit, et terras somno demulcet inerti:
Graia tamen vigilat pubes, et pectore versat
Omnia, quæ belli fortuna alterna minatur.
Qualis inexhaustæ pernox operata Minervæ
Defletis mulierque toris viduoque cubili,
Pignora quam circum caro flent orba parente,
Devovet adversam sortem, miserosque hymenæos;
Mœret inops, lacrymis et lumina tristibus hument:
Sic Minyis maduere genæ, sic corda dolore
Anxia facta gravi, subitoque immortua casu.

Alcinous contra, venerandaque rege marito
Arete, dum nocte color vanescit ab orbe,
In stratis tum multa simul de virgine rapta
Consuluere suis; juvenem regina maritum

Obsecrat, et blandis demulcet pectora verbis :
«O dulcis conjux, oppressam Æetida curis
Exime, quæ Minyas fovit, cognataque Graii
Arma ducis, facilemque piis se præbuit ausis.
Proxima regna tenet nobis Argiva juventus,
Æetæ multum distantia regna tyranni.
Infelix quem non Hecateia virgo moveret?
Certe animum mentemque meam commovit; iniqui
Ne patris sub jura sinas adducier, orat.
Se putat esse pater læsum, quod cantibus anguem
Sopivit magicis, taurosque ad aratra subegit
Ignivomos pia virgo; trucem fugit anxia patrem,
Ac patris ingentes iras et barbara corda:
Munere quo, officiisque novis persuasus Iason
Perpetuos spondet thalamos, et fœdera lecti
Intemerata sui, patrias quum advenerit oras.
Ergo pios, rex juste, fove: perjurus Iason,
Si patri reddatur, erit; quin percitus ira
Præcipiti genitor vita spoliaret amantem :
In natas etenim proprias et pignora iniqui
Esse solent, posita interdum pietate, parentes.
Antiopam Nycteus pœnis affecit acerbis,
Et patris irati Danae perpessa furorem est.
Incensus nuper furiis miserabilis orbes
Sidereos Echetus natæ confodit acutis,
Proh! stimulis, adigitque ferus nunc frangere saxo
Hordea, candentesque mola fœdare lacertos».
Tantum effata, virum curas diducit in omnes.
Aretem his conjux solatus vocibus infit :
«Barbaricos nostro Colchos expellere marte
Non dubitem, sic virgo animum, sic flexit Iason.
Spernere sed timeo recti pia jura Tonantis ;

Nec præstat sævum Æeten contemnere longe
Regnantem: quis enim ditione potentior illo?
Ut qui Grajugenas bello vexare feroci
Possit, et Argolicum legionibus impleat orbem.
Expediet quare tristem componere litem
Judicio, nec te, conjux dilecta, latebo.
Si non juncta viro fuerit, virgoque manebit,
Æsonidæ a navi patrias revehetur ad urbes».
  Sic ait, et dulci concessit lumina somno.
Actutum prudens carum regina maritum
Deseruit thalamis; dominam comitantur euntem
Ad jussus famulæ celeres, quæ ponere nigras
In statione comas, redimiculaque apta solebant.
Præconem vocat interea, qui præpete cursu
Conveniat furtim Æsoniden: miscere repente
Fœdera connubii jubet, et genialia fulcra
Sternere, nec regem ulterius prece tundat inani;
Non thalamo abducet pactam, amplexuque mariti;
Si fuerit virgo, patrias revehetur ad oras.
  Sic ait: approperat præco ductoris ad ædes
Æsonidæ, Aretes dicturus jussa faventis,
Divinique animum Alcinoi; prope Palladis Argo
Repperit hos vigiles sumptis concorditer armis,
Hyllicium ad portum, et præclara non procul urbe.
Nuntiat his dominæ præco mandâta potentis.
Gaudia continuo mentem ductoris Achivi
Pertentant; proceres læti; sed lætior una
Virgo metu posito, lacrymisque serena fugatis.
  Actutum superis Minyæ cratera coronant
Nocte super media, lectisque bidentibus, aras
Constituunt, pariterque toros, genialiaque antro
Fulcra parant sacro, quæ quondam Macris habebat,

Macris Aristæi virgo, qui dulcia mella
Repperit, et pingues succos canentis olivæ.
Illa deum complexa sinu Nyseion, alma
Euboia genitum confovit Abantide nutrix
Infantem miserata; novo madefecerat ora
Arida melle Macris, quum ex flamma ferret Iacchum
Mercurius pernix, puerum quem dura ferentem
Juno videns, tota indignata facessere jussit
Insula, et ut sacro mandavit degeret antro,
Indigenas opibus, fœcundaque prædia ditans.
Hic Minyæ celebrare parant connubia festa,
Phryxæoque juvat lectos stravisse metallo,
Ut meliore toro major quoque gloria surgat.
Florilegæ occurrunt Nymphæ, quæ lecta canistris
Serta ferunt; stratos imbri lætantur odoro
Irrorare toros, festisque applaudere mensis.
Ardentes oculi Nymphis: luce atria fulgent;
Ambrosiæ per dorsa comæ, pluvioque madentes
Nectare, divinum fundebant vertice odorem.
Has genuisse ferunt Ægeum flumen: at illas
Collibus excelsis Meliteion: has nemus altum
Protulit, in viridi solitas colludere campo.
Impulit, Æsoniden magno dignata favore,
Juno Jovis consors, thalami ad convivia, Nymphas.
Exstat adhuc sacrum celebrati nominis antrum,
Medeæ formosus ubi genialia fulcra
Explicuit ductor, quum terra et pronuba Juno
Signa dedit, fulsit Nymphisque ululantibus æther.

Heroes contra validis concussa lacertis
Arma tenent, ne quo convivia festa tumultu
Pontica turbaret vesano turbine classis.
Thracius interea citharæ gratissima vates

Fila regens, cecinit lætas hymenæon ad aures.
Externis non hos thalamis speravit Iason
Concelebrare toros, patriis sed lætior oris
Ducere magnifico spectacula festa triumpho.
Hoc pariter Medea velit, sed numina sortem
Humanam alternant, nec certo vela favore
Nostra ferunt zephyri, præsensque assibilat aura.
Æsonides Colchisque, licet dulcissima libent
Gaudia, judicium tamen Alcinoumque verentur.
Quum subito ambrosiis rediens splendoribus Eos
Aeris abstersit tenebras, telluris et umbram.
Litora Phæacum roseo splendore renident,
Adveniente dea croceo Titonide peplo.
Interea surgit murmur, crescitque tumultus
Per fora, perque vias urbis; gens barbara, Colchi
Macridii surgunt distantes finibus agri.
Quum subito Alcinous solio subnixus eburno
Arbiter assedit juris responsa daturus.
In manibus sceptrum ex auro rex magnus habebat
Judicii socium, quo sanctum exercet honestum,
Juraque recta pio promit de pectore judex.
Phæacum patres serie per castra verenda
Incedunt; extra Minyas visura feroces
Mœnia, solemni procedit femina pompa,
Agrestesque viri occurrunt. Saturnia Juno
Judicii famam diffuderat ante futuri.
Hic agnum attulerat pinguem, vitulamque nitentem,
Ille Maronæo spumantia cymbia Baccho;
Thure vaporabant alii delubra Sabæo;
Cultaque purpureo mulier procedit amictu,
Aurifluo spectanda sinu, faciesque micantes
Ignibus alternis pepli sandicis Eoæ

Respondent, tremulique urunt laquearia tecti.
Hærent obtutu primo Phæacides, ipsos
Spectantes Minyas, et corpora diva virorum.
Inprimis natum Œagri mirantur hiantem
Carmina, quæ superos, quæ homines, quæ tartara mulcent.
Immistæ passim nymphæ concordia solvunt
Ora, deumque tori lætanti carmine adorant;
Solivagæ modo, nunc latum glomerantur in orbem.
Nam, bona Juno, tui fuerunt hæc dona favoris,
Prodere quæ Areten jussisti corda mariti.
Postquam sublimi solio sententia lata est
Decreto Alcinoi, tumida excandescere mente
Incipiunt Colchi, et fremitu indignantur inani.
Jura tamen didicere pati, justumque vereri
Judicium, atque animos posita feritate domare.
Mox subeunt iræ regis, fastusque superbi
Æetæ; non ullus erat tam pectore firmo
Tendere qui ad patrias auderet nuntius aures.
Ergo sollicito vexati corda pavore
Alcinoum rogitant felicia rura colonis
Tradat aranda novis; patriæque oblita larisque
Phæacum in populo pariter gens Colcha recepta est,
Cœpit et humanis ritus mutare ferinos,
Donec Banchiadæ bimari gens orta Corintho,
Ingressi tandem longo post tempore terras;
Opposita hos cepit pulsos mox insula, montes,
Summaque palantes tenuere Ceraunia Abantum
Nestæosque locos, allutamque Oricon undis.
Postera sed seclis demum volventibus ætas
Annua solemni celebravit tempore festa
Qua Nomio posuit Medea altaria Phœbo.
Alcinous tandem Minyis cedentibus ultro

Hospitii dona ampla dedit, dedit insuper alma
Arete, bissena sequi quæ Colchida jussit
Mancipia, in regis domibus Phæacidos oræ
Educta, et sanctos dominæ referentia mores.
Tempore dein parvo Drepanes lætissima linquit
Rura manus, zephyris auraque favente potita
Navigat, et fatis non tangit Achæida terram,
In Libycum donec penetraverit acta profundum.
Ambracios tetigere sinus, Curetiaque arva,
Et volucri velo Stinnas et Echinadas una
Prætereunt, Pelopisque vident surgentia regna.
Hic Boreæ furor, atque immensa procella ruentis
Perque novem noctes, totidemque reciproca luces,
Dispulit in Libycas volitantia carbasa syrtes.
Navibus hinc pelagi reditum natura negavit,
Limus ubique frequens, vortex, et inane profundum,
Spumantesque vomit sinuoso turbine fluctus,
Et tenerum erumpit dorsum flaventis arenæ.
Non hinc effugere est pedibus, pennisve levari.
Litora restagnant, pelagique furentis inundant
Insidiis, fluit ac refluit vaga tempore parvo
Unda ratem abripiens, quam nuda linquit arena.
Desiliere viri, tacito quibus icta pavore
Corda tremunt; quippe ampla vident deserta, quieto
Omnia plena metu; non hic pastoria balant
Agmina, nec riguos depascit victima saltus.
Tunc pavor heroas subiit, simulacraque leti,
Inque vicem tacito lustrarunt lumine vultus.
« Fallacem o terram! quo nos pepulere procellæ?
O utinam scopulis intercurrentibus Argo
Perpetuo nutans agitata timore fuisset!
Adversis melius fuerat freta cærula fatis

Tentantes periisse mari, periisse draconis
Impete pervigilis, taurique flagrantis ab ore.
Saltem si vetitum scopuloso vivere ponto,
Morte licet fugisse malum, fugisse dolores.
Nunc terræ margo tenet, æternumque tenebit ».
Ipse gubernator fortuna pressus iniqua,
Ancæus cunctis hæc verba dolentibus infit:
« O socii, occidimus, nec spes est ulla salutis;
Sors mala prosequitur miseros; hinc altus cremus;
Proficit aura nihil, quoniam tenet omnia limus,
Parvus et obscuris nimium furit æstus arenis.
Fracta corona ratis pridem et bona vincula sacræ;
Terra modo occurrit nobis, impervius humor;
Nos modo terrificat, mortisque minatur imago
Obstructo reditu, clausaque voragine puppi;
Consiliis opus hic: prudentia nostra vadoso
Succumbit superata mari, superata periclis.
Ergo alius puppi sedeat, si forte deorum
Spondet opem auspicio, meliori præditus arte ».
Sic fatur lacrymans, tantoque ex agmine cuncti
Dicta probant, probat et pelagi qui calluit iras;
Defixæ ac gelida cunctis formidine mentes;
Et fusis pallore genis, vox faucibus hæsit.
Quin torpent similes statuis heroes eburnis:
Non secus ima pavor crebro præcordia pulsu
Haurit, anhelanti juvenis quum fervidus ore
Munera Martis init coram duce, militibusque,
Vulnera et incerti miserantibus ardua belli;
Qualis et exspectans pestis postrema futuræ
Æger damna stupet, defixo in tartara vultu;
Qualis et immodico turbatus rusticus imbre
Qui ruit exundans sata læta, boumque labores;

Seu quando in templis delubra fluentia sudant
Sanguineum rorem, astrigero vel clarus Olympo
Sol media de luce silet, radiosaque celat
Lumina; et innumeris completur lucidus aer
Sideribus, quum Phœbus equos, rutilasque quadrigas
Dirigit obliquæ per summa cacumina zonæ.

Sed postquam longo serpentes tramite ad oram
Venerunt Minyæ, nocturnus et astra reduxit
Hesperus, amplexu misero per mutua vincla
Flebilibus pia colla premunt affatibus, atra
Veste caput tecti, nec nocte dieve levamen
Agnoscunt fessi, atque inopes, atque omnium egeni
Delituere neci expositi, famulæque vicissim
Turbatæ, uxori simul adgemuere Cyteæ:
Implumes veluti labuntur vertice summi
Quum volucres scopuli, miserabilis adstat acute
Mater avis clangens, passisque supervolat alis.
Litore ceu pulchro Pactoli divitis olim
Fundit olor prædulce melos, stagna Asia circum,
Eridanique lacus, et dulcia prata Caystri:
Sic Minyæ fulvo turpantes pulvere crines,
Insomnes miseris flebant sua fata querelis.

Ilicet assidua confecti tabe perissent
Ignoti, terra ignota, sine honore sepulcri,
Sollicitos miserata forent nisi numina, apricæ
Custodes Libyæque deæ; quæ vertice quondam
Pallada surgentem patrio, Tritonis in undis
Obviæ, adorato fecerunt numine numen.
Sol media super alta die convexa tenebat
Igneus, et Libyæ contristans lumine lævo
Litus arenosum insano succenderat igni;

Quum subito Æsoniden circumstetit agmine facto
Obvia Nympharum nubes : stupet anxius ille,
Atque deas veritus retro sua lumina flectit;
Quarum prima ducem verbis affatur amicis :
« Infelix, quæ tanta animum, mentemque peredit
Cura tuam, ductor? pelagi, terræque labores
Novimus exhaustos, et totum bella per orbem
Viribus Argolicis, vestrisque peracta lacertis.
Vocales terræ Nymphæ, pecorique regendo
Sedula turba sumus, custosque Libystidis oræ.
Verum age, rex, ne cede malis : quin fortis, et audens
Adversis occurre; deum felicior hora
Curret ope : patet in duris prudentia rebus.
Evigilent socii. Neptuni jam tibi currum
Atque rotas celeres solvet levis Amphitrite.
Mutua sed matri, Æsonides, nunc dona vicissim
Debentur vobis, quos sacra pertulit alvo,
Cujus et auxilio Danaas venietis ad urbes ».
Sic fatæ Libyes Nymphæ, propiora tenentes
Obscuræ loca, constiterunt, quas lumine Iason
Collustrans, dictis sic ora resolvit amicis :
« Salvete, o nemorum Nymphæ; cælestia nostrum
Non capio reditum spondentia verba, sed ipsos
Heroas cogens audita oracula pandam;
Multorum quoniam melior sententia semper. »
Dixit, et assurgens socios dux convocat omnes,
Fauce siti exusta, atque arenti pulvere siccus.
Ut leo per nemus amissam si forte leænam
Vestigans rugit, fluvii, vallesque profundæ
Voce gravi montesque tremunt præduraque saxa;
Agrestes horrent tauri, durique bubulci :
Sic ducis horribili strepuit vox magna fragore

Et rigido commixta sono est cogentis amicos.
Olli conveniunt mœsti : sublimis Iason
Nympharum monitus pandit, cælestiaque ora :
« Accipite, o socii, et placidas advertite mentes.
Tres mihi de numero Nympharum immane querenti
Occurrere deæ, succinctis nebride fulva
Corporibus, nivei supremo in vertice colli.
His dorsum incurvo nectebant cingula morsu.
Adstitit attonito propior chorus; insuper una
Ambrosia ostendunt deductis vestibus ora :
« Eia agedum, dux, pelle moras, sociosque revisens
« Evigilare jube, propriæque reponere matri
« Præmia materno dux integer æqua labori.
« Mox celerem currum Neptunus numine amico
« Expediet, celeresque rotas levis Amphitrite ».
« Non valuere acies animi internoscere mœsti
Numina fatidicis solventia vocibus ora.
Se nemorum dixere deas, miserosque juvando
Mortales, Libyæ pecudes et rura tueri.
Præterea quæcumque mari, quæcumque per orbem
Gessimus, esse sibi memorabant singula nota.
Nec penitus vidisse datum est hoc lumine Nymphas.
Sed medio tenebræ sepserunt aere divas,
Quæ nostros hebetare solent caligine visus ».
Hæc fatus. Stupuere animis nutantibus omnes,
Præcipue monstro Minyas agitante recenti :
Æquoreis immanis equus nam prosilit undis,
Effusis per colla jubis cervice superbus
Auricoma, cujus rorant aspergine membra
Vasta maris, cursuque notos, cursuque procellas
Provocat, hibernis pelagi inconstantior undis.
Quem visum subito Peleus miratus, amicis

Compositis, placida lenibat pectora voce :
« Neptuni currus, socii, super æquora cerno
Currere, quos manibus solvit pia mollibus uxor.
Ærumnosa parens, nisi nos oracula fallunt,
Sacra ratis fuerit, materno nomine digna.
Hæc validis humeris, hæc firmo robore tolli
Postulat in sicca quod surgit litus arena,
Quo pelagi properavit equus vestigia ferre ».
Æacidæ prudens placuit sententia cunctis.
Pierides dixere mihi; vos, credite vati,
Credite, vera loquor : vox nostras perculit aures
Pieridum, canit ore meo nunc Phœbus, et Evan.
Regia progenies, pulchroque in corpore virtus,
Heroique animi vires, ad litora navim
Avia subducunt, tabulas vexere loquaces
Tollentes humeris; bissena luce revecta est,
Noctibus et totidem, mox cælo debita puppis.
Quis regum ærumnas, curasque gravesque labores
Enumeret mortale sonans? sata semine divum
Nempe fuit proles, humeris quæ sustulit Argo.
Tantum vis animi cogit, tantum urget egestas!
Succedens tandem Libycæ Tritonidis undæ
Diva cohors, humeris deponunt fortibus Argo.
Interea canibus similes, quibus intima fervens
Exta coquit rabies, quærebant sicubi vivi
Manarent latices, fontisque argenteus humor.
Apparent nullæ per vasta silentia lymphæ.
Pervenere locos sacros, ubi pervigil anguis
Aurea servabat flagranti lumine mala.
Hic querula Hesperides complebant omnia voce.
Tum primum Herculeo superatus concidit ictu
Fraxineo impactus trunco; tantum ultima motu

Palpitat exiguo frigenti corpore cauda.
Suppositis vero capiti candentibus ulnis,
Hesperides tepidis fœdabant imbribus ora.
Improvisi adsunt Minyæ: venientibus illis
Signa dedit pulvis nitidam sublatus in æthram.
Monstra bonus divina repente agnoverat Orpheus,
Hortatusque deas blandis ita vocibus infit:
« Prudentes pulchræque deæ, seu numina cæli,
Seu terræ reginæ estis, nemorumque sacrorum,
Adsitis Nymphæ, o Nymphæ Oceanitides almæ,
Dicite ubi scatebris per summa cacumina labens
Profluat unda, sacerve liquor, quo viscera torrens
Intima anhela sitis populato e pectore cedat.
Quod si forte datum est fatis in amicius arvum
Et patrium rediisse solum, tunc munera grati
Innumera, et vestris primum libabimus aris,
Ac Minyas voto reduces damnabitis omnes ».
Supplicibus verbis sic fatus, numen adorat
Nympharum: faciles illæ miserescere mœstos
Incipiunt, herbasque docent uligine multa
Irriguas, quibus unda frequens cum murmure serpit
Somnifico, variis distinguens floribus arva,
Arboreisque comis; hic Hespera populus, Ægle
Versa subit sacras salices, ulmumque Erytheis.
His subito arboribus Nympharum pulchrior Ægle
Sic blandis Minyas verbis affatur egentes:
« Certe, diva cohors, rigidum quicumque draconem
Confecit pridem, qui nobis aurea mala
Servabat, vobis hic commoda magna paravit,
Sed lacrymas Nymphis æternaque damna reliquit.
Nescio quis sævus peregrino claviger orbe,
Corpore terribili atque oculis, cui fronte tremenda

Signa trucis micuere animi, latus hirta tegebat
Pellis, ab immani quondam detracta leone,
Cruda, rigens, inculta, ferox, ramumque ferebat
Palladiæ signum non illud pacis olivæ,
Atque habiles telis, quis bellua concidit, arcus.
Hic talis tantusque venit, qui perditus æstu
Atque siti consumptus, adit Tritona, lacumque
Palladium, cautemque gravi pede verberat heros;
Ictibus horrendi pedis exsiliere latenti
Pumice divini latices, et perspicuus fons,
Argento similes qui garrulus explicat undas.
Stratus humi bibit ille gigas e marmore aperto,
Quantum non vitula immodicos trahit ore liquores,
Quum populata thymum est, pratique virentis honores. »
His dictis Ægle optatas simul indicat undas.
Accurrit gavisa manus, votisque potitur.
Angustas veluti circum glomerata latebras,
Exilesque fores saxi formica recursat,
Aut properant grati muscæ ad libamina mellis,
Certatim ruit unda frequens, seque impedit una:
Sic densi scatebras Minyæ petiere liquentes.
Atque aliquis puro satiatus pectora rore
Gaudentes madido Minyas ita provocat ore:
« O utinam deserta illum nunc forte vagantem
Ostendant superos per clara pericla petentem! »
Turba frequens mox optat idem; vestigia nempe
Herculei pedis hic commota ostendit arena.
Alterni accingunt sese: pinnata propago
Accurrit Boreæ; pedibusque, Eupheme, citatis
Approperas; longeque oculos qui mittit acutos
Lynceus, et quintus celeri volat impete Canthus.
Quærere festinant socium, verum irritus omnis

Est labor, incerti redeunt, Calaisque volucri
Remigio alarum nihil exploravit amici
Alcidæ, aut celeri Canthus velocior Euro.
Canthe, graves Parcæ Libycis te protinus oris
Abstulerunt pecudes Libyci pastoris agentem.
Percussus saxo cadis, heu miserande! Caphauri
Pastoris manibus misso; qui patre superbus
Phœbigena exsultabat avo, Phœbique nepotem
Rustica turba vocat: peperit nam dia puella,
Quam jussit Libycis Minos habitare sub oris,
Divina tum prole gravem, ventremque ferentem,
Et propriam natam; dixere Acacallida nomen.
Hæc natum peperit Clarii de semine Phœbi,
Amphithemin; Garamanta vocant cognomine terræ.
Amphithemis demum mixtus Titonide nympha
Suscepit Nasamona ferum, fortemque Caphauron,
Deprensum occidit qui tum inter ovilia Canthum.
Sed non heroum dextras effugit acerbas,
Ut sævum didicere nefas: lux postera fulsit,
Adsunt lugentes, et tristia funera ducunt,
Defletumque diu terra posuere Libyssa.
Luce ibi et Ampyciden gemuerunt Mopson eadem,
Quem Parcæ domuere graves, et tristia fata;
Nec potuit sacro prævertere carmine cælum:
Nulla fuga est mortis. Parcæ fatalia nentes
Stamina, nostra secant præfixo tempora cursu.
Declinans medium solem, linguisque trisulcis
Crebra micans serpens viridi prorepserat alga.
Aggreditur celer adstantem, furtivaque figit
Spicula, et occulto depascitur exta veneno;
Monstrum horrendum, immane, nocens: nec tristius ullum
Mater alit tellus, invitisque excipit ulnis.

Nec si (fas modo sit manifestis dicere verbis)
Offensi cupiat medicari vulnera Pæan,
Sufficiat, sic tetra lues bacchatur, et angit.
Quum mediam Perseus Libyam superextulit alas
Eurymedon (etiam hoc dignata est nomine mater),
Cæsa ferens regi Phorcynidos ora Medusæ,
Quotquot cæruleo ccciderunt sanguine guttæ
Vertice Gorgoneo, tellus fecunda colubros
Fecit, et invento geminavit fata veneno.
Mopsus ut advertit sævi discrimina dentis,
Rettulit angue pedem viso, sed lurida serpens
Ore pedis calcem tetigit. Medea, bonæque
Pertimuere malum famulæ: non territus ille
Vulnere, sanguineum tractavit protinus ulcus.
Conficit audentem tamen illum, atque intima somnus
Letifer invasit, oculos texere tenebræ;
Inclinansque solo immani vexata dolore
Membra, riget; fidi Minyæ funduntur ad ægrum;
Attonitus stupet Æsonides pro vulnere tanto.
Fata gradu celeri properant, reliquumque salutis
Nil superest: tetrum populat præcordia virus.
Actutum monumenta parat dux Graius adempto
Ampycidæ; lacerat crines Medea, genasque
Radit; at heroes respondent flebile carmen.
Ter circum monumenta viri fulgentibus armis
Solemni saliunt chorea, socioque parentant;
Injiciunt crebros Libyci quoque pulveris haustus.

At Minyæ spirante Noto super æquora certi
Ire ruunt; Tritonis aquas evadere certant;
Consilioque carent, atque ordine rebus in arctis.
Non secus obliquo flectit se tramite serpens,
Quum sol accensum radiis calefecit acutis,

Huc alternus et huc convertens sibila colla,
Scintillæque micant flagranti lumine crebræ:
Sic Pagasæa ratis Tritonidos ora paludis
Dum petit, incerto nutans secat æquora fluctu.
Continuo tripodem Phœbi, quam navis agebat,
Thracius exorat vates deponere divis
Indigenis, Libyes ut numina sacra piaret,
Ut reditum præstent facilem, ventosque secundos;
Quum subito occurrit juvenili corpore Triton,
Cæruleos madidus crines, Minyasque salutat:
« Suscipite, o juvenes, immensi pignus amoris,
Hospitiique fidem; nam longis incola terris
Multa solet cupere interdum quibus indiget usus.
Dicam equidem, et dictis curas fortasse levabo.
Prudentem pelagi fecit me rector aquarum,
Et Libycas sceptrum teneo, regina, per oras.
Audite, heroes: Libya, nutrice ferarum,
Eurypylon genitum vobis invisere præstat. »
Sic fatus; glebæ dextram superinjicit acer
Talibus Euphemus verbis gravia ora resolvens:
« Apida si nosti terram, pelagusque vocatum
Minois, certo referas nunc pectore, Triton;
Huc cursus fuit invitus: per inhospita cymbam
Litora, certantes Euros, tumidasque procellas,
Traximus, inque tuas terris enavimus undas.
Nec pelago scimus Pelopeia rursus adire
Æquora ab ignoto, Libyæque palustribus oris. »
Talia dicenti divino numine Triton
Angustum ostentat manibus verbisque profundum:
« Exitus hic ponti est, ubi semper cærula torpent
Incertis utrinque vadis, ubi tollere portus
Nomine splendoris fama est, media æquora fractis

Fluctibus angustant sese: sic ire licebit.
Is portus qui divinam Pelopeida terram
Dirigit, excelsas ultra Cretæ eminet oras.
Tendere si in dextrum libeat latus, unda vagantes
Includet, pelagusque tumens innabilis undæ.
Quod si quis modice declinet, limite recto
Puppis inoffensis sulcabit cærula velis.
Verum agite, heroes, agilesque incumbite remis:
Fata viam, portusque dabunt; vestrique labores.»
Hæc ubi dicta dedit, cuncti in sua transtra recedunt.
Pandere vela juvat, tonsisque ferire paludem.
Tritoni pecudum lectissima corpora mactat,
Et carmen solemne canens vittatus Iason,
Numina cuncta maris precibus rogat, atque ita fatur:
«Diva palus, sacraque deus qui degis in unda,
Finibus his qui ostenta mihi manifesta dedisti,
Sive tenes pelagi loca Triton, incola Phorcyn
Seu vocat, aut pelagi celebrant te Nerea Nymphæ,
Sis placidus, finem statuens, metamque labori».
Dixit, et in medias mactatæ porricit undas
Guttur ovis feriens puppi securus ab alta.
Continuo apparet magni per inane profundum
Effigies veneranda dei, longe æquora verrens.
Non secus ac si quando orbes per agonis ovantem
Thessalus egit equum, pedibus se tollit, honestam
Concutiens cervice jubam, saltuque volucri
Emicat, intorquens alterna volumina crurum;
Dictantis domini tamen ardua jussa capessit.
Ulterius moderator agit: sic Palladis Argo
Helcia corripiens Triton, cui vertice summo
Et caput, atque humeros, cinctusque, alvumque sub ipsam
Majestas æterna micans dis reddidit æquum.

Alvi utrumque latus tendunt immania Cete,
Spinigero findunt quæ obliquis cærula dorso
Cornibus, esse solent crescenti qualia lunæ.
Se pelagus dedit in medium vastumque profundum;
Ingressus glomerat fluctus; conclamat Iason
Ante oculos monstrum cernens, et Thessala pubes.
Nunc Argous ibi portus, simulacraque navis,
Tritonisque exstant aræ, quod numine dextro
Hic traxit tum cymba moram. Mox, luce reversa,
In dextrum extensis velis latus, invia vasti
Deseruere maris; zephyri levis aura secundat
Lintea, et Oceanus faustis subremigat ulnis.
Orta dies, pelagique sinus fluctusque profundos
Ostendit; subito genitabilis aura Favoni
Destitit, a puppi incurva venientibus Austris,
Tempore quo occiduas Phœbus se mergit in undas,
Quem canam visura Thetin sera astra sequuntur,
Quum fessos operi tauros jam solvit arator.
Nocte sub obscura tepido jam Carpathus Austro
Describitur; duris adnixi impellere remis
Insomnes, noctemque die lucemque tenebris
Continuant, Cretam Pagasæa puppe legentes.
Ferreus arce procul scopuli Dicteide terra
Hos prohibet sævo ore Talus, suspendere funes,
Et legere hospitium, puppique immittere habenas.
Olim abies, alni, quercus fagique ferebant
Cruda puerperia, ac populos umbrosa creavit
Populus, et feta viridis puer excidit orno.
Hunc ferri radice satum tamen, ordine fati
Custodem Europæ statuit Saturnius esse
Semideos inter, robustaque secla virorum:
Concretus chalybe e duro ter obambulat oras

Dictæas Talus; huic rigido stant corpora ferro
Dura, nec humano frangi potuere labore.
Sed pedis in talo letalis sanguine vena
Plena micat: solum hoc obscuræ iter est breve morti.
At Minyæ tantis oppressi casibus hærent,
Incerti quo vela ferant; clam nocte suprema
Cretenses linquunt portus, altumque capessunt.
Interea torquente siti, torquente dolore,
Gnosiacis vitam posuissent protinus undis,
Ni miseros Medea pio sermone levasset:
«Accipite hæc, Minyæ: mortalem sola domabo,
Sit quicumque velit, vel si totum ærea corpus
Massa tegat, niteat viridi quamquam ille juventa.
Sit modo tuta ratis, saxi ne verbere pressa
Deficiat: vitate graves a litore jactus,
Donec agam magicis sub Tartara nigra venenis.»
Sic ait; a telis retrahunt Pagaseia transtra
Heroes, magicæ pendentque a murmure linguæ.
Æsonide Medea viro comitata recurrit
In puppim, mulcens Hecatæo carmine Parcas
Fatiferas, imi celeres quas rumor Averni
Esse canes memorat; quæ toto lurida cælo
Monstra volant, vitæ nectentes retia nostræ.
Supplicibus verbis, magicis quoque cantibus illas
Ter vocat, et precibus ter vertit in hostica furvas
Arma canes, oculosque Tali perstringit adurens;
Mox rigidas magico Diras cantamine torquet.
Summe pater divum, magnus stupor intima versat
Corda mihi, si lingua necem, si murmura possunt
Interitus afferre homini, celerareque fata.
Ferrea cui moles præcordia ferrea circum
Tota fuit, cessit magico prostratus ab ore;

Utque securigeris abies percussa lacertis
Fluctuat instabili nutans cervice, ruinam
Mox trahit: haud aliter pedibus modo fluctuat ægris,
Et modo connixis firmat vestigia plantis,
Procumbit tandem, et rigida se porrigit alvo,
Exanimisque jacet perfracta carmine vena.
Exsultant Minyæ, et sacris operata juventus
Palladi sacra parat victo jam lætior hoste.

Tum primum Cretam linquunt, Minoia regna,
Heroes, subeuntque vagæ Salmonidos oras.
Sulcantes undas Cretæi marmoris urget
Nox gravis, hanc proprio *tristem* cognomine dicunt.
Astra malam noctem, nec lunæ splendor agebat,
Desuper at nigrum chaos, ut consuevit Avernis
Ex tenebris, furva cælum contexere nube.
An Stygiis rapiantur aquis, refluisve ferantur
Æquoribus dubii: certæ spes nulla salutis.
Tunc geminas ductor tendens ad sidera palmas,
Ingenti Phœbum ore vocat; per lumina tristes
Labuntur lacrymæ; donaria Pythia largis
Exuviis cumulare heros promittit Amyclas,
Muneribusque sacram Ortygiam ditare superbis.
Tum Clarium ductore deum numenque rogante
Supplice Apollineum dextra, levis aura refulsit
Protinus, aurataque dedit bona signa pharetra
Dexter Apollo duci; Sporadum patet insula juxta
Hippurin; nautæ subito retinacula nectunt.
Continuo roseis mundum diffuderat ulnis
Titoni conjux; Phœbo tum Graia juventus
Ægleti statuunt, aras de nomine dictas
Lucis in occiduo puppem quæ rexerat ortu;
Turbatis quoniam nautis illuxit Apollo.

Insula dein Anaphe, longum est memorata per ævum:
Litore deserto Minyæ quum sacra pararent,
Stipitibus lymphas ardentibus injecerunt.
Medeæ adstantis famulæ Phæacides alto
Pectore non poterant lætum compescere risum,
Orgia sacrifici solitæ majora videre
Alcinoi, ditesque foci melioris honores.
Has juvenum aversata cohors, convicia jactat,
Turpibus incessens verbis deturbat, et arcet.
Ex illo muliebre genus contendere suevit
Usque viris, Phœbum per mutua crimina placans.
Humentes quando hinc Minyæ solvere rudentes,
Tum memor Euphemus nocturni sæpe soporis,
A Maia geniti veneratur numina divi,
Et memori attonitus vaga somnia corde volutat:
Namque videbatur glebæ candentibus ulnis
Conjungi, et veluti materno lacte foveri.
Mamma puellaris visa est, in virgine qualis
Esse solet tenera; mœsto sed captus amore
Euphemus dulci verborum murmure gestit,
Non secus ac dominam complexibus ambiat arctis.
Quam tamen Euphemus grata vice lacte fovebat
Ipse suo; dein virgo loqui sic visa repente:
« Tritonis genus, et natorum grata tuorum
Sum nutrix, non quam fortissime rere puellam.
Sed me juxta Anaphen Nerei pia numina Nymphas
Deponas pelagi, nullo pede postera ducet
Ad Phœbi radios me lux sublimis Olympi. »
Æsonides docto Phœbi responsa volutans
Pectore, sollicitos dictis affatur amicos:
« O socii, præclara quidem nec parva paratur
Gloria: di superi jactatam in cærula glebam

In terram vertent, quæ fertilis insula fiet.
Hanc juvenes nostrique colent per secla nepotes.
Occurrens nobis Triton dedit hospita dona
In Libya, et nobis præsenti numine fulsit».
  Sic ait, at vanum Æsonidæ non cogitat heros
Judicium Euphemus: quin dictis lætus et ore
Vaticino, parvam demersit in æquora terram.
Emicat illa repens, surgitque levata profundo.
At primi Lemni Sintiados ante coloni
Illinc expulsi Tyrrhenum fortibus armis,
Tum Sparten coluere ipsam, quam linquere adactos
Autesionides ausus traducere Theras
In terram pelagi Callisten, nomina luce
Ex illa sumpsit There, post funera cujus
Euphemi facta est hæc insula tota superbi.
  Inde relinquentes celeri freta turbida cursu,
Litora curva legunt Æginæ Asopidos; illic
Lite viri certare parant uter hauriat undas.
Cogebat duris populos in rebus egestas.
Myrmidonum pueri memores certaminis acti
A proavis, currunt celeri per litora planta,
Turbaque nunc prisci contendit imagine ludi,
Quorum humeros gravis unda premit, premit et cadus ingens.

Gaudete heroum felix genus, impia quando
Vis maris, et crebris cessabunt flabra procellis.
Lætitiæ, cantusque aderunt: mox pectine Phœbi
Dulcior attollet vestros super astra labores,
Annorum superans volventia secula Clio.
Rursus ab Ægina redeuntibus aspera bella
Nulla ratem pressura manent, nec turbinis atri

Immanisque Noti rabies, sed strata quietis
Unda maris Zephyris, leni vos provehet aura
Cecropios portus; emensique Aulidis oram,
Euboiæque sinus, et Opuntia mœnia Locrum,
Litora mox sacra Pagaseia puppe legetis.

AD CLARISS. AC ORNATISS. SENATOREM

D. FR. ELEPHANTUTIUM BONON.

JOANNES BAPTISTA PIUS.

Pindarus, Atticus olor, Senator amplissime, Tempus, omnium patrem, potens operibus imponere finem, vocat, homines laudans eos, quibus Parca lætam cum felicitate fortunam servat. Pindarica sententia nobis impræsentiarum convenit, qui secundis temporis auspiciis usi, Apollonii Flaccique nostri pelagus eremigavimus. Felicitas quoque tempestiva subvenit: etenim inter Musas nostras secretiores Orphei Argonautica Latio transcripta, opus Adespoton, non ingratum tamen, invenimus, per me quidem scriptum, non ex me. Sunt qui id poema putant, et constanter asserunt Orphei Œagrii fœtum esse perantiquum; quod non semel ipse testatur. Nonnulli credulitatis impiæ criminant auctorem, et ad metempsychosin Pythagoricam referre solent, ut scilicet anima Thracis Orphei in hunc Orpheum transvolaverit. Hi Suidam græcum interpretem sequuntur, qui, ex sententia Asclepiadis, diversum tamen ab illo Theologo et Argonauta hunc Orpheum poetam facientis, tempore tyranni Pisistrati florentem aiunt scripsisse quæ exstant Argonautica, Decæterias, multaque id genus. Ælianus falsa super Orpheo cuncta censuit et fabulosa; quoniam Bi-

II. 18

salta fuit Orpheus Thracum gentis, cujus nationis proprium est ignorare literas. Sed Ælianus de Calliopes filio meminit. Hic noster (sive Thrax, ut ipse asserit; sive Crotoniata, ut alii malunt; sive Aristoteli credimus, qui Orpheum poetam nunquam fuisse dicit, et hoc Orphicum carmen Pythagoræi refert cujusdam fuisse Certonis, M. Tullio auctore) heroico ac epico versu sublimis assurgit; dignum prorsus munus, quod ad heroem veniat Elephantutium, candida cute, et romana toga, lyram tenens Latiam, quæ nescio quomodo gravius tonat et magis heroicum. Tu meorum Bononæorum nobilissimus, stemma gentilitium condecoras, unde senatorum, equitum, jurisperitorum legiones profluxerunt; nullique majorum tuorum secundus, Franciscum gentilem, cognominemque tuum, novum Camillum Romanum, assertorem libertatis et vindicem, vel superas, vel æquas. Tu ingenium præsens et in numerato habes; conjecturam nunquam fallacem; verba pressa, non oppressa; consilium et animi vim humanis angustiis augustiorem; vitam Thesmotheticam; in seriis silentium Areopagiticum; dotes interiores reliquas, quantæ nemini ullo sæculo contigerunt; mensam elegantem et nitidam; cultum ornatum, non supinum; faciem virilem ac senatoriam. Et, si quid ad rem facit, virtuti fortuna mater adest indulgentissima: quæ quum pro tempore novercata sit, nervis ingenii tui domita, fassa est in sapientem longas non habere manus. Mores ac heroicam virtutem magnanimi genitoris exscribunt et spirant, corporis et animi tui dulces imagines, filii præstantes. Inprimis Charolus Antonius, qui meram, ut nomine præ se fert,

gratiam refert; pius, candidus, Phœbo et Musis amicus, Tito suavior et amabilior; Camillus alter ingenuitatem, quam nomine profitetur, re maxime præstat; Castalidum sororum alumnus, et Charitum proles; Vertumnus alter et Proteus; in foro Lælius; domi Augustus; in templo Numa; in convivio Alexander; in amicorum congressu et consociatione, Philippus; et, ut summatim loquar, in omni vitæ colore tersissimus, qui tot virtutibus, ut sideribus, coruscus, R. Laurentium Campegium, lauream virtutis emeritum, inter senatores apostolicos eruditissimum atque sanctissimum, allexit, ut eum legitimo sanguini virum, sibi in Domino filium optaret.

Vale ergo ac salve, senatorum optime ac maxime, Orpheumque, jam non Thracem, non Græcum, sed Latinum, lyram mellifluam ac eburnum plectrum tenentem, dulci ac longo amplexu fove, ut labóres senatorios, et pro republica susceptos ad illius modulatissimam cantilenam componas et exhaurias. Iterum vale, ter felix, Pii clientis memor.

ORPHEI
ARGONAUTICA

ORPHEI ARGONAUTICA.

O rex et vates Pythonis maxime princeps,
Cuique sacra est summum Parnasia petra cacumen,
Virtutem cano, Phœbe, tuam: tu præmia famæ,
Veridicamque mihi toto da pectore vocem,
Ut teneam dulci mortalia pectora cantu,
Quum jubeant plenis Musæ me scribere chartis.
Nam mihi, Phœbe pater, citharæ pergrata canenti
Carminibus flagrat mens (nondum dicta referre
Tempus adhuc ullis), ut quum Bacchique tuique
Percussus stimulis, horrentia tela canebam,
Quæque juvent homines, et quæ mysteria genti,
Nec non prima chaus antiqui urgentia fata;
Deinde per innumeras Saturni semine vires
Æthera, et excelsum, duplex cui robur, amorem,
Quique frequens genitæ est noctis pater inclytus, hunc se
Quod prior ostendit nostri dixere Phaneta;
Unde potens fluctu tellus; et bella Gigantum
Impia, qui in superos aciem struxere nefandam:
Ex ipsis hominum mortalis manat origo,
Immensæ claudunt quotquot confinia terræ;
Divinumque Jovis cultum, latriamque parentis
Montanæ Cybeles, quæque illa in montibus olim

Persephonen patriis docuit jam forte puellam;
Herculis et laceri, famosaque vulnera Mæli;
Sacra quod Idæis et vis Corybantibus ingens;
Erraritque Ceres, raptæque exinde dolores,
Utque dedit leges; quam splendida dona Cabirum;
Quæque canat nullus nocturna oracula Bacchi;
Divinam Lemnon, et litoream Samothracen,
Sublimemque Cyprum, Veneremque ut amavit Adonis;
Orgia Praxidices, nocturnaque sacra Minervæ;
Ægypti luctus, et Osiris dolia sancta;
Quid de venturis præcordia visa ferarum
Et volucrum doceant, quo ritu viscera spectes;
Quanta etiam somno captæ pulcherrima rerum
Prædicant animæ vatum de mente profunda;
Et quæ sit signis, monstris, astroque minaci,
Casta hominum generi lustrata perutilis unda;
Quæque deos placent, hominumque in funere dona.
Multaque præterea mihi visa et cognita dixi,
Quum peterem tenebras pallentis Tænaron Orci
Confisus cithara cara pro conjuge nostra.
Et cecini qua sacra nitent Ægyptia pompa,
Accedens Memphim præclaram, atque Apide terras
Insignes, rapidi Nili quas unda coronat.
Vera tibi nostro cuncta hæc de pectore manant.
  Nunc quoniam flagrans in nobis evolat œstrum,
Corporeum linquens molem super æthera longe,
Non audita prius nostro de carmine disces:
Pieriam ut quondam, Libethraque venit ad alta
Semideum pariterque heroum primus Iason,
Et sibi pro reditu rogat, auxiliator ut irem,
Puppe secans altum, crudelia regna petenti,
Divitiis gentem scelerum quoque mole gravatam;

Sole quibus genitus Æetes regnat in oris.
Nam timuit Pelias præsagia, ne sibi regni
Auferat Æsonides venturis sceptra diebus.
Fraudibus inde vias fallaci corde struebat.
Vellera de Colchis nam jusserat aurea ferri
Thessaliam ad pinguem: sed vox ut perculit aures
Impia, Junonem manibus vocat ille levatis,
Hanc colere e cunctis solitus cælestibus unam.
Illa favens justis precibus pia vota sequuta est:
Namque hominum magis unus erat dilectus ab illa
Heroum intrepidus superinclytus Æsone natus.
Cogitur hinc ad opus Pallas, Junone vocante.
At dea fagineam celeri struit ordine puppim,
Remigioque aptat, falsum quæ prima profundum
Præterit, et pleno tenuit sua litora cursu.
  Ergo ubi magnanimos reges collegit Iason,
Impiger ad Thracen celerat vestigia nostram.
Illic me cithara sinuantem plectra canora
Invenit, ut sacros facerem tibi, Delphice, cantus,
Qua traherem volucres, serpentes, voce, ferasque.
Sed postquam gressus optato fixit in antro,
Protulit e calido mellitam pectore vocem.
  « Orpheu Calliopes Œagro nate parente,
Atque in Bistonia Ciconum rex optime, salve:
Tu namque Æmonias princeps das jura per Alpes,
Strimoniasque undas, Rhodopesque cacumina summa.
Ipse ego sum Minyes regali sanguine cretus
Thessalus Æsonides, hospes tibi certus habendus.
At tu, quæso, fave cœptis, et percipe grato,
Quæ loquar, auditu, nec inexorabilis esto.
  « Euxini Pontique sinus, et Phasida tutum
Te petere, et monstrare maris quo naviget Argo

Indomitis litus votum est heroibus unum.
Exspectatur ab his tua vox divina, chelysque;
Te sperant comitem pelago, sociumque laborum.
Nam neque mens dare vela viris in barbara regna
Te sine, qui tenebras de tot mortalibus unus
Accesti horrentes, et quæ rudis ultima rerum
Abdita se posuit tellus, atque inde redisti.
Hanc igitur molem communis ferre laboris,
Nominaque ipsa velis tua clara nepotibus esse. »
Inde ego sum tali respondens voce loquutus :
« Æsonida, quid tanta movens hortaris et urges
Ire procellosas armata puppe per undas,
Ut veniam Colchon Minyis adjutor ad urbem?
At mihi jam satis est operum, satis atque laborum,
Ex quo terrarum vidi loca plurima, et urbes,
Ægypti Libyesque viris oracula promens,
Et me sollicito tandem revocavit ab æstu
Errantem, in patriamque parens veneranda reduxit,
Ut teneam tardos morientis tempore canos.
Sed neque fatales fas est mihi solvere leges:
Parcarum me jussa trahunt: magno mihi constent
Per numerum quæsita Jovis; jamjamque sequemur,
Inter et heroas nostri numerabimur ævi ».
Tunc quoque digrediens antrum peramabile liqui,
Dulcisona comitante lyra, Minyasque sequutus,
Alatis pedibus Pagasarum ad litora veni.
Hic tum bellaces angusto in litore Graii
Cum fremitu ad ripas condensabantur Anauri.
Atque ubi jam gressus spectant me ferre propinquos,
Exsultant animis, et gaudia plurima carpunt.
Ipse super tantis quærens heroibus ibam
Herculis ac primum conspexi fortia divi

Pectora, quem peperit de magno Alcmena Tonante,
Liquissent triduum solis quum lumina terras,
Torpentisque forent gratissima tempora noctis;
Tiphynque Agniaden, longe qui lintea puppis
Dirigeret, tunc se exercens confinia juxta
Thespiaca, et pelago, et Telmisi navigat undis.
Is fuit horrisonis sævisque obstare procellis
Doctus, et ad tutos Argo perducere portus.
Pollucem, atque equitum domitorem Castora novi.
Et te, Mopse, adii, Titaresie, splendida cultu
Chaoniam peperit quem subter Aregonis alnum.
Præterea Æaciden illustrem Pelea, partu
Ægines, Dolopum Phthia qui regnat in urbe.
Mercurii generosa patris tria pignora vidi:
Æthaliden, sibi quem genitrix tulit Eupolemia
Myrmidonis, saxosæ Alopes in montibus urbis:
Euriton, egregiumque Echiona, quos sibi quondam
Laothoe Mereti genuit commixta puella,
Mercurii soboles Cyllenia regna tenentis.
Tu simul, Actoride; tu, Buphage, nate Corono;
Iphiclus et Phylaci divum genus affuit una.
Tuque etiam Æneade, Phœboque simillime, Butes.
Transit Abantiades Euripi litora Canthus,
Quem Parcæ domuere graves, Libyesque per arva
Immemorem reditus mors intempesta peremit.
Venit et Alconis Æsepo abs amne Phalerus,
Gyrtonem validis muris qui condidit urbem.
Iphitus hos sequitur de te patre, Nabole, natus,
Phocensis retinens turritæ sceptra Tanagres;
Laodocusque, Alausque, et Areius, inclyta proles,
De Pero geniti, et præclari germen Abantis;
Iphidamasque Alei venit (nam jussa parentis

Magnanimi urgebant), Tegees tellure relicta.
Venit et Erginus Branchi, cultissima linquens
Et patriam celsis cum mœnibus arva Mileti,
Mæandri in sese quæ verberat unda recurrens.
Deinde Periclymenus Nelides affuit una
Pellenen juxta linquens madidamque Lipezon,
Asty suum dives, positasque in monte Colonas.
Tu Calydone venis, fortis Meleagre, relictà,
Quem tulit in roseis Altheæ amplexibus OEneus.
Iphiclus alta secans Atracesia stagna reliquit,
Altheæ qui frater erat, præque omnibus uni
Intentus, Meleagre, tibi laudanda monebat.
Transit et Asterion genitus de patre Comete,
Piresien linquens, ubi mixtus Apidanus undis
Penei fluctus communes mittit in æquor.
Liquit et Eurydamas properans Bœbeidos algam
Peneo illapsæ Melibœæ mœnia juxta.
At postquam Elatides Polyphemus prosilit ingens
Viribus, heroasque inter ceu flamma refulgens,
Eneus venit Cænei, quem fama, rapacis,
Urgentem Lapithas Centaurica tela tulisse,
Transfixum trabibus abiegnis corpora longis,
Sustinuisse tamen genua incurvata furentem,
Et vivum manes, tenebrasque Acherontis adisse.
Venit et ipse Pheris Admetus, Apolline quondam
Perfunctus servo, patrias dum diffugit iras.
Namque ille indomitis Cyclopas morte sagittis
Pro nato impatiens affecerat ante perempto;
Actorionque Ili qui filius Actorionis,
Saxosam linquens Opoenta; accessit et Idas;
Quique procul longe trans æthera, trans mare, Lynceus,
Et subter Plutum, terræque barathra profundæ

Solus in humanis visu penetravit acuto.
Consequitur Telamon, fortis pater Æacus illi,
Splendida cui nubens Ægina, potentis Asopi
Nata, dedit pulchrum Salaminæ in litore partum.
Martius his Idmon nothus annumeratur Abantis,
Quem de concubitu generavit Apollinis olim
Circum divinos animosa Pheretia fluctus.
Huic præscire dedit, huic promere voce futura
Phœbus, ut utiliter genti memoranda loquatur.
Affuit et linquens Opoenta Menœtius agrum.
Vicinus Minyis, venit quoque divus Oileus.
Inclytus his aderat Phlœas, quem propter amœni
Æsepi ripas Baccho est enixa puella,
Insignem forma, et prudenti pectore clarum.
Cepheus Arcadia concessit et ipse relicta,
Ancæusque senex Euxini ad litora ponti
Jussit ab Arcadia pater una heroibus ire.
Hic humeris nullos validis induxit amictus,
Sed rigidum pellis latus urso texit adempta.
Nauplius insequitur Amymones cara propago,
Quem tulit illustri Neptuno subdita, pulchro
Corpore dissimilem, et præstanti robore clarum.
Vertice Tænareo venit Meleatidos alto.,
Aulonas linquens simul, undisonasque Therapnas.
Venit et Ancæus, cui cyclos, cuique planetas
Nosse datum, et summis quod iter, Pleuronius, astris,
Unde quod et præsens, et quæ ventura canebat.
Deinde Palæmonius Lerni nothus, utraque venit
Læsus crura licet, pedibusque nec ambulat æquis,
Vulcanoque ideo genitum de patre vocabant.
Venit et, Alphæi ripis, Pisisque relictis,
Patre satus magno Augeas de Sole corusco.

Quinetiam gemini, fortissima pectora, rami
Amphion, simul Asterius, Pellene relicta,
Cultibus et patriis, alacres in prælia fratres.
Agnovi duplicem Boreæ de germine spicam,
Quos peperit nubens Ilissi ad fluminis undam
Regis Erechthei divum genus Orithyia,
Quique etiam plumis circum talaria fusis,
Corpore dîs similis Zetes, Calaisque, volabant.
Venit ab urbe Pheris Pelia quoque principe natus
Anchisteus, ut et ipse ratem conscenderet Argo,
Euxinumque comes Minyis et Phasin adiret.
His simul accessit dilectus ab Hercule divo
Pulcher Hylas, nondum cui circumtinxerat ora
Candida flavescens rosei lanugo decoris:
Amphitryoniadæ intonsus sic ille placebat.
Sic illi ad puppim, sic in sermone frequentes
Circum aderant, aliusque aliud clamore jubebat,
Prandiaque haud parci præbebant hospite mensa.
Sed postquam sat cuique fuit potusque cibique,
Ordine quisque sedens, ad opus jam vota ferebat.
Hinc sese ex alta consurgens quisquis arena
Adstantem glomerant spatioso in litore navem,
Certatimque stupent omnes; sed protinus Argus
Subnectens validos alta de puppe rudentes
Artis ope, et trabibus subter convexa dolatis
Rostra movere parat; vocat, atque hortatur honorans
Infessi ut subeant; studiosos occupat ardor;
Arma quoque exuti, prolixum pectora circum
Succincti funem, supremis viribus instant;
Protinus ad fluctus stridens propellitur Argo;
Illa sed exsiliens nudas quum calcat arenas,
Terram inter fluctusque, in sicca restitit alga,

Nec forti heroum dextra impellente movetur.
Obriguit gelido tum rursus pectore Iason,
Et me respiciens, ut nostri carmine plectri
Vires atque animos defessis innuit addam.
Ast ego cum cithara meditatus carmina nostra,
Mellifluasque mea resonans cum matre Camœnas,
Ex imo dulces produxi pectore voces:
« Egregii heroes, Minyæ generosa propago,
Eia agite, invictis alacres impellite funes
Pectoribus, solido et vestigia figite gressu,
Summa pedum geminis innixi extendite plantis,
Et læti in fluctus Argo proferte serenos,
Quæ trabibus quernis compacta est, fagineisque.
Pergite voce mea, prius est ea cognita vobis,
Quum traherem quercus nemorosa in valle Colones,
Et pontum peterent cantus de vertice montis
Saxa sequuta meos: sic tu proclivis in undas
Me sequere æquoreas: moveat fiducia nostræ
Ut properes citharæ, vox et divina canentis ».
Nec mora, prosiluit stridens, sensitque carinæ
Subdita concussæ callenti fagus ab Argo
Palladias artes: stetit ocius illa per undas,
Congeriemque levat; vasto natat ardua ponto,
Et trabium densas disjecit mota phalanges,
Uno protensæ subter quæ fune jacebant.
Ingreditur portum gaudens; jam litore cedit
Unda repercusso, lætusque exsultat Iason.
Argus init saltu puppim, Tiphysque sequutus,
Et sua quæque viris dant armamenta locisque.
Erigitur malus, velum super; hinc quoque clavum
Sub puppim nectunt, et loris fortiter urgent.
At postquam remis instructa est navis utrinque,

Accelerare jubent, Minyasque insidere transtris.
Ad quos tum volucri sermone loquutus Iason:
« Vos, ait, illustres proceres, advertite; namque
Ipse ego me nolim regem melioribus esse:
Ergo ducem quemcumque animus persuaserit unus
Proferte heroes; illi sint omnia curæ,
Qui rebus modus, et quæ sit sententia dictis,
Quum terræ accedent, et quum tranabimus æquor,
Sive etiam Colchos, alias seu poscimus oras.
Estis enim numero simul, et virtute priores,
Et manet a superis nascendi gloria vobis,
Ut labor hic nulla communis laude canatur.
Sed neque qui superet, vel sit præstantior, ullum
Hercule rege putem, simul et cognoscitis ipsi ».
Sic ait, et cuncti laudarunt dicta tumultu;
Et clamor sequitur; regem placet esse ducemque
Alciden, longe socios qui excelleret omnes.
Non tulit Alcides prudens; namque ille sciebat
Æsonidæ per jussa dari Junonis honorem,
Ut decus in longos illius proroget annos.
Inde ducem clara decernit Iasona voce
Quinquaginta Argus remis terraque marique.
Tum quoque collaudant Alcidæ jussa tumultu
Sublato, et princeps his esse videtur Iason.
Sed quum pronus equis jam labens æthere Titan
Immenso, tenebras inferret noctis opacæ,
Tum secum Æsonides intra præcordia cautus,
Fœdera juratos statuit firmare fidemque
Heroas, stabili serventur ut omnia voto.
Tunc, Musæe, patris carum genus Antiophemi,
Me properare jubet pulcherrima sacra parantem.
Ipse pyras igitur spatioso in litore struxi

Frugiferæ quercus; tum vestes desuper amplas
Ordine composui, dîs convenientia dona.
Tunc quoque mugitu præstantem et robore taurum
Viventem, ad superos dura cervice reflexa,
Occidi jugulans: circum cruor undique manat,
Imposui super et confringens corda placentis,
Una oleæ libans agnæ cum lacte liquorem.
Tunc jussi densa proceres adstare corona,
Agglomerare enses, infigere tela juvenco,
Visceraque et pellem nixu transfigere dextræ;
In medio patulam collectis omnibus urnam
Constitui; inde manu commiscens omnia docta,
Inprimis adipem, cerealia dona farinæ,
Et salsos pelagi fluctus, taurique cruorem,
Inde coronatos oleis ad sacra vocavi,
Ipse meis phialam manibus (fuit aurea) sumens
Implevi mixtis epulis, atque ordine cuique
Heroum gustare dedi virtute potentum,
Et picis arentis immittere lampada jussi
Ignibus Æsoniden: facis ingens flamma coruscat.
Extendens tum deinde manus resonantis ad undas
....
....
....
«Sed voco te primum seniorem Nerea cunctis,
Quo patre formosæ sunt quinquaginta puellæ,
Et glaucam Phocas quæ concipit Amphitriten,
Proteaque et Phorcum, et late Tritona sonantem,
Et celeres ventos, quibus aurea jungitur aura,
Splendidaque astra procul, tenebras quoque noctis opacæ,
Præque ducem pedibus fulgorem Solis equorum,
Dæmonas amplexus, heroidas usque marinas,

Litoreosque deos, fluviorum et salsa fluenta,
Et fusco terras Saturnum crine moventem,
Exstantemque undis, ad juramenta venire,
. . . .
. Deserat ut nullus communes ante labores,
In patria rediens donec sit quisque receptus.
Læserit at jurisjurandi fœdera quisquis
Numina contemnens superum, testentur in illum
Ultrix Justitia, et pœnas quæ præbet Erinnys.»
Hæc ego: tunc omnes, perjuria namque timebant,
Adspirant nutu, manibus quoque sic fore signant.
Atque ubi consensere, et juramenta dedere,
Prosilit in medium navis tunc quisquis aduncæ,
Ordineque assedit; juga subter et arma ligabant,
Aptabantque manus remis; jubet hic quoque Tiphys
Nexilibus longam chordis subnectere scalam,
Vela dare in ventos, portuque avellere funem.
Tunc etiam levibus Juno, Jovis uxor, eundum
Significat ventis, impulsaque navigat Argo.
At postquam remos haud fessi mente manuque
Exercent proceres, et amarum scinditur æquor,
Spumea de prora deferbuit unda tumescens.
Sed quum mane sacrum surgens aperiret eoo
Oceano terras, jamjamque Aurora ruberet,
Dulce hominum generi lumen superisque reportans,
Tunc sese nobis nemorosa cacumina, et altis
Rupibus, umbroso de vertice, Pelion offert.
Hic propter terram Tiphys temone remisso
Remigibus lentis impelli jusserat Argo.
Tunc propere litus contingimus: haud mora, jacta
Ad terram scala, portis intramus amicis.
Egressi heroes Minyæ dant membra quieti.

Ad quos tunc omnes Peleus eques est ita fatus :
« Cernitis excelso collem sub vertice, amici,
In medio umbrosum spatio? justissimus illic
Centaurorum habitat speluncæ in margine Chiron
Quicumque in Pindo aut Pholoe versantur in urbe;
Justitiæ studet, et morbis medicamina præbet;
Quin etiam Phœbi citharam quandoque canoram,
Mercuriive lyram plectro pertentat amœno;
Judicia in rebus mortales edocet omnes,
Usque adeo Thetis ut niveis argentea nostrum,
Quemque enixa recens, natum complexa sub ulnis,
Pelion ascendens, tulerit Chironis ad antrum,
Quo sciat et prudenter ali, et constanter amari.
Sed jam certa tenet pueri me cura videndi;
Antrum igitur poscamus, ut hic videamus amici
Quis puero cultus, morum quis fulgor in illo ».
Sic dicens, callem ingreditur; sectamur euntem.
Ast ubi Centauri vastæ successimus aulæ,
Ipse recumbebat tenui prope limina lecto
Ingens; atque humeros sustentat petra, pedesque
Præpetibus membris extendebantur equini.
Tum prope Pelides, Thetidos quoque filius, adstans
Increpuit citharam: tenuit sua gaudia Chiron.
Ast ubi præclaros reges ad limina vidit,
Excipit assurgens et lætus ad oscula quemque;
Inde epulas profert, et plenis vina lagenis,
Substernensque humiles multa discumbere jussit
Fronde toros; fert exsuperans incompta paropsis
Porcorum atque agiles cervorum in prandia carnes.
Deinde tulit dulcis gratissima pocula Bacchi.
Quum jam mensa hilares animos fœcunda dedisset,
Applausu strepuere manus; me namque jubebant

Cum cithara argutos Chironi opponere cantus.
At mihi non ideo persuasum est: namque rubore
Perfusus juvenis senis æmulus esse verebar,
Ipse senex donec cupiens cantansque coegit
Invitum alternis modulis contendere Chiron.
Increpuit prior ergo lyra Centaurus eburna,
Quamque suis gestans manibus porrexit Achilles.
Et canit, ut fuerint non æquo marte feroces
A Lapithis justa Centauri morte perempti,
Et temere Alciden ausos irrumpere contra
In Pholoe pugnasse, mero faciente furores.
Ast ego tum, cithara post illum ex ordine sumpta,
Mellifluum resonans emisi gutture cantum.
Nigrantis tunc ergo Chaus prædiximus hymnum,
Ut conversa elementa, polusque apparuit horrens;
Quodque genus vastis terris, pelagique profundum;
Consilio ut prudens atque antiquissimus horum
Cuncta suo generavit amor, secrevit et ipsa;
Saturnumque gravem, summique ut denique cæli
Excepere Jovem regalia sceptra tonantem.
Cantabamque genus juvenum, et jus omne deorum,
Pugnacem Bacchum, et crudelia facta Gigantum.
Mortalis super hæc hominum memorata propago
Est mihi, et angustum veniunt cantata per antrum,
Prædulces plectro reddente per atria voces,
Obstupuere apices montisque et vallis opaca
Pelionos, quercusque altæ de carmine motæ
Convulsis properant ad eam radicibus aulam,
Auditoque feræ cantu, petræque strepentes
Speluncæ stabant informes, agmine facto.
Quinetiam fessis stabula ad Centaurica pennis,
Immemoresque sui nidi venere volucres.

Centaurus stupet aspiciens, feriensque trementes
In sese ipse manus terram pede pulsat equino.
Sed venit a puppi Tiphys, Minyasque repente
Imperio cogit, cantus ego deinde remisi.
Consurgunt proceres, sua quisquis et induit arma.
Sed natum Peleus patriis complexus in ulnis
. . . .
Arrisit lacrymans; gaudens excepit Achilles.
Ipse suis pellem manibus Centaurus honorans
Hospitā dona dedit pardi mihi munus habere.
Ast ubi spelunca discessimus inde relicta,
Extendit senior tumuli de vertice utrasque
Phyllirides in vota manus, superosque precatur
Dent reditum Minyis; veniat quoque regibus orat
Gloria magnanimis tardos visura nepotes.
Ergo ubi jam ad navem et litus descendimus omnes,
Consedere suis in transtris quisque, manusque
Impliciti validis pulsabant æquora remis.
Pelion ex oculis abit, et vis spumea vasto
Exsultans pelago canentes fecerat undas.
Pisæus latet, et tua, Sepia, litora, vertex.
Ante oculos Sciathos veniunt, Dolopisque sepulcrum,
Plana quoque Anchialos, et aquis præsalsus Enaulus,
Qui rapido vastis strepitum dat flumine terris.
Prætereunt valles Minyæ quoque montis Olympi
Excelsi obstrusas, et Athon cūm frondibus altis,
Pellenen latam, necnon dīam Samothracen.
Hinc quoque mortali nulli dicenda deorum
Sacra meis moniti sermonibus horrida vitant
Heroes; illinc namque insatiabile lucrum
Incola de nautis sacrorum vindicat usu.
Inde ad compositos vultus appellimus Argo

Divinæ Lemni. Scelus illic ausa nefandum
Fœminei rabies odii jurata, maritos
Exitio dedit: ast deinde volentibus ipsis
Imperat Hypsipyle cunctis formosior una.
Sed tibi quid multis referam dea Cypria quanto
Fecerit igne gravi splendentia pectora nostrum
Lemniadum Minyis sociare cubilia junctis?
Reginam Hypsipylen ardens compressit Iason;
Ast alias alii; pelagi nec cura manebat.
Donec me tardos animo indignante recessus,
Et monitis miscente minas, referuntur ad Argo
Remigio intenti, patriæ quoque cura subiret.
Sub lucem Zephyro puppim feriente sereno,
Hellespontus habet, nosque arcta relinquit Abydos.
Dardanium a dextris, Pityeque erat, Ilion ingens,
Pulcher ubi Æsepus Percoten, Abarniadanque
Frugiferas terras splendentibus alluit undis.
Læta ferebatur ventis stridentibus Argo.
Atque ubi jam litus compressimus, ipse magister
Hæmoniæ puppis, simul et præcelsus Iason,
Atque una Minyæ reliqui monumenta Minervæ
Erecto ædificant saxo, pulcherrimus unde
Manat ab Artaciæ Nympharum munere gurges,
Dona deæ, quoniam per concava litora ponti
Hellespontiacis facies arrisit in undis.
Et nullo introrsum motis aquilone procellis,
Jactanda in medios non hæc fuit ancora fluctus;
Porrectoque illic tentoria litore figunt,
Et pransi exspectant venientis tempora cœnæ.
Jamque recumbebant, venit quum Cyzicus heros,
Imperat hic genti Dolopumque Perictionumque,
Ænei carum pignus, quem filia clari

Eudori Ænippe peperit formosa puella.
Hic igitur mensa Minyas fovet hospite cunctos,
Flexipedesque boves, pinguesque dat esse juvencos,
Agrestesque sues, et rubri pocula vini,
Et panum cumulos dono dat ferre per altum.
Insuper et vestes, tunicas, pictosque tapetas.
Fecerat ætatis par illos gratia caros,
Appositisque suum est dapibus testatus amorem.
Sed postquam Oceani latuit sol mersus in undis,
Lunaque nocturnum stellis induxit honorem,
Prosilit Arctois pubes tunc Martia silvis,
Persimilisque feris facies fuit horrida, quales
Titanas referunt, fortesve fuisse Gigantes.
Nam sex cuique inerant cum duris brachia dextris.
Quos simul ut torvo viderunt lumine reges,
In pugnam et duros assumunt arma labores.
Pugnabant illi piceis hastisque abiegnis;
Et Minyas tenebris invadunt noctis opacæ.
Sed temere instantes natus Jove fortiter arcu
Stridente occidit, juvenem quoque perdidit una
Cyzicon, invitus licet, atque errasset in illo,
Fata sed urgebant Alcidæ occumbere dextra.
Quum subito in puppim saltu referuntur aduncam
Armati Minyæ, atque omnes sua transtra tenebant,
Tiphys ab excelsa dat sibila puppe, jubetque
In navem scalamque trahi, solvique rudentes.
At non solvuntur funes, sed nave retenta
Arctius hærebant subitæ de more procellæ
Vincula nodorum : stupuit tum navita Tiphys
Egregius, jam voce carens et liquerat Argus
Temonem, fluctus exspes evadere tantos,
Indignante Rhea populum per vulnera cæsum.

Sed quum jam medios cursus nox atra teneret,
Iret et occiduas astrorum fulgor in undas,
Altior invasit nautæ tum lumina somnus;
Inde deæ mandata gravi non vana sopore
Horrisonæ instantis comprensum Palladis urgent,
Fataque divinum sic est ea fronte minaci :
« Agniada, dormis, somno percusse profundo,
Pelle tegens oculos! sed jam consurgito, Tiphy,
Et tutum ad litus saltu de puppe jubeto
Ire duces, informe tenent ubi corpus arenæ
Hospitis, inferiasque dari et sua funera cæso;
Dîs Rhea namque jubet sacra et libamina ferri
Infernis, largosque oculis stillantibus imbres;
Fasque pium, atque hujus sic hospita mensa colatur,
Quem jaculo invitus trajecit noctis in umbra
Alcides, iraque deam concussit amara.
Ast ubi justus honos habitus de more sepulcri,
Inde deæ ad sedem venietis Dyndimon altam :
Hic placanda sacris Telluris filia pulchris.
Tunc funes trahere, et ventis dare vela licebit ».
Hæc ubi fata dea est, abiit conversa sagitta
Ocior ad superos : oculis huic pellis abacta est,
Qui propere exsiliens populum clamore vocabat,
Hinc atque inde movens; illos sopor altus habebat.
At tremor hinc animi; sed postquam voce vocatos
Heroas docuit per somnum vera loquutus,
Surrexere citi, et saltu jam litora poscunt.
Tum croceas Aurora faces jam nocte fugata
Prætendens, rutilo spargebat lumine cælum.
Quum celsi proceres Minyæ videre cadaver
Pulvere fœdatum, liventique ora cruore,
Utque feras alias, ingentia corpora, circum,

Ipsi autem densa regem cinxerè corona
Cyzicon, et secto juvenem sub marmore claudunt,
Et fodiunt tumulum, factoque ex more sepulcro,
Agglomerant truncos propere; jam magna sub antris
Viscera defossis condunt; ast ipsius umbram
Idem ego perfectis placavi in funere sacris,
Dulcis aquæ, et nivei lactis libamina miscens
Illimo de fonte, meis et laudibus ornans.
Tum vero Æsonides sociis ad vota vocatis
Esse sepulcrali sua præmia dixit agoni,
Hypsipyle dederat ferri quæ munera Lemno;
Ancæo calicem dedit aurea dona palæstræ
Gibbosum, manibusque gravem; verum tibi, Peleu,
Victori in stadiis proprii certamine cursus
Insignem, rutilam, textam quoque Pallade vestem.
Et fuit argento crater gravis, arte superbus,
Alcidæ pretium pro cæstibus; aurea Castor
Dona tulit, phaleras præsignes, victor equestris.
Pollucique dedit splendentes ferre tapetas,
Nam fuit hic pugilum celebri certamine victor.
Ipse autem flexo vi multa strenuus arcu
Sublimem ante omnes emisit in alta sagittam;
Hinc oleam Æsonides Minyis donatus ab ipsis,
Intextam vario tenuit cum flore coronam.
At mihi pro cantu dat munera dius Iason
Ex auro extensis alis utrinque cothurnos.

Hic pugnæ modus: at celer implet fama penates
Cyzicon exstinctum; quod postquam sensit et uxor
Infelix, altum resonat, lacerataque pectus,
Et collo involvens funem, suspensa pependit.
Suscipiens autem lacrymas has terra, perennes
Emisit latices, saxis fons vitreus inde

E mediis manat, fontem vocat incola Clenen.
Tunc ergo oracli memores, tenuere cacumen
Divinum auditi reges, et Dindymon altum,
Ut veneranda sacris annosæ denique placent
Corda Rheæ, sumatque animas regina calentes.
Ipse autem cithara semper comitante sequebar.
Prævenit hic etiam nos Argus, puppe relicta,
Qui pius obliqua intortum cum cortice ramum
E ferro arentem vitem præcidit acuto,
Effigiemque sacram seclis monimenta daturam
Omnibus egregia fixit, formavit et arte,
Reginæque aram sculpto de marmore struxit.
Hic igitur properi Minyæ, præque omnibus unus
Æsonides, sectis ponunt altare lapillis.
Hoc super et tauros libant, et victima quæque
Grata fuit, proceresque juvant libamina diva.
Nos cultus, laudesque deæ celebrare jubemur,
Supplicibus reditum quo sic placata ministret.
Ergo ubi desierant libamina sacra precesque,
Argoam ad navem descendimus; hinc quoque Tiphys
Heroas de puppe vocat: tum protinus omnes
Irruimus, quo quisque prius per transtra resedit
Ordine; tunc etiam remorum cura subibat.
Sponte sua funes terra venere soluti,
Velaque tenduntur: nobis Rhea Dindymo ab ipso
Magnipotens misit ventos de puppe secundos.
Nos autem rursum spectanda nepotibus olim
Sacra coronata de navi mittimus ara;
Implicitæque Argus duri cessere rudentes.
At postquam navis complerunt carbasa venti,
Subsiliens salsas ponti prætervolat undas,
Et prope Mysorum terræ confinia transit,

Rhindaciumque cito cursu tum præterit amnem.
Hinc jam litus amans gaudenti remige portus
Intrat arenosos : manibus tunc ergo rudentes
Colligere , et loris subnectere vela jubemur.
Hinc scala egredimur subducta in litore pulchro,
Quisque cibi potusque memor; nemorosa videri
Arganthi hic circum præcelsa cacumina montis.
Tum vero armatus, silvas properabat in altas
Alcides, arcu teloque tricuspide dextram,
Venando ut prædam sociis, cœnamque pararet,
De sue vel caprea, cornuta sive juvenca,
Dumque subit late silvas clam puppe relicta,
Pone sequutus Hylas, pravisque erroribus actus,
Pervenit infelix habitant ubi forte palustres
Speluncam Nymphæ, visum quæ protinus illum
Imberbem similemque deis, rapuere sub undas,
Ut secum totos senii sit nescius annos.
Jam medio cursu rapidis altissimus ibat
Phœbus equis; resonant validæ de montibus auræ,
Carbasaque alta petunt, jubet ergo intrare carinam
Exclamans Tiphys, et solvere litore funes.
At citus Elatides silvas Polyphemus inibat,
Ut vocet Alciden, celeremque reducat ad Argo.
Verum haud occurrit : robur nam fata vetabant
Alcidæ indomiti contingere Phasidos undas.
Ergo ubi telluris infaustæ liquimus oras,
Hic jam Amycus Bebrycensis habet crudelia regna
Gentis, et ætherium contemnens fasque Jovemque,
Immane instituit contra hospita jura duellum,
Ut, stabulum quisquis vel regia tecta subiret,
In pugilem duris ineat certamina pugnis.
Hunc igitur stravit vi vasta et robore Pollux,

Percussa extemplo loris cervice tremendis.
At Minyæ ferro Bebrycensia corpora cædunt.
Solvimus hinc, urbemque in lato litore magnam
Remigibus lassis, Bithynia tecta, subimus.
Hinc jam fontis aquas, et silvis ligna nivosis
Poscimus hospitio, et sub noctem cœna paratur.
Perdidit hic geminos vibratis corde tumenti
Infelix Phineus petris, sua pignora, natos,
Objecitque feris insano uxoris amore;
His autem vitam reddunt et lumina nati
De Borea; Phineum gravis est jactura sequuta:
Namque indignantes oculorum lumine cæcant.
Quum subito validis Borea spirante procellis
Curvantur densæ nemorosa cacumina silvæ,
Ut lueret lue Bistonia lacrymabile fatum.
Hinc igitur miseri crudelia tecta tyranni
Linquimus, et vastas pelagi conscendimus undas,
Cyaneas juxta petras, quas optima matrum
Annumerans docuit quondam me Calliopea.
Hic ergo exitii vitandi nulla facultas,
Namque illæ adversis ventorum flatibus actæ,
Occursuque graves allidunt saxa gementi.
Hic strepitus late pelago, cæloque gementis
Præcipites resonant perruptis fluctibus undæ.
Ast ego tum tali ad Tiphyn sermone loquutus:
« Ad puppim converte oculos, et cautius ito ».
Sensit ubi hæc, gelidus tenuit præcordia sanguis,
Quidquid agat tamen arcano sub pectore celat
Tum secum. Sed enim Pallas consistere summa
. . . .
. . . .
Imperat antenna volucrem, sic Juno monebat,

Quæ volat, et Minyis se tristis Erodios infert;
Illa dehinc alis circa ultima saxa levatis
Circuit; ast petras concursu mutuus horrens
Impetus allisit, volucris pars ultima caudæ
Attrita est, Minyæque illam clamoribus urgent.
Tiphys ubi exitio volucrem jam vidit ademptam,
Dat signum tacitis heroibus: ocius omnes
Accensi fluctus acri tum remige pulsant.
Ast ego divinis ingentia saxa Camœnis
Mulcebam, subita illa procul secedere visa.
Tunc exundarunt fluctus, sublataque nostro
Carmine tunc Argo vasti tulit æquoris unda.
  Ergo ubi jam transgressa freti fuit ora tremendi
Cyaneasque Argo petras, se protinus ægre
Ex imo stabiles monstrant super æquora fundo:
Sic namque e tetrica Parcarum lege jubetur.
Tunc igitur lethi fatum exitiale timentes,
Cæruleas petimus Rhebani fluminis undas.
Hinc procul in longum tractæ Thyneidos arva
Tembrius irriguis fluvius facit humida ripis.
Sangarius subit hinc Euxini litora pulsans.
Ast ibi remigio adjuti consedimus oras
Vicinas, Lyce magne, tibi, quo nomine genti
Imperat, amplexu qui nos in tecta recepit
Rex Lycus, et Minyas fovit simul hospite mensa,
Ipse dies noctesque suum testatus amorem.
Hic quoque Parca duos Orco damnavit iniqua,
Idmonaque Ampyciden, clarumque per æquora Tiphyn;
Illum equidem morbi vis intempesta peremit,
Ast aper occidit ferus hunc; nos justa sepulcri
Solvimus, et canas tum deinde reposcimus undas.
Credimus Ancæo puppim: nam quisque magistrum

Navigii, et pulchras callentem dixerat artes.
Suscipit hic igitur temonum lora, manuque
Parthenium ipse regens Argo direxit in amnem,
Incola quem nitidis splendentem dicit ab undis.
Alloquor hunc, Tiphyn fueram qua voce loquutus.
Emensa hic apicem scopuli tendentis in æquor
Cappadocas præter, cursu quoque puppis eodem
Acta Carambaciæ tenuit confinia terræ.
Illic Thermodoon, et Halys perlabitur ingens,
Qui magno salsos invadit turbine fluctus,
Lapsus ab Arctoæ Boreali vertice plagæ.
Longa Themiscyres regio, et Bœantidos oræ.
Hinc et Amazonidum turmæ panduntur equestres,
Et Chalybes, sociæque manus Tybarena frequentant
Regna, et Mosynes junguntur in urbibus una.
  Conversi ad lævam Maurorum accessimus oræ,
Et Mariandinis vicinos vidimus agros.
Hinc Helices longum protenditur æquore collum;
Hinc quoque litoreis ingens vallatur arenis
Campus, et excelsæ despectant æquora valles.
Mons Symus est urbs his, viridanti gramine pratum;
Arva secant vasto strepitu devectus Araxes,
Thermodoon, rapidus Phasis, Tanaisque fluentes,
Inclyta ubi Colchi gens, Heniochique et Araxæ.
  Progressi extremos portus, populosque videmus,
Uros, Chidnæosque, Charandæos, Solymosque,
Et juxta Assyrios, dorsumque immane Sinopes,
Et Philyras, Naetasque, atque oppida densa Sapeirum,
Byzeras super hos, et inhospita rura Sigynnum.
His impulsa locis ventis afflantibus Argo
Fertur in immensum, tenebris fugientibus orbem,
Euxinum; occiduo dehinc Phasida sole videmus.

Admonitos jubet hic Ancæus candida multo
Stringere demissis antennis carbasa nexu,
Malum æquare rati, puppimque impellere remis.
Fluminis at postquam tranquilla per ora recepti
Venimus hinc, muris Æetæ cincta superbis
Regia spectatur, nemus et quo vellere pellis
Fulvo glandineæ fago suspensa nitebat.
Sic illi his cunctis intenti rebus agebant.
At secum Æsonides animo quam multa volutans,
Ad Minyas fidos comi sic voce loquutus:
Præstet an Æetæ properare ad mœnia solum
Ab reliquis, blandoque homini suadere laboret,
An secum sociis junctis heroibus iret.
Tum vero haud placuit Minyis ire omnibus una.
Jusserat hoc enim Juno formosa timentes
Cunctantesque suas fatis permittere habenas;
Quæ cito tunc etiam ferri per somnia jussit
Æetæ exitium; vehemens hinc protinus omnem
Regalem cum mente domum concusserat horror.
Visus enim spectare sibi est ex æthere summo
Præfulgens caris occumbere virginis astrum
Medeæ in sinibus, propria quam nutriat aula.
Illa autem peplo accepto, gavisaque tota
Mente ferens illud, latum pervenit ad amnem
Phasidos; ast raptum fluvii jam fluctibus astrum
Longius Euxini ponti de litore ferri.
Talia per somnum fuerant ubi visa, repente
Erigitur, Stygiusque tremor jam pectus obibat.
Exsiliit strato, famulos jam frena jubebat
Constratis imponere equis, et jungere currus,
Ut veniens placet peramati fluminis undas
Phasidos, atque ipsi patrias cum gurgite Nymphas,

Heroumque animas, quotquot per flumen oberrant.
Inde suis jubet e thalamis accedere natas,
Chalciopem, et natos Phryxo jam conjuge adempto,
Et teneram forma insignem, vultusque rubore
Medeam, ut curru vectæ comitentur euntem.
Nam media Absyrtus procul hinc habitabat in urbe.
Aureus una ipsum currus natasque ferebat
Æetem; hic rapido cursu sublimis equorum
Fertur arundinei fauces ad fluminis; illic
Ferre preces patriis undis et sacra solebant.
Has autem ad ripas cursu pervenerat Argo.
Hanc ergo Æetes conspexit, et ordine multos
Heroas una in mediis considere transtris,
Dis similes: nam pectora erant sua splendida cuique.
Verum inter cunctos præstans excellit Iason:
Huic etenim Juno divinum afflarat honorem,
Et dederat formam, et procero in corpore robur.
Quum propius starent, alternaque lumina ferrent
Æetes Minyæque, gravem tulit ira dolorem.
At prius Æetes splendenti, Phœbus ut alter,
E curru aurato longe radiabat amictu;
Serta caput circum radiis ardentibus illi
Ambibant, sceptrumque manu quatiente movebat
Ceu fulgur; geminæque latus cinxere puellæ
Prælustres; gaudebat enim comitantibus illis.
Terribilis vero, et torvo quoque lumine spectans,
Crudeles clamante minas excussit ab ore:
« Dicite quinam estis, vel quæ vos duxit egestas?
Unde etiam causæ fuerunt mea regna petendi?
Nam neque jura mei regni, nec sceptra timetis
Colchorum, aut studio flagrantia pectora nostri,
Qui marte indomiti, quoties ad bella vocantur,

Collatis patriam tutantur fortiter armis ».
Sic ait : at cuncti tenuere silentia tristes.
Tum vero Æsonidæ fidentia pectora Juno
Attulit, heroas namque ingens mœror habebat.
« Nos neque latrones ut venimus, ullave nostra
Sæva lacessitos injuria reddidit hostes,
Mortales odio quæ jam fecere priores
Haud pauci, rapto lucrum sibi turpe parantes.
Sed neque Neptuni bravium carissima proles
Constituit primus Pelias ut vellera nacti
Aurea felices patriam repetamus Iolcon.
At nonnulla tenent socii mihi nomina juncti :
Nam sumus heroum aut nati de sanguine divum.
Sed neque bellorum ignari durive laboris,
Hospitio jungi petimus : nam denique præstat ».
Sic ait, ast animum concussit flamma procellæ
Æetæ similis, oculosque intorsit acerbos,
Exitiumque dolo Minyis meditatur iniquo.
Ad quos est tandem tali sermone loquutus :
« Si tanta in vobis animi vis martia surgit,
Ut contra instantes pugnaces fundere Colchos
Speretis, vobisque ingens erit inde tropæum,
Vellera tollentes patrias deposcite terras ;
Sin autem pauci nostra superante phalange
Cedetis, pœnas solvet confracta carina.
At mihi si qua fides, et erit magis utile vobis,
Deligere e cunctis qui sit præstantior unum
Mens erit, ut subiens ego quæ certamina dicam,
Aurea dona ferat, et vos honor iste manebit ».
Sic dicens urgebat equos ; vestigia retro
Illi jussa ferunt ; Minyas dolor occupat altus.
Tunc ergo Alcides votis deposcitur : illi

Non invicta darent Colchorum pectora pœnas.
Nunc autem, Musæe, tibi præstrinxero mœsti
Qualia pertulerint Minyæ; tum regis ab aula
Æetæ rediens pugnax quæ dixerit Argus,
Quem Phryxo de patre tulit sibi juncta puella
Chalciope in patriis laribus, quo tempore vectus
Arietis in tergo Colchorum ad litora venit.
Nuntiat hic Minyis quæ sunt ventura superbi
Stultitia Æetæ scelerato et pectore regis;
Utque puellari infelix uratur amore
Medea, atque astu Junonis capta feratur:
Namque Cupidineo torquet Venus igne medullas,
Proximaque hanc Stygio telo trajecit Erinnys;
Utque boves ignem spirantes sub juga misit
Quadrifida; ut sulco dederit, quæ semina Phryxus
Gesserat, Æetæ veniens bellator ad aulam,
Anguigenis dotem bellacem e dentibus actam;
Exosam ut segetem summas occidit aristas
Funesta Medea manu, sed gloria facti
Cesserit Æsonidæ; tenebris ut noctis opacæ
Venerit infaustis pullo velamine tecta
Auspiciis, furtim flammæ data virgo furenti,
Et petiit celsam fatis urgentibus Argo,
Quum nullius erat non iræ cura paternæ;
Ut complexa viri formosos nexibus artus,
Pectoraque attrectans blande, oscula fixit amanti,
Humectans lacrymis stagnantibus ora, pudorque
Omnis, amore viri, cessit, percussaque philtris,
Virgineum stravit poscens hymenæa pudorem;
Plura etiam; sed quæque suo mox ordine disces.
Ergo ubi tecta ferox Medea paterna reliquit,
Venit et ad puppim gressu suspensa latenti,

Tunc multa inter nos quo pacto aut arte loquuti
Aurea de sacra ferremus vellera fago,
Quam facile is menti nostræ labor; at neque quisquam
Tantum ausus sperare; novi nam plena timoris
Cuncta videbantur, seriesque immensa malorum.
Nam primum ante domos Phasis prælabitur ingens;
Deinde novem densus paries erectus in ulnas,
Turribus et solidis munitus vectibus ambit.
Septeni claudunt orbes, triplicesque tuentur
Æratæ ingentes portæ; supereminet altus
Murus, et auratæ decorant fastigia pinnæ.
Spargit inexstinctas portarum limine in ipso
Sublimis regina faces, atque inde Dianam
Ostia servantem Colchi coluere viasque.
Ipsa oculis horrenda viros atque auribus arcet,
Ni fuerit precibus sacris placata peractis.
Quæ Medea sciens libamina sola sacerdos,
Et sociæ magno celant Cyteides astu.
Nec civis veniens illuc quicumque, vel hostis,
Interiora subit mortali limina gressu.
Nam prohibet quemcumque viæ dux et dea custos,
Immittens rabiem catulis irata serenis.
Interior sepes murorum circuit hortum
Umbrosum arboribus late crescentibus; illic
Cum cornis pulchræ laurus, platanique decoræ.
Hic etiam parvis tectæ radicibus herbæ,
Asphodelus, clymenusque, et pulchrior his adiantus,
Et thryon imbellis, aristereonque, cyperonque,
Hormion, irysimon, devotaque cyclamis aris,
Stœchas, pæonieque, et ramo divite crescens
Mandragora, et polion, subtilis dictamus una;
Hic et odora crocus, hic cardamon, hic quoque cemus,

Cumque chamæmelo smilax, mecon quoque nigra,
Alcyaque, et panaces, et capason, atque aconitum,
Et quæ dira suis fert gramina terra venenis.
In medio stipes fagi sacer, arduus altum
Densatur nemore, et ramis spatiantibus exit.
Hic igitur Phryxæa omni de parte refulgens
Aurea pendet ovis: serpens hic vellera circum
Pervigilat, dictu monstrum mortalibus horrens.
Nam tegitur fulvo corio, multisque superbum
Amplexus truncum spiris ingentibus ambit,
Infernique Jovis signum pro vellere vexat
Indomitus custos, et somni nescius anguis,
Sordida convolvens humenti lumina tabo.
  Ast ubi de cunctis ut erant verissima rebus
Novimus, et tenebris Hecates, custode dracone,
Omnia quæ nobis prudens Medea resolvit,
Poscimus in tanto et sine spe discrimine, sæva
Quo dea sit placanda modo, faveatque rogata,
Ut sit iter nemus in vastum, tandemque recepto
In patrias læti redeamus vellere terras.
Tunc Mopsus jubet e cunctis heroibus unus,
Nam fuit ingenio vates, is doctus et arte,
Ut me supplicibus adigant ad munera verbis,
Placantemque deam, monstrumque immane trahentem.
Sic illi orantes facta cinxere corona.
Jussi igitur geminos, fortem quoque Jasona, fratres,
Pollucem pugilem, præsignem et Castora equestrem,
Mopsonque Ampyciden loca poscere plena laboris.
At me tum ab reliquis solum Medea sequuta est.
  Post ubi contigimus aras, divamque Therapnen,
Effodi triplicem campi supei æquora fossam:
Arceuthi truncos, fragmenta quoque arida cedri,

Et rhamni stimulos, et stridula ab arbore ramos
Quaque legens, struxique pyras in margine fossæ.
Multa quoque ipsa mihi callens Medea ferebat,
Et sacri ex adyto capsam gestabat odoris.
Tum propere subter vestem simulacra peregi,
Imposuique ignem, congestaque viscera, sacram
Rem faciens, catulos nigra tres pelle locavi.
Sanguine miscebam calchantum et struthion illo,
Et scissam cnecum; deforme his psyllion addo,
Chalcimon, anchusamque rubram, truncique subinde
Apposui ventres secto de corpore plenos,
Succinctus pullas ferrumque hostile lacernas,
Pulsabamque rogans: dant illæ protinus aures
Lurida rumpentes funesti claustra barathri,
Tisiphone, Alectoque furens, et dia Megæra,
Succenduntque faces in cædem et vulnera tetras;
Invaditque pyram flammis stridentibus ignis;
Et fumum ingentem flagrans dat in æthera nidor,
Quum subito inferna per flammam sede feruntur,
Crudelis nec visa lues, facinusque stupendum:
Corpora sunt illi de duro immitia ferro
Pandorenque vocant: variis dehinc horrida formis
Immanis, nec mente capax, monstrosaque Ditis
Nata triceps Hecate, læva nam parte jubosus
Hinnit equus, dextra rabido canis æstuat ore,
Exitiale malum, medio fera surgit agrestis,
Ensis utraque manus acie distringit acuta.
At circa foveam varios sinuantur in orbes
Pandore atque Hecate; Pœnarum hinc turba subibat;
Quæque faces custos piceas immunda Dianæ
Mittit humi sternens oculos, nec ad æthera tollit.
Lambunt ora canes innati: argentea jamjam

Claustra patent, pulchrasque fores tum sponte recludi
Portarum aspiceres; oculi nemus omne pererrant.
  Ast ego tunc ipso gressus in limine fixi;
Medea insequitur, et splendidus Æsone natus,
Tyndaridæ atque una celerant vestigia Mopsus.
Quum prope jam tanto fagus quæsita labore
Staret, et hic fundus Stygio sacer, araque regi,
Ecce draco, immensos spiris facientibus orbes,
Attollens immane caputque genasque frementes,
Sibilat horrendum : strepuit conterritus aer,
Insonuitque arbor; radicibus omnia ab ipsis
Hinc atque hinc concussa; strepit nemus undique densum.
At me tum sociosque simul tremor occupat ingens;
Medeæ tantum mens uni interrita mansit;
Frustaque cum tristi manibus radice revellit.
Tunc ego divinum modulatus pectine carmen,
Supremamque chelyn plectens et pollice chordam,
Dulcia de nostris emisi murmura labris,
Et somno laudes, regique hominumque deumque,
Molliat ut validi, cecini, fera membra draconis.
Protinus audito venit Cyteida cantu
In patriam, sopitque hominum mortalia corda,
Ventorum et strepitus vastos, fluctusque marinos,
Undantes fluvios, cursumque e fonte perenni,
Cumque feris volucres, quod vivit, repit, et omne
Collocat in lecto, et pennis prætervolat aureis.
Hic igitur Colchos, florentiaque arva poposcit
Somnus, et horrentis invasit lumina monstri,
Haud morti absimilis: pressum caput applicat armis,
Subducens folles ingentia colla: stupetque
Medea infelix: tum protinus Æsone natum
Incendens, propere ex alto jubet aurea ramo

Vellera detrahere; accelerat non segnis Iason,
Exceptæque humeris fert pondera pellis ad Argo.
Exsultant Minyæ heroes, alteque levarunt
Ad cælum superosque manus et sidera junctas;
Vellera sic illi circumstant. Protinus ergo
Medeam e servis Æetes audit abisse.
Hinc vocat Absyrtum, populumque et ad arma vocare,
Germanumque una dat quærere jussa sororem.

Phasidos is rapido gressu properabat ad undas,
Heroasque petit, audax ubi virgo reperta.
Et jam nox medias cursu transegerat umbras,
Quum Medea dolis instructa, et amoribus ardens,
Exitium fratri Absyrto meditatur iniquum;
Et cæsum vasti jaciunt in fluminis undas,
Gurgite quem mersum, rapiunt Nereides alto;
Illum autem sævis e fluctibus insula tandem
Allisum excepit, quam nunc Absyrtida dicunt.
Sed neque fas, neque cuncta deum latuere videntem.
Tunc propere insiliunt puppim, ferroque rudentes
Utrinque abscindunt trepidi, sed devius errat
. . . .
A ponto avertit, nec fluminis ora deorsum
Poscimus, ac scelere obducti contraria duro
Remigio sulcant Colcho tellure relicta
Lymphati Minyæ, cæcosque profunda premit nox,
Et medios fluctus stulti ignarique locorum
Currimus; at loca plena colunt ea maxima circum
Gymni, Buonomæque, et agrestes Arcyes una,
Cerceticique, ferox ea gens, Sintique superbi,
Sparsa Charandæas per valles tecta frequentant
Caucaseas juxta rupes, arctamque Erythiam.

Sed quum mane rubens orbis proferret Eous

Insula Pœanthe fessos excepit; at illam
Adverso remis circumdant flumine cursu
Ingenti Phasis, tranquilloque amne Saranges,
Quem stagnante palus Mæotis gurgite latum
Sparsa per irriguos transmittit in æquora campos.
  Tunc ergo obnixi remis noctesque diesque
Currimus; hinc fauces cogentem Bosporon arctas
Transilimus, tauro Titan ubi fortiter usus
Trajecit fluvium facientia stagna palustrem.
Hinc jam remigio longos faciente labores
Mœotas tunicis primo contingimus altis,
Finibus et vastis immenso crine Gelonos,
Sauromatasque, Getasque, Gymnæos, Cecryphasque,
Arsopasque feram gentem, sævosque Arimasthas,
Qui positas habitant circum Mæotida terras.
  Ast ubi inexhausto contristavere labore
Nos superi, et vastæ vada sunt transmissa paludis,
Vix tandem exitio eripimur, pulsantibus Argo
Demissis tabulis, et jam stridente carina.
Inde sub Arctois, angusto rapta meatu,
Finibus oceanum versus prolabitur Argo;
Defessi noctesque novem totidem quoque soles,
Linquimus hinc atque hinc ignotas nomine gentes,
Pacton, Arcteonque genus, Leliosque feroces,
Belligerosque Scythas devotos pectora Marti,
Atque truces Tauros, crudelia sacra ferentes
Divæ Hecatæ: humano complent cratera cruore.
Quin et Hyperboreos Nomadas et Caspia claustra.
  Atque ubi diva diem jam clarum aurora revexit,
Rhiphæas valles attingimus; inde repente
Prosilit angusti puppis per litora ponti,
Oceanumque intrat. Saturnius ipse vocatur

Pontus Hyperboreis a gentibus, et mare Mortuum;
Unde etiam letum fugiendi nulla fuit spes,
Ni puppim validis Ancæus viribus actam,
Innixus pulchra temonibus arte dolatis,
Dextra coegisset cursum per litora ferre.
Prosilit hinc geminis sudanti remige palmis;
Sed domitos longo remorum denique pulsu
Linquebat jam fessa manus, jam tristia corda,
Brachiaque in nexum durata fronte plicamus;
Torquet dura fames, et sudor multus anhelos.
Tum saltu rapitur de puppe Ancæus, et omnes
Mollibus hortatur heroas fidere verbis.
Qui postquam cum puppe locum tenuere palustrem,
In mare de summa saliunt per litora navi,
Funibus ac subito longis a puppe reductis
Extremo annexam deducunt molliter Argo
Argus et Ancæus, Minyis dant deinde rudentes
Tendendos reliquis; rapiunt per litora cursu
Veloces, sequitnrque illos non tarda carina,
Stagnantesque undas lapidoso in litore sulcat.
Namque illud nulli feriunt spirantibus auris
Indomiti pelagus venti; perstat mare surdum,
Dictaque pars Helices, et Tethyos ultima regni.
  Ast ubi sexta dies roseo cum lumine venit,
Venimus ad dites, omnique ex parte beatos
Macrobios, facilem qui vitam in longa trahentes
Secula, millenos implent feliciter annos,
Immunes vitiique omnis, sortisque malignæ.
Verum ubi fatales æquarunt tempore Parcas,
Tum somno capiunt et dulci morte quietem.
Non illis hominum sunt ulla negotia curæ;
Sed capiunt dulcesque cibos terrestribus herbis,

Ambrosiumque bibunt succum de rore perenni.
Par illos decorat ætatem splendor in omnem,
Arridentque illis facies, oculique sereni
Patribus ac pueris; tum vero menti animoque
Justitiæ cultus, et inest prudentia verbis.
Hos igitur densos percurrimus, ipsa pedestri
Litora transigimus gressu; tum Cimmeriorum
Velocem ad litus navem propellimus; hi sunt
Phœbææ totos expertes lampadis annos :
Nam mons Rhiphæus, et vertex Calpius illinc
Nascentem avertunt solem; densissima Phlegre
A medio vastas consurgens porrigit umbras
Usque die, radiosque omnis regionibus illis
Continua immersis adimunt caligine solis.

Digressi hinc igitur, pedibusque ea litora mensi,
Venimus ad scopulum fortem, litusque serenum;
Vorticibus fluvius decurrens inde profundis
Aureus e gelidis Acheron perlabitur oris.
Hunc primum vitreis currentem intersecat undis
Nigra palus, raucoque sonant hinc murmure ripæ.
Densa per has viridi sunt fronde arbusta, feruntque
Assiduos fructus noctesque diesque per omnes,
Statque humilis circum vesci utilis hermionia,
Ornat et hic muris vicos appensa, viasque.
His quoque gens oris hominum justissima vivit,
Ipsa quibus satis est navis morientibus una.
Namque animæ tenui vectæ per flumina cymba,
Trajiciunt ripas; visuntur protinus urbes,
Infernique fores validæ, somnusque profundus.
Ast ubi jamque hominum mores, et novimus urbem
Magno infelices ea mensi litora damno,
Tum propere Ancæus navem petit; ocius omnes

Defessos quamvis conscendere jussit amicos,
Ad quos est verbis blandis quoque pauca loquutus :
« Nunc etiam durate, viri : labor ultimus hic est,
Quo nec jam gravior succedet; jamque ego claros
Aspicio Zephyri flatus; stridentque per undas
Oceani mihi non ignotæ fortius auræ.
Sed propere malum media firmate carina,
Solvite vela suis de funibus, arma parantes
Ordine, dextra latus prudens exornet utrumque ».
Sic illi peragunt certatim cuncta, sed imo
E fundo resonans dat vocem concita fagus,
Argolica Pallas secuit quam diva bipenni,
Atque ait (at circum stupor inde invaserat omnes):
« Heu me! namque utinam collisa et perdita dudum
Cyaneis petris Euxini in fluctibus essem,
Quam nunc stultitia regum hæc opprobria nunquam
Credita perferrem! nam me fera semper Erinnys
Absyrti effuso cognati sæva cruore
A tergo insequitur; damnis quoque damna gravantur.
Has igitur cæsi pœnas scelerisque nefandi
Perfero fatales nunc huc impulsa per undas.
Quin vos me scopulis sacris immittite terræ,
Inque sinus nostros pelagi perducite nostri,
Oceanumque extra, atque Atlantica monstra feratis ».
Sic effata premit vocem; tum funditus omnis
Vis animi Minyis obtorpuit, horrida fata
Æsonidæ nimios passuri propter amores,
Multaque per sensus volvunt in pectore amaros,
An sævam ferro perimant, et piscibus escam
Medeam jaciant, retro et vertatur Erinnys,
Ni cito sensisset superinclytus Æsone natus,
Flexissetque iram, atque animos cujusque precando.

Postquam Argus vocem vera audivere loquentis,
Consedere citi in transtris, remosque tulere.
At multa Ancæus temonem dirigit arte,
Insulaque ante omnes offertur Iernis, et Argo
Insequitur metuens atram non stulta procellam;
Velaque franguntur; currit tamen illa per æquor
Anxia; nulla iterum fugiendi denique leti
Spes erat, et duodena dies jam fluxerat, ex quo
Ignari vehimur quibus erraremus in oris.
Sed tamen Oceani extremo nos margine ferri
Cognorat Lynceus, conspecta quoque eminus illi
Insula Peuceessa. Cereris regalia sunt hic
Ampla deæ, et nubes hæc circumfusa coronat,
Quorum, quæcumque est, ex me tibi fabula constat,
Persephonen soliti ut teneram dum sedula flores
Colligit in magno germani fallere luco,
Navigio vectus sed equis ubi frena jubosis
Imponens, vidit Parcarum fœdere Pluto
Vi flentem rapuit, traxitque Atlantis in æquor.
Nunc desperatum est nos posse optata tenere
Litora, sive ullos contingi hic denique fines,
Ad quæ non ullæ vertunt sua lintea puppes.
Nam neque clausa palus pontum venientibus offert,
Sed scopuli circum, porrectaque saxa feruntur
In pelagus, generat fluctus pulcherrima dona.
At non Ancæum rectorem puppis aduncæ
Spes sua destituit, circum sed obambulat errans,
Nunc latus in lævum flexo temone, nec illic
Viso aditu, in dextram direxit lintea partem.
Tertia lux tandem perduxit in atria Circes
Lintea, tumque loci petere interiora jubemus.
Nos quoque, nos læto jam litora poscimus ausu,

Et densis funes saxis convolvimus; illinc
Emisit socios, et quærere jussit Iason
An colat ignotas semotaque litora terras
Gens ulla, et mores hominum cognoscere et urbem.
Verum illis propere venientibus obvia solis
Filia, quam dicunt proprio de nomine Circen,
Affuit, Æetæ justo sociata jugali,
Quam tulit Asterope splendenti Hyperione mater.
Hæc igitur cursu ad puppim pervenit: at omnes
Inspecta stupuere: pares de vertice summo
Et radiis similes spargebat namque capillos,
Emittens gratas splendenti corpore flammas.
Verum ubi Medeam tenui velamine tectam
Inspexit, namque illa genas perfusa rubore
Velabat, viridisque dolor tunc corda premebat,
Sic fatur, gemitus natæ miserata latentes:
«O misera, in quantos jecit te Cypria luctus!
Jam facinus vestrum non ulla aboleverit ætas,
Quod senis huc profugos frustra genitoris ab ore
Nunc agit ob cæsi fratris crudeliter umbram.
Nam neque vos patriis fas est succedere tectis
Pollutos tetra peccati labe recentis,
Ni prius invisum Maleæ in litore justa
Purgetis per sacra nefas, libamen et Orphei;
Atque ideo nostras nunquam vos visere terras
Credite turbatos tam tetro crimine sordis;
Hospita dona tamen vobis studiosa parabo,
Et panem, et multas carnes, et dulcia vina».
Sic ait, et retro conversa est: vasa sed ipsam
In mediam puppim; potusque, cibique feruntur.
Et tulit hinc ventus properos a puppe secundus.
Solvimus hoc igitur tensos de litore funes,

Sulcantes fluctus Ternesia litora juxta.
Mox et ad Herculeas pervenimus inde columnas.
At circum scopulos, atque alta cacumina, Baccho
Sacratos, tenuere diu jejunia tristes.
Tunc quoque, sol nitidum quum se proferret eous,
Directo pelagus sulcamus remige glaucum.
Sardiniam hinc petimus, tandemque sinusque Latinos,
Et quos Ausonium Tyrrhenumque alluit æquor.
At freta Trinacriæ tua jam, Lilybœe, tenentes
Æquora sentimus, flammamque per alta videmus
Ætnæi Enceladi, nobis infesta minantem.
Tum propere super insultans exæstuat unda,
Ebullans, altoque fremit torrente Charybdis;
Tunc etiam antennas invasit gurgite vasto,
Sed puppim adversus rapit hinc simul, et neque cursum
Pone sequi, nec retro datur subducere navim,
Gurgiteque obducti jam circumvolvimur illo.
Tunc etiam præceps submergi cœperat Argo,
Ni veneranda virum senis inclyta nata marini
Viventem optasset contingere Pelea magnum,
Blandaque de thalamis venisset ad alta paternis,
Argoam et puppem cœno eduxisset ab imo.
Haud procul hinc vecti scopulo succedimus altum
In mare porrecto; geminis hinc inde recurrens
Unda, repercusso resonat per litora saxo,
Fluctibus et gratæ veniunt a cautibus auræ.
Illic mellifluam residentes ore puellæ
Dant vocem, redituque carent per carmina nautæ.
Et jam tum Minyas invasit gratia cantus
Sirenum, validisque sonos transcurrere remis
Letales mens nulla fuit, manibusque remittunt.
Quinetiam Ancæus temonem ad litora vertit,

Ipse ego ni citharæ versis in carmina chordis,
Quos mater docuit misissem pectore cantus;
Pangebamque modis suavem resonantibus hymnum,
Ut quondam æripedum causa certarit equorum
Jupiter astrorum deus, et Neptunus aquarum,
Utque Lycaoniam terram deus æquoris aureo
Iratus fratri percusserit inde tridente,
Impulsuque illo sese ostendere per alta
Æquora diversæ, quæque insula, nomine terræ,
Sardinia, Eubœa, et Salamis, ventosaque Cyprus.
Obstupuere novo cantu de colle nivoso
Sirenes, victæque tacent, et carmine nostro;
Et chelyn, et citharam, suspiria pectore ab imo
Ducentes, jecere manu, supremaque leti
Tempora fatalis veniunt, et ab objice saxi
Præcipites sese in pelagus misere profundum;
Sed formam in petras, generosaque corpora mutant.

Ergo ubi et hoc etiam cursu jam præterit Argo
Naufragium, latosque sinus petit æquoris alti,
Jamque per optatos producit carbasa ventos,
Cercyreos petimus portus; ea tecta colebant
Artifices operum pelagi, puppisque regendæ
Phæaces, virtute animi quibus inclytus heros
Imperat Alcinous, regum justissimus unus.
Subductis illinc de litore sacra ferebant
Funibus, ætherioque Jovi, et tibi, Delphice Phœbe,
Quum subito in portum delati classe vehuntur
Remigio Æetæ regis manus alta virorum
Colchorum, Errayonque, Charandæon, Solymonque,
Et Minyas quærunt, reddant sibi deinde ferendam
Medeam patris ante oculos, in Phaside cæsi
Perferat ut meritas fratris pro sanguine pœnas.

Quum jam igitur portus intrassent stagna profundi,
Alcinoi poscunt præcones atria regis.
Medeæ genua ægra labant; pallorque timorque
Occupat, invitam retrahant ne vincula Colchon,
Phæacum et faciat non ante audita tyrannus.
Sed non cuncta movens fore jusserat ordine tali
Parca prius, Peliæ quam funestasset et aulam,
Regnantique ipsi cædis foret auctor Iason.
Arete Alcinoi clemens, formosaque conjux.
Ipse autem Alcinous duci de puppe puellam,
Quam peterent Colchi tanto pro crimine sontem,
Restituique suo dicit debere parenti.
Sed movit pietas reginæ viscera mitis,
Admonuitque virum, blandis sermonibus usa:
«Scilicet, o conjux, socii data fœdera lecti,
Haud dulce est thalami junctas divellere flammas;
Et quoties quivis hæc audeat, alma Dione
Irruit inque viros ultrix irataque matres.
Quod si virgineum servat non tacta pudorem,
Naviget ad patrem et patrios Medea penates.
At si concubitu fœdavit claustra jugali
Abdita, jure suo ducat quocumque maritus».
Sic ait: ac regis verba hæc præcordia tangunt,
Atque ita cuncta suis statuit decernere dictis.
At Minyas non hæc latuit sententia: Juno
Nam subito servo assimilis devecta per auras,
Nuntiat arcanum reges quodcunque loquuti.
Tum subito thalamos Medea torosque parare
Excelsa in puppi; circumque aulæa coruscant,
Velleraque affixis dependent aurea setis.
Postquam igitur fulcris nituere cubilia lautis,
Conjugiique pares flammæ subiere latentes,

Tunc jam virginei florem Medea decoris
Tristibus infelix hymenæis nupta reliquit.
Hinc ubi magnanimi regis subiere tribunal
Colchique et Minyæ, quidquid voluere loquuti,
Traditur Alcinoi decreto jam sua conjux
Æsonidæ; solvunt Minyæ de litore puppem,
Ocius et remis stridens propellitur Argo,
Ambraciique sinus celeri secat æquora cursu.
Hic tibi quid, Musæ, canam, memorande, labores,
Quos dederint junctæ cum Syrtibus usque procellæ,
Et Minyæ incolumes quantis erroribus acti,
Quinetiam quantos incussit Creta dolores,
Æreus ut Trigigas accessu horrendus in ipso
In portum vetuit Minyas subducere puppem,
Ut tandem æquoreis vexati tempore longo
Fluctibus, ac subito tristi male nube gravati,
Credidimus navem quoties allidere saxis?
At Pæan lucem per nubila sæva coruscam
Montibus e summis Deli tulit: inde repente
Ex multis quæ nos claudebant insula visa est,
Quam dicunt Anaphen loca qui vicina frequentant.
Sed non Æsonidæ quamvis contingere terram
Parte licet: redimendus enim defertur (at illum
Mors aversa fugit): vis tanta Hyperionis iræ!
Mox ubi transvecti Maleotidos alta tenemus,
Admonitu Circes Minyæ purgare parabant
Infaustum Æetes quidquidve ingessit Erinnys;
Tunc ego sacrorum Minyis libamina pulchra
Struxi, et Neptunum suprema voce rogavi
Det reditum fessis, dulcesque videre parentes.
Illi igitur ventis acti referuntur Iolcon
In patriam; sed fronde virens me Tænarus alta

Excipit, ut referam magnis sacra regibus Orci,
Vasta quibus parent immensi claustra barathri.
Inde celer petii Thracen per summa nivosam
Libethras gaudens terram tetigisse paternam.
Hic antrum subii peramabile, splendida quo me
Protulit Œagro mater commista potenti.

N. B. Hanc Orphei Argonauticon versionem Leodrisio Cribello, Mediolanensi, tribuit Burmannus; vide Burmann. præfat. II, nostræ edit. tom. I, pag. CL. Græcum auctorem aut non legisse Pius, aut non intellexisse nobis videtur, qui *Latiam lyram* (vide supra pag. 274) *gravius tonare et magis heroicum* pronuntiat. Quam versionem quum typis mandaremus, ac pro nostra diligentia cum græco textu sedulo conferremus, tam mendosam reperimus, ut integram refingere animus sollicitaret, nisi urgeret tempus, omnemque moram circa secundarias partes recusaret operis præcipui ratio, propositi fides, ac promissi constantia. Plura tamen loca, quæ vel nullum, vel absurdum prorsus, efficiebant sensum, obiter emendavimus, donec e studiosa literatorum gente aliquis oriatur, qui Orphea, sive Latinum, sive Gallicum, dignum saltem Græco tunc demum literis proferat. Ed.

AD LECTOREM

DOMINICUS FONTEIUS BRIXIENSIS.

Esse ergo heroas vatesque regentia fata
  Quis neget, atque acies, magnanimosque duces?
Flacce, per Elysios, et tecum Thessala pubes,
  Errabatque omni mortua fama polo;
Hæserat Æsonides cum nupta Absyrtidas inter;
  Argo nec patrium visere Pindon erat:
Felsina si, vatis genius, nescisset alumnum,
  Cujus ob ingenium stat Pagasæa manus.
Quanta Venus fuerit, quantusque incepit Apelles,
  Hanc Mars, hunc novit Græcia docta virum:
Semideos Flaccumque Pius sic doctus, et Ossam
  Novit, et ut Latium Phasin et illa sciat,
Tantalidæ potior pars est suffecta poetæ,
  Qua priscæ ætatis gloria victa jacet.

AD PIUM

IDEM.

Merserat Æmoniam Nephelæaque vellera Flaccus,
  Heroasque suos fleverat Appidanus;
Nomina nec poterat regum Bebeidos altæ
  Vir Latius patrios vel memorasse lares;
Tu nisi per Latias isses præstantior oras,
  Et cæco vati lux tua fixa foret.
Europam atque Asiam vinxisti munere; prisca
  Secla pudet: nostra est æmula posteritas.

CATALOGUS
ARGONAUTARUM

CATALOGUS ARGONAUTARUM

EX ARGONAUTICIS

ET ALIIS SCRIPTORIBUS

A BURMANNO COLLECTUS (1).

ACASTUS (2) Peliæ, regis Thessaliæ, filius ex Anaxibia (sive ut alii, teste Apollodoro, lib. I, p. 36, Philomache) Biantis filia; qui Bias est Amythaonis filius; ille autem Crethei, hic vero Æoli, ex quo et Pelias descendebat: filius enim Tyrus, filiæ Salmonei (qui Crethei frater et Æoli filius erat, licet Diodorus Siculus, lib. IV, p. 188, faciat filium Hellenis, Æoli nepotem), et Neptuni, erat frater uterinus Æsonis, qui ex eadem Tyro et Cretheo erat natus. Ab Etymologici Magni auctore dicitur πατὴρ Ἀλκήστιδος, quum fuerit ejus frater, nisi locus sit corruptus, et legendum, Ἄκαστος υἱὸς Πελίου, πατρός τε Ἀλκήστιδος. Nam id ipse locus Euripidis, quem adducit auctor, ex Alcestide, vers. 732, indicat, ubi ἀδελφὴ dicitur, et Scholiastes confirmat. Hic inter Argonautas refertur ab Apollonio Rhodio, lib. I, 224; Hygino, fab. XIV, et nostro poeta; omittitur vero ab Apollodoro et Orpheo. Poeta noster, lib. I, vers. 163 et 484; eum a Jasone per-

(1) Vide Burm. præfat. II, t. I, pag. CLXXIII. ED.

(2) Rex Iolci, quæ erat Magnesiæ, sed a Peleo deinde assertæ Thessaliæ. Pindar. Nem. od. IV, 88 sqq. et *Verheyk* mox laudaudus. HARL.

suasum, inscio patre Pelia, addidisse se Argonautis, quum jam solverent navem, narrat, et fuisse primæ ætatis juvenem, qui duce Jasone *primos virtutis honores carpere* ardebat. Adscribit tamen eum venatoribus apri Calydonii, simul cum Meleagro, Ovidius, Met.VIII, 306, ubi *jaculo insignis Acastus* dicitur, quam tamen venationem priorem fuisse hac expeditione, multi statuunt; sed pares in fabulis anachronismos plurimos in hoc Catalogo videbimus; et huic similem infra in Peleo; sed venatus ille apri revera posterior fuit; nam in illo perierunt quidam Argonautæ, ut Ancæus, Eurytion et alii. Redux ab hac expeditione dicitur duxisse *Hippolyten*, Hippolyti filiam, quæ ab aliis *Cretheis* dicitur; vid. Pindar. Od. Nem. IV, 92, et ibi Scholiast. (1); sed hoc ultimum patronymicum est; nam Od. Nem. V, 49, Κρηθηὶς Ἱππολύτα dicitur. Hanc *Magnessam Hippolyten* vocat Horat. Od. III, 7, ubi interpretes quidam ex Scholiaste Pindari eam proprio nomine *Cretheida*, sed a patre *Hippolytam* dictam notant, ab Apollodoro etiam *Astydamiam*, a Suida *Atalantam*; Gallicus interpres etiam *Polydamiam* dictam a quibusdam scribit, quod unde habeat vellem adscripsisset. *Astydamiam* vocat certe Apollodorus, ut in Peleo videbimus; *Atalantam* vero vocat certe Suidas, sed perperam: nam in Fragmento Nic. Damasceni, quod legitur in excerptis Peirescianis, nomen hoc non legitur, sed simpliciter incipit, ὅτι ἡ Ἀκάστου γυνὴ, etc. sine nomine proprio: quare nos statuimus proprio nomine vocatam *Hippolyten*, sed *Cretheida* dictam, quia ex Cretheo descendebat. Sed quis pater ejus Hippolytus fuerit nescimus; inter Crethei enim posteros neminem eo nomine reperimus, nec Jasonis fratres usquam reperi, quum unicus fuerit Æsonis filius, sublato altero, in prima ætate, a Pelia vel ejus mi-

(1) Adde Schol. Aristoph. Nub. V, 59, qui Apollodorum, lib III, 12, 2, descripsit; unde cum eo *Acasti* uxorem *Astydamiam* vocat, quod etiam facit Hesychius, ut pluribus docet *Verheyk* ad Anton. Liberal. Metamorph. cap. 38, p. 257. Harl.

nistris, filio; vide Nostrum, lib. I, v. 823; quem *Promachum* vocatum constat. Sed invenimus Jasona habuisse sororem *Hippolyten* apud Schol. Apollon. I, 286, quæ forte fuit hæc Acasti uxor, et inde jure *Cretheis* potest dici, quia Æsonis filia et Crethei neptis fuit. Porphyrion vero ad Horatii l. l. dicit hanc *Hippolyten* tradi nuptam fuisse *Eurypylo*; ubi quem *Eurypylum* intelligat nescio, quum diversos fuisse viderimus ad Ovid. Met. VII, 363, et XIII, 357; certe ante Acasti nuptias *Eurypylo* nupsisse debuit, quum simul cum Acasto fuerit a Peleo occisa, ut infra in Peleo videbimus. Maserius uxorem Acasti notat a Suida *Atalanten* dici, filiam Hippolytes, quod ultimum ego in Suida non vidi; forte error Suidæ inde natus, vel verba prima turbata, quod *Astydamia*, uxor Acasti, inciderit in amorem Pelei, dum cum *Atalanta* in ludis Peliæ decertat, ut Apollodor. lib. III, cap. 13, § 3. Ex Acasto nata fuit *Laodamia*, Protesilai uxor, ut tradit Hyginus, fab. 103 et 104; et hinc *Laodamia* apud Ovid. Epist. XIII, 25:

> Vix socer Iphiclus, vix me grandævus Acastus,
> Vix mater gelida mœsta refecit aqua.

Ubi dubitari potest, an noster *Acastus* intelligendus, qui ad belli Trojani tempora pervenisse non videtur, ut jam recte notavit Antonius Volscus; sed non ostendit tamen, quis ille *Acastus* fuerit, sed in eam sententiam venisse videtur, quia matrem Laodamiæ, non *Hippolyten* vel *Astydamiam*, sed *Laodotheam* dictam reperit; quam unde petierit, non indicavit; forte ex adscriptis codici suo glossis vel scholiis, ex quibus primi illi Poetarum interpretes, ut Domitius, Raphael Regius et alii, sæpe bonam notarum suarum partem descripsere. Certe et *Acastus* hic, et *Laodothea* mihi incogniti sunt; sed si alius fuerit, etiam Thessalum fuisse *Acastum* illum credo, ut et erat Protesilaus. Quosdam tamen credidisse *Acastum* ad Trojani belli tempora supervixisse, et a Peleo, qui ejus uxorem occidit, expulsum

regno, deinde iterum illud recuperasse, ejecto iterum Peleo, ex Euripide, Troad. 1126, patet, qui ideo Neoptolemum sive Pyrrhum, Achillis filium, properasse reditum versus Phthiam refert, quia audiverat *Acastum* pepulisse regno avum Pelea; quæ non cepit nuperus editor Barnesius, et contraria Euripiden aliis tradere credidit. Hic etiam *Acastus* patris Peliæ in honorem instituit ludos funebres et agonem, quos sæpe a pictoribus et artificibus expressos memorat Pausan. ut lib. III, 18; V, 17; VI, 20; hos Argivos vocat Hygin. fab. 273, in iisque, qui vicerunt, enumerat plurimos Argonautas; vide in *Calai.* Ipsius etiam *Acasti* imaginem, præter Argonautas reliquos, maxima cura pinxit Micon, et ejus equos, teste eodem, lib. I, 18. De morte Acasti nihil certi reperi : nam quod Morerius eum a Peleo occisum narret, citetque eam in rem Supplementi auctor Apollodori librum III, ibi nihil de ejus morte legitur.

ACTOR. Hoc nomine plurimi in mythico sæculo Heroes memorantur (1), quos hic enumerare nihil attinet : quosdam recensuit Barthius ad Statii Theb. lib. VIII, 152; et Meze-riacus ad Epistol. Ovidii primam, p. 38. Hic vero, qui ab Hygino et Apollonio adnumeratur Argonautis, ab aliis omissus, dicitur fuisse *Hippasi* filius, et Peloponnesius : duo vero *Hippasi* memorantur ab Ovidio; unus inter socios Meleagri in venatione apri Calydonii, Met. lib. VIII, 313, qui ab Hygino, fab. 173, dicitur Euryti filius; alter inter Centauros, Metam. lib. XII, 352; in qua pugna Centaurorum et Lapitharum etiam memoratur Eurytus, omnium Centaurorum sævissimus, ab eodem Poeta, v. 220. Potuit ergo uterque ille *Hippasus* unus et idem fuisse, qui cum patre simul contra Lapithas pugnaverit, et solus contra aprum abiit : utraque enim illa expeditio juvene Nestore contigit. Sed quum nihil hic certi videam, nihil quoque affirmo.

(1) Conf. *Verheyk* ad Anton. Liberal. p. 256. HARL.

Memoratur et *Hippasus* inter filios Pelopis a Schol. Eurip. Orest. 5, et ita recte Peloponnesius esset; vide infra in *Iphito*. Sed alius scrupulus injicitur ex eo, quod Augeæ frater dicatur hic *Actor* Apollodoro, lib. II, pag. 112, Augeas vero filius Ἡλίου (quod imperite interpres reddidit, *filius Helii*, apud eumdem, lib. I, pag. 42, quum vertendum sit *filius Solis*, ut recte Allatius in Anonymo de XII laboribus Herculis, cap. 5, pag. 329, ubi græce, Παῖς Ἡλίου), et ab Apollon. Rh. I, 172, Ἠελίοιο, ubi Scholiastes notat, eum quidem vulgo dictum fuisse Solis filium, sed revera fuisse filium Phorbantis ex Hyrmine, Nelei filia; et Pausan lib. V, 1, dicit male quosdam eum Ἡλείου, *Elei* filium facere, quum fuerit Ἡλίου, *Solis*; ubi etiam *Actora* indigenam facit Elidis, et filium Phorbantis. Si ergo frater Actoris *Augeas* fuit, Actor etiam filius Phorbantis debuit esse; sed Phorbantes etiam diversi memorantur a Mythologis. Hic vero Phorbas Olenius fuisse videtur: nam Eustath. ad Hom. Iliad. II, 616, dicit Phorbanta ex Hyrmine (quam Schol. Apoll. Nelei filiam facere modo vidimus), Alectoris sorore, et Epei filia, suscepisse Augeam et *Actora*, et ex *Actore* natos Cteatum et Eurytum. Phorbantis etiam filium facit Hyginus, ut in eo vidimus. Phorbanta vero origine fuisse Lapithæ filium et Orsinomes, et concessisse Olenum, et ab Alectore, Elidis rege, in consortium regni adscitum memorat Diod. Sic. lib. IV, p. 189, et hujus meminit Ovid. in Lapitharum pugna, Metam. XII, 322; postea transiit in Rhodum, ubi, insula a serpentibus purgata, postea ἔσχε ἡρωϊκὰς τιμὰς, teste eodem Diodoro, pag. 228, ubi aperte Lapithæ filius, et in Thessalia moratus, sedes quæsivisse certas, ubi consideret, dicitur. Sed Meursius de Rhodo, lib. I, cap. 5, de hac historia agens, illa verba ex Dionysii testimonio omittit, et Triopæ filium fuisse statuit, ex Hygini Poetico Astronomico; et eum Carem facit; unde apparet Veteres confudisse plures Phorbantas. Nam et Triopes plures fuerunt; et inter eos etiam Thessalus, ut et Phorbas erat: nam Perrhæborum

tyrannus fuit; vid. Berkel. ad Steph. de Urb. in Μέροψ; et Triopas inter filios Solis a Scholiaste Pindar. Olym. VII, 131, et a Tzetze, Chil. IV, 137, pag. 65, memoratur, ut et noster *Actor* ex Sole progenitus videatur; et ita ille cum Phorbante eamdem originem habuit. Quidquid in his ambagibus fabularum statuendum sit, mihi certum est, Apollodorum et Hyginum, qui soli *Actora* referunt inter Argonautas, illum confudisse cum *Actore* Centauro, *Hippasi* filio; quos utrosque noster Poeta memorat lib. I, 146 et 148, quamvis inde certi nihil possit effici, an Actor fuerit Lapitha, an Centaurus; verisimilius tamen Lapitham fuisse puto, quia Clanis Centaurus eum interfecit. Jam etiam Sthenelus, de quo Valer. Flac. lib. V, 90, *Actorides* dicitur ab Apollonio, II, 913, sed qui diversus ab illo, qui ab Eustath. ad Dionys. Alex. 484, Cometæ filius dicitur, de quo infra in *Asterione* videbimus.

ACTORIDES. Hunc quoque aliqui in Catalogum Argonautarum retulerunt, et in editione Carrionis ex Orpheo memoratur. Certe Orpheo, lib. I, v. 136, *Actorides* cum Corono memoratur. Valerius quoque, lib. I, 407, canit:

Linquit et Actorides natum Chironis in antro.

Sed de Valerio parum laborandum, ille enim sine dubio ibi *Menœtium*, Actoris filium, intelligit, qui filium Patroclum Chironi commendat, per absentiam suam educandum et erudiendum: nam sub eo magistro eum crevisse, etiam tradit Statius, Achil. I, 174, et *Actorides* dicitur etiam ipse Patroclus ab avo suo, Ovidio, Met. XIII, 273, et ex Pont. II, 4, 22; sed de eo infra in *Menœtio* agendum erit. Sed major labor in Orpheo, qui certe *Actoriden* diversum facit a *Menœtio*: quum enim eum recensuisset cum Corono vs. 136, deinde dicit *Menœtium* etiam accessisse Argonautis ex Opoente: ita ut ille animo suo diversum a Menœtio *Actoriden* conceperit, nisi memoria lapsum fuisse

statuamus. *Actoris* vero, de quo modo egimus, nulli filii occurrunt, nisi Cteatus et Eurytus, quos omnes fere Mythologi agnoscunt; vid. Apollod. II, cap. 6, § 2, et Ovid. Met. VIII, 387, et qui *Molionidæ* etiam dicti; vide Periz. ad Ælian. IV, 5, et Schol. Pindar. Olym. X, 30. Sed eorum neuter huic militiæ nomen dedit. Præter hos etiam Actoris filium vidimus modo *Sthenelum*; sed ille jam occiderat ante hanc expeditionem. Eurytion etiam, Menœtii frater, Actoris fuit filius (Schol. Apoll. I, 71); sed ille etiam seorsim Valerio memoratur I, 378, et de eo postea agemus; quare apud Orphea non patronymica forma *Actorides* capiendus, sed ut nomen proprium, quem unde habuerit nos ignoramus. Simile nomen mox occurret, *Æthalides*.

ACTORION. Hunc in Catalogum refert Carrion ex Orpheo, qui versu 177:

Ἤλυθε δ' Ἀκτορίων Ἴλου παῖς Ἀκτορίωνος.

Ubi Esschenbachius recte quidem emendavit Ἴρου παῖς, nam Actoris filii erant Menœtius et Irus (1); unde apparet Ἀκτορίων esse patronymicum, et idem esse, quod Ἀκτορίδης; sed non animadvertit, inconcinne dici *Actoriona* esse filium *Actorionis*; quasi luderet Poeta in duplici vocis ejus usu, ut primo loco esset nomen proprium, altero esset patronymicum. Illustr. Spanhemius ad Callim. in Cerer. vers. 78, ubi memoratur Polyxo, mater Actorionis, hunc Argonautam intelligi credit, quem tamen ab Hygino et Apollonio non Iri filium, sed Hippasi dici notat; confundens *Actoriona* cum Actore, de quo egimus. Verum ego puto locum Orphei corruptum, et quia ille inter Argonautas non memorat *Eurytiona*, quem alii recensent, legendum puto:

Ἤλυθε δ' Εὐρυτίων Ἴρου παῖς Ἀκτορίωνος.

(1) Vid. Anton. Liberal. p. 254 seq. ibique *Verheik*. Harl.

Nam *Eurytion* erat Iri filius, ille vero Actoris, frater Menœtii; vid. Schol. Apollon. I, 72, et infra in *Eurytione.* Græcos vero patronymica ita flectere notum est; et ita Tzetz. Chiliad. V, p. 79, Cteatum et Eurytum, Actoris filios, vocat Ἀκτορίωνας, et Homerus Eurytum *Actorionem* vocat, Iliad. II, vs. 621.

ADMETUS, memoratus Apollonio, Valerio Flacco, Hygino, Apollodoro, Orpheo, et Statio, Theb. V, 435. Rex Pherarum notissimus, et qui Jasoni conjunctus sanguinis vinculo ex Cretheidis erat: filius enim Pheretis, et nepos Crethei, ita ut esset patruelis Jasonis. Æson enim et Pheres fratres (vide Pindari Pyth. IV, p. 224). Mater ejus *Periclymene* dicitur ab Hygino, Minyæ filia (ut recte correxerunt viri docti), ex Thessalia monte Chalcedonio. Ita etiam vocat Tzetz. Chiliad. II, 53; sed Micyllus eam *Clymenen* vocandam esse voluit; de qua in Jasone videbimus, et Iphiclo; duxit uxorem *Alcestida*, Peliæ filiam, Acasti sororem, quæ nota pietate, pro viro obiit voluntariam mortem, ut patet ex omnibus Mythologis, et Alcestide fabula Euripidis; vide Barth. ad Stat. Theb. VI, 332; Hyginus vero, fabula 256, ipsi dat Theonoen, Thestoris filiam. Plura de *Admeto* vide apud Mezeriacum ad Ovid. Epist. OEnones, p. 499; sed quæ Argonauticam expeditionem non spectant.

ÆTHALIDES, nomen proprium, licet formam habeat patronymicam, ut observat Scholiastes Apollonii; quem male *Ethaliden* exprimunt apud Hyginum. Mercurii et Eupolemiæ, Myrmidonis filiæ, filius, Larissæus. Orpheus, versu 131, eum in Alope natum esse dicit. Apollonius vero lib. I, 54, natum ad Amphrysum fluvium canit, quum Alopæ habitaverit. Valerio nostro ab arte sagittandi celebratur lib. I, 436; ab Apollodoro omissus. Apollonius etiam, lib. I, 64, ut κήρυκα (Mercurii enim filio recte hoc munus mandari poterat) missum ab Argonautis ad Hypsi-

pylen reginam Lemni dicit. Apud Statium, Theb. lib. V, 406, quidam codices *Æthalium* habent; sed Barthius recte ostendit vulgatam, *Et Talaum*, lectionem esse præferendam, quamquam ab Orpheo solum illum esse celebratum perperam affirmat. *Æthalium* etiam memorat Ovidius in Ibin, 621, ubi et *Æthaliden* quidam codices; sed ex commentatoribus apparet, illum adhuc, quis fuerit, quæri. *Æthaliden* Mercurii filium etiam laudat simul cum Aristea et aliis Tzetz. Chiliad. IV, pag. 68, versu 520, inter eos, qui morte et vita, τῷ ἀποθνήσκειν καὶ ζῆν, gloriari poterant: quod illustratur ex Laert. lib. VIII, § 4, ubi Pythagoras dicitur de se prædicasse, fuisse se aliquando *Æthaliden*, Mercurii filium; qui a patre obtinuit, ut vita functus, omnium quæ contingerent, memoriam haberet; quæ eadem fere Scholiastes Apollon. lib. I, 644. Male ille, qui Morerio adjecit observationes, reprehendit in eo, quod donum memoriæ ad omnia, quæ in vita et post mortem fecerat, extendat; ipse vero restringit tantum ad metempsychoses, quarum ille meminerat variarum, alii vero obliti erant. Sed Diogenes Laertius manifeste dicit, illum petiisse a Mercurio ζῶντα καὶ τελευτῶντα μνήμην ἔχειν τῶν συμβαινόντων; et addit illum, dum adhuc viveret, omnium meminisse, et post mortem servasse eamdem memoriam, et tunc demum per metempsychosin in Euphorbum transiisse, et ita porro. Nihil ergo censuræ meretur Morerius. Porro hic *Æthalides* Jasona etiam propinqua cognatione contingebat: *Eupolemia* enim mater erat filia Myrmidonis, hic vero uxorem habuit Pisidicen, Æoli filiam, et Crethei sororem (Apollod. lib. I, cap. 7). Eustath. ad Homer. Iliad. I, 338, dicit Myrmidonem Jovis filium, ejus Actora, qui duxit Æginam, postquam ex Jove Æacum edidisset, et inde genuit ille Menœtium; idem fere narrat ad Iliad. II, 684.

ALMENUS. Hic Apollodoro memoratus, aliis omnibus ignoratur. Dicit eum filium Martis, et jungit Ascalapho tam-

quam fratri; sed et hujus nullus inter Argonautas meminit; sed sine dubio corruptus est locus Apollodori, et simul ipse auctor erravit: legendum enim est Ἰάλμενος; ut jam recte emendavit vir doctissimus Tho. *Gale;* quia vero sæpe etiam alii Mythologi confuderunt quosdam heroas, qui Argonauticæ expeditioni interfuerunt, cum illis qui Trojano bello Græcos adjuverunt, Apollodorus perperam hos filios Martis adscripsit Argonautis, quos Homerus, Iliad. lib. II, 516, inter Græcos, qui in Trojam militaverunt, refert, quos ex Orchomeno Minyeo venisse dicit, unde forte inter Minyas retulit Apollodorus; ubi vide Eustath. *Ameleon* Hygino memoratur; sed corruptum et ignotum nomen est, unde nihil extrico; præterea hic *Almenus* dicitur natus ex Astyoche, Actoris filia, qui diversus ab Actore, Menœti patre. Homerus enim Ἀζείδαν, sive Ἄζεως filium vocat, quum ejus Myrmidonem fuisse patrem viderimus. Etymologici tamen auctor in Ἄκτωρ, Actoris patrem Ἄζεα facit.

AMPHIARAUS. Hic ab Apollodoro memoratur, quum alii omnes eum bello Thebano sub Adrasto interfuisse narrent. Inter auctores perditos Deiochus etiam *Amphiaraum* adcensuit Argonautis, teste Scholiaste Apollon. I, 139, et censuisse Senecam Tragicum in Med. 656, multi interpretum mirati fuere: quid enim *Amphiarao*, aiunt, cum Argonautis? sed celebr. Gronovius recte ostendit, licet alii eum referant inter Argonautas, Senecam tamen ibi de Mopso agere. Inter venatores apri Calydonii refertur a Nasone, Met. VIII, 317; manifeste etiam Statius, Theb. III, 516, Colchicæ militiæ interfuisse *Amphiaraum* docet, quum eum ita Melampodi respondentem inducit:

> ...... equidem varii, pater, omina Phœbi
> Sæpe tuli, jam tunc prima quum pube virentem
> Semideos inter pinus me Thessala reges
> Duceret, etc.

Quæ verba male Lutatius Melampodi tribuit. His adductis

locis motus cl. Perizonius apud Hyginum loco corrupto et mutilo, ubi legitur, *Atriacha Thestii filia*, rescribi jubet, *Amphiaraus OEclei filius, matre Hypermestra, Argivus;* quod nos nec refellere, nec probare audemus; licet probabilis sit conjectura, quia dicitur a Statii Scholiaste, I, 41, Lyncei et Hypermestræ filius; erraveritque forte ille Scholiastes, confundens *Hypermestram* Danai filiam, quæ Lynceo nupta fuit, cum Hypermestra Thestii filia, quæ Oicleo conjuncta edidit *Amphiaraum;* qui Thestius si idem sit, qui Ledæ pater dicitur Schol. Apollon. I, 46, ubi corrupte legitur θέσπιος, et ejus mater vocata *Androdice:* ille Thestius fuit Martis et Pisidices filius, teste Plutarcho de Flumin. in Acheloo, quæ Pisidice Æoli filia, Crethei soror, et ita Jasoni etiam consanguineus. Ex his patet, errare doctissimum Baylium, qui putat a solo Apollodoro eum Argonautis adnumeratum tradi, qui plura de *Amphiarao* congessit, quo lectorem remittimus. Patrem ejus *Oïclea*, non *Ioclea* vocandum, docuit Munkerus ad Hygin. fab. 128. Oicleus vero erat filius Tiphatæ, Tiphates Melampodis, qui Amythaonis, et ille Crethei; vide Eustath. ad Iliad. II, 666; sed Diodorus Siculus, lib. IV, p. 166, Oiclea, sub Hercule contra Laomedonta militantem, *Amphiarai* filium facit: qui an idem sit, an nomen avi habuerit ab *Amphiarao* nescio, nec etiam, an plane alius: nam Diodor. lib. IV, pag. 188, Oicleum hunc filium Antiphatis et Xeuxippes, nepotem Melampodis facit, quem vide. Hyginus eo loco et fab. 70 addit etiam Apollinis filium habitum; sed illa opinio invaluit, quia augur vel vates fuit; mater *Clytemnestra* dicitur eidem Hygino ibidem et 73; nescio tamen, an *Clytemnestræ* nomen sit repudiandum, quod in Thestii familia videtur magis usitatum: nam ejus filia Leda etiam fuit; vide Schol. Apollon. I, 146. Hujus vero altera *Clytemnestra* Agamemnonis uxor; uxor *Amphiarai* Eriphyle fuit, cujus fabula nota; illa autem quum fuerit filia Talai Argonautæ, etiam Cretheis erat; vide in *Talao*.

AMPHIDAMAS, omnibus Argonauticorum scriptoribus memoratus, soli Apollodoro ignoratus. Apud Hyginum male *Amphidamus* olim legebatur; apud Orphea vero, v. 148, ἰφιδάμας pro Ἀμφιδάμας. Filius fuit Alei et Cleobules, teste Hygino, gente Arcas. Orpheus vero Tegeatem facit. Fratres ejus fuere Lycurgus et Cepheus, de quo infra agemus. Aleus vero filius fuit Aphidantis, et nepos Arcadis (Schol. Apollon. I, 162); qui Aphidas fuit rex Tegeæ in Arcadia; vide Pausan. VIII, 4. Ille Aleus idem est; cujus filiam Augen Hercules compressit (Hygin. fab. 199); nam in Arcadia illam habitasse, patet ex Ovid. Epist. IX, 49:

Non ego Partheniis temeratam vallibus Augen.

Et Diod. IV, p. 166, late hanc historiam narrans, Augen Alei filiam circa Parthenium montem peperisse Telephum narrat; Apollod. vero, l. III, c. 9, inter Alei filios *Amphidamanta* omittit, sed Cephea, Lycurgum et Augen memorat; et postea ex Lycurgo et Cleophile, sive Eurynome, natum præter reliquos *Amphidamanta* refert, ex eoque *Milaniona* et *Antimachen* nuptam Eurytheo. *Amphidamantis* filium *Clysonomum* a Patroclo in talorum lusu interfectum Homerus memorat, Il. XXIII, 87, et ejus Scholiastes ad Il. XII, 1, et Apollodorus, lib. III, cap. 12, et Ovid. ex Pont. I, 3, 73. An vero idem ille sit *Amphidamas* ab Homero memoratus, Il. X, 268, dubito; quum ille Opunte habitasse videatur. In Trojano excidio *Amphidamantem* filium Peliæ inter eos qui se equo *Durateo* condiderant, refert Tryphiodorus, vers. 177; filiam ejus, *Naupidamiam*, matrem Augeæ facit Hyginus, de qua in *Augea*. Forte confusi hi duo *Amphidamantes*. In Moreri lexico, lego fuisse *Amphidamanta* ex Inachidis, filium Alcei, et fratrem Lycurgi, sive potius filium Lycurgi, et nepotem Alcei, idque ex Apollodoro constare, quæ omnia summam negligentiam arguunt auctoris, qui *Aleum* cum *Alcæo*, et forte etiam *Ancæo* confundit;

et in eodem lexico in *Cepheo*, auctori supplementi *Cepheus* dicitur frater *Alci* pro *Alei*, quem ignorarunt mercenarii sarcinatores librorum futilium, et ex quibus certa eruditionis et literarum interiorum pestis est exoritura.

AMPHION, memoratus etiam omnibus, excepto Apollodoro, filius *Hyperasii*, et frater *Asterii* dicitur a Schol. Apollon. I, 176; alios vero *Hippasi* filium facere, tradit Hyginus, fab. XIV, de quo vidimus in *Actore*. Orpheus, Apollon. Hygin. et alii ex Pallene venisse hos Argonautas tradunt. Valerius vero Flaccus, I, 366, ex Pella; nos ad illum locum, non eum ex Macedonica Pallene, sed Achaica (nam Schol. Apollonii dicit *Hyperasium* fuisse regem Achaiæ), venisse conjecimus; at hoc inde verosimilius, quia urbs Hyperesia, postea Ægyra dicta, vicina fuerit Sicyoni, ut patet ex Pausan. VII 26, et Pallenen in eodem tractu sitam esse ostendit ibidem Pausan. cap. ultimo; conjungit etiam ut vicinas urbes Hom. Il. II, 573. Hyperesiam ab Hyperasia distinguit Stephanus, sed Salmasius eamdem esse, vel urbem et regionem duabus appellationibus una litera differentibus distinxisse Stephanum putat, et Strabonis, qui de regione agit, verba ita cepisse. Eustathius urbem ab Hyperete, Lycaonis filio, dictam vult. Hic vero *Amphion* diversus fuit ab *Amphione*, Jovis et Antiopes filio, conditore Thebarum, quod ex Apollonio, lib. I, vers. 736, patet, ubi Jason Hypsipylæ dat pallium dono, in qua illa historia, Amphionis et Zethi, affabre efficta cernebatur; unde illum antiquiorem fuisse efficitur.

AMPONITUS ab Hygino memoratur; sed quum a nemine præterea hujus memoria sit prodita, nec nomen etiam notum, facile accedo viris doctis, qui pro eo *Opuntius* legunt, et de Menœtio, qui præcessit, explicant.

ANCÆUS nulli eorum, qui Argonautica scripserunt, præteritus. Hygino Tegeates est, filius sive nepos *Lycurgi*,

qui fuit frater major natu *Cephei* et *Amphidamantis*; vide Comm. ad Valerii lib. I, 376. Hunc Lycurgus pater pro se misit, dum ille curam *Alei* patris, senio confecti, gereret (Apollon. I, 161). De ejus matre non constat. Scholiastes Apollonii *Antinoen* vocat; Apollodorus vero, lib. III, cap. 9, ubi Callistus posteros ex Jove recenset, Lycurgo dat uxorem *Cleophilen*, sive *Eurynomen*, ex qua nati *Ancæus* et alii. Scholiastes vero Statii ad lib. V, Theb. 398, *Ancæum* Lycurgi et Salaminæ filium facit. Pausanias, lib. VIII, 4, matrem non nominat, et Lycurgo tantum duos filios *Ancæum* et *Epochum* dat. Cui consentit Scholiastes Apollonii, lib. I, vers. 164, nisi quod ille vocet alterum filium *Epiochum*. De uxore vero Lycurgi nihil reperi; varietas illa vero nominum non nova est, ut in singulis fere Argonautis videbimus. Salamina, quam Lutatius dat Lycurgo uxorem, vix puto esse filiam Asopi et Metopes, memoratam a Scholiaste Pindari, ad Olymp. VI, 144: nam illa Neptuno juncta edidit *Cenchrea*, teste Diodoro Siculo, lib. IV, p. 190 (1), ubi tamen melius scriberetur ejus nomen Κυχρεὺς, ut vocatur ab Apollod. lib. III, cap. 11, § 7, et a Stephano in Κυχρεῖος; et Eustathius ad Dionys. vers. 512, dicit Salamina dictam Κυχρείαν, a quodam *Cychreo*, cujus Lycophron et Arrianus meminerunt; nimirum, ille meminit in Alexandra, Κυχρῆος ἄντρων, vers. 451; ubi vide Tzetzen, ut et ad vers. 110. *Antinoe* quædam Peliæ filia memoratur Apollod. lib. I, cap. ult. § 27; sed illa post hanc expeditionem virgo, non potuit mater Ancæi esse. Magna vero in hac parte Mythicæ Historiæ confusio, quia plures *Ancæi* et *Lycurgi* a Veteribus memorantur, quorum sæpe uni adscribitur, quod alii debetur: ita Schol. Apollonii hunc *Lycurgum*, Ancæi patrem, confundit cum *Lycurgo*, Thraciæ rege crudelissimo: nam adducit locum Homeri ex Il. VI, 134, ubi de eo agit, et de quo multa *Eustathius*, et nos egimus ad Petron. cap. 83; et ad Ovid. Metam. IV, 24,

(1) Ubi vide *Wesseling* in hujus edit. p. 316. Harl.

et quem recte distinguit Lutat. ad Stat. Theb. IV, 742. Meliori specie statui posset *Lycurgus* Nemeæ rex, pater *Archemori*, cujus meminit Stat. ibidem, ubi vide Lutatium et Barthium: ille enim fuit filius Pronactis, ut erudite probavit cl. Perizon. ad Ælian. IV, 5. *Pronax* vero filius *Talai*, ille *Biantis*, hic *Amythaonis*, ille vero *Crethei*: ut ita *Ancæus* ex Cretheidis Jasoni cognatus fuerit. Scio, objici posse, si seriem illam majorum respiciamus, hunc Ancæum simul cum proavo suo Talao in eamdem profectum fuisse expeditionem; sed similia exempla in aliis occurrent, et in fabulis rationem temporum non semper accuratam licet deducere. Quia tamen hoc nimis incongruum videri posset, etiam statui posset filius illius *Lycurgi*, qui circa Nemeam habitavit, et frater Admeti fuit, et filiis Pheretis, ex Cretheo nati (Apollod. lib. I, cap. 8, § 14), quem ille quidem cum Lycurgo Archemori patre confudit; sed ego distinguendos puto *Lycurgum Pronactis*, et *Lycurgum Pheretis* filium, cujus si statuatur *Ancæus* filius, optime tempora congruerent, et propior cum Jasone cognatio conspiceretur; et eum forte intelligunt alii scriptores, qui inter venatores apri Calydonii eum memorant; ut Apollodorus, lib. I, cap. 30, § 2, qui Lycurgi filium ex Arcadia facit, et Admeto proxime jungit; ubi confudisse *Ancæos* videtur, quia eum facit fratrem Cephei; quum lib. III, cap. 17, Cepheum fecerit fratrem Lycurgi, et ita patruum Ancæi; alium tamen *Ancæum*, Neptuni filium, venationi adfuisse scribit Schol. Apollonii ad lib. I, 188. Parrhasium vocat Ovid. Met. VIII, 315, ubi vide Micylli notas; et ad vers. 391, ubi eum instruit bipenni; plane ut Apollon. II, 118, ipsi dat πέλεκυν μέγαν; periit autem ille in venatu illo ab apro occisus, ut Ovidius ibidem narrat, et in Ibide, vers. 503, et Pausan. VIII, cap. 4, et Senec. Med. 643; ubi vide Delrii notas. *Lycurgum* etiam *Penthiden* memorat Ovidius in Ibide, vs. 607; de quo nihil mihi constat; nec de *Bute* illo, quem antiquus Scholiastes memorat, plus scio; vid. infra in *Bute*. Porro

hic *Ancæus* inter fortissimos heroas ab omnibus celebratur, et Orpheus, 198, dicit illum numquam lænam gestasse, sed pelle ursina tectum incessisse.

ANCÆUS alter: duos enim memorant hoc nomine Argonautas Apollonius, I, 187; Orpheus, v. 205; Val. Flaccus, I, 413, et Hyginus, qui faciunt eum Neptuni filium, et qui sæpe cum priore Ancæo a Mythologis est confusus. Matrem ejus vocat Hyginus *Altam Cathesti filiam*, sed Heinsius corrigebat *ex Althæa Thestii filia*, fortasse quia ex Æolidis etiam descendere credebat: Thestii enim mater Pisidice, quæ filia Æoli, soror Crethei, ut vidimus in Amphiarao; quamvis Apollodorus Thestium Martis ex Demonice, Agenoris filia, deducat; qui descendit ex Calyce, Pisidices sorore; vide in *Castore* et *Iphiclo*. Sed et hic confusio; nam Pisidicen filiam Leuconis, qui Athamantis, et ille Sisyphi, et hic Æoli filius erat, facit Stephanus in Ἄργυννος; rectius vero alii (quia nullus, ut credo, *Althæam* cum Neptuno concubuisse tradit) hujus Ancæi matrem produnt fuisse *Astypalæam*, ut idem Stephanus in Ἀστυπάλαια, et Pausan. lib. VI, cap. 4, ubi ejus posteros recenset, et eum Lelegibus imperasse et insulæ Samo tradit; et ita frater fuit *Ergini*, cum quo Orpheus eum conjungit, qui etiam Neptuni filius; vide Schol. Pind. Pyth. IV, 61 (quamvis de ejus matre variatum videbimus in illo), qui et Periclymenum ipsi dat fratrem; et Apollodorus, lib. II, c. 7, *Eurypylum* etiam Astypalææ et Neptuni filium facit. Apollonius quoque, lib. II, 867, *Astypalæam* matrem vocat, ubi ex Simonide Genealogo Scholiastes idem stemma confirmat. Conditorem Sami insulæ facit etiam Malchus de Vita Pythagoræ, pag. 4, ubi vide notas Rittershusii, qui ex Iamblicho eum ex Jove genitum quibusdam creditum notat; et hinc in nummis Samiorum Neptunus conspicitur, consecratus et templo honoratus ab *Ancæo* filio; vide Numismata Abbatis *Du Camps* a Vaillantio edita, p. 103. *Astypalæa* vero a Pausania et

Scholiaste Apollonii Phœnicis filia dicitur, et ab Hygino, fab. 47, ubi corrupte legitur, *Ericlimenus et Ancæus ex Astyphile Phænicis filia*; sed, ut vidit Munkerus, legendum, *Periclymenus et Ancæus ex Astypalæa Phænicis filia*. Hic vero Phœnix an *Agenoris* filius fuerit, an *Amyntoris*, qui Achillis præceptor fuerit, dubium; ille antiquior quidem videtur, sed tamen, ut statuatur pater Astypalææ, speciem præbere potest, quod *Aganor* filius *Ancæi* dicatur ab Hesychio in Ἀγάνωρ, quem ille in proavi Agenoris memoriam ita vocasse potuit. Phœnix vero Achillis magister temporibus his posterior, et multo magis ejus filia *Astypalæa*, *Ancæum* Argonautam edere non potuisse videtur, si fabularum Chronologiam ad historici temporis fidem exigere liceret. Hic vero *Ancæus* cum alio sæpe confunditur; nam et ab apro Calydonio interfectum, ex Pherecyde prodit Schol. Apollon. lib. I, vers. 188; quod inde etiam posset aliquis efficere, quod hunc *Ancæum* Pleuronium faciat Orpheus, vers. 206. Pleuron autem in Ætolia, unde Meleager : ex quo *Meleagria Pleuron* Statio dicitur, lib. IV, 103. Quintus Calaber, lib. IV, vers. 444, ludos funebres in honorem Achillis narrans, disci meminit, quo olim Ancæus erat usus, antequam ab Hercule fuerat domitus; vitiose vero in versione latina legitur *Antæus*, et mortis genus, quod Calaber non exprimit (dicit enim, Πρὶν κρατερῇσι χέρεσσι δαμημέναι Ἡρακλῆος), interpres reddidit, *priusquam inter validas manus Herculis elisus fuit*. Ad utrumque etiam *Ancæum* diversis sententiis scriptorum refertur adagium celeberrimum, Πολλὰ μεταξὺ πέλει κύλικος καὶ χείλεος ἄκρου, *Multa cadunt inter calicem supremaque labra*; vide Zenobii Centur. V, 71, et ibi Schotti notas. Apostol. Cent. XVI, 18, et ibi Pantinum. Cæterum hic *Ancæus*, qui peritissimus navigandi artis et siderum describitur, et ideo forte Neptuni filius dictus, Tiphy mortuo, ad clavum fuit admotus, teste Hygino, cap. 14 (ut ejus verba supplevit cap. 18 doctissimus Munkerus), Orpheo, v. 725, 1679 et 1003, et aliis. Valerius vero Flaccus *Erginum* suffragio ipsius navis Argus

superasse *Ancæum* et *Nauplium* refert, et *Tiphyn* excepisse, ut in Ergino videbimus. In dictionario historico poetico video memorari *Anaxo Ancæi filiam*, quam diu frustra quæsivi; sed credo vel auctoris negligentia, qui vitiosam editionem Homeri consuluerat (in Scholiaste enim Il. XIV, 323, ubi Alcmenæ genus refertur, legitur, Ἀναξοῦς τῆς Ἀγκαίου, pro Ἀλκαίου, ut in editione Hackiana correctum), vel operarum errore esse editum pro *Alcæi filia:* nam Apollodor. lib. II, cap. 4, § 5, *Anaxo Alcæi* filiam, Electryonis uxorem, et matrem Alcmenæ facit; et ille *Alcæus* memoratur Schol. Apoll. I, 747, ut filius Persei et Andromedæ fuerit, et pater Amphitryonis; vid. Schol. Pind. Olymp. VI, 115; Euripid. Hecub. 886, et Serv. ad Virg. Æn. VI, 396; ita ut *Anaxo* hæc nupserit patruo suo Electryoni, Alcæi fratri. Obiter etiam noto, *Anaxo* aliam memorari, quam ante Helenam ex Troja rapuisse Thesea narrat Athenæus, lib. XIII, 1, quem errare in patria hujus mulieris recte ostendit Meursius in Theseo, cap. 23; et ex Plutarchi Theseo, pag. 13, pro ἐκ Τροίας legendum, ἐκ Τροιζηνίας, quamquam etiam posse legi, ἐκ Τροιζῆνος, ostendit.

ANCHISTEUS. Hunc Carrion retulit in catalogum Argonautarum ab Orpheo memoratorum, licet corrupte legatur in Carrionis editione, *Anchistecus.* Orphei verba, vs. 220 (1), sunt:

> Αὐτὰρ δὴ Πελίαο Φεραιόθεν ἤλυθ' ἄνακτος
> Ἀγχιστεύς.

(1) Ad quem locum vide Gesner. pag. 40, qui etiam refutatum it Valckenar. ad Ammon. I, 1, p. 5 seq. de hoc loco disputantem. *Pierson* in Verisim. II, 5, pag. 194 seq. versum excidisse arbitratus supplet, ἤλυθ' ἄνακτος Κοῦρος ἐὼν ἔτ' Ἄκαστος, Ἰήσονος Αἰσονίδαο Ἀγχιστεύς. Facius in Epistola critica (Erlangæ 1772), non videns, qua ratione Acastus Peliæ filius, hujus ἀγχιστεὺς dici possit, emendandum censet, ἤλυθ' Ἄκαστος Ἀγχιστ' ἐΰς, aut si ἐῢς metro obstare videatur, Ἀγχ' ἐΰς. Vide criticorum diversitatem, quam vero sub examen vocare, non hujus loci est. HARLES.

Sed Guil. Canterus, lib. V Novar. Lect. cap. 5, miratus Orphea nullam *Acasti* mentionem facere, correxit hunc locum et legit,

> Αὐτὰρ δὴ Πελίαο Φεραιόθεν ἤλυθ' Ἄκαστος
> Ἀγχιστεύς.

Et vocem ἀγχιστεὺς notare affinem seu generum, ut filium Peliæ poetica licentia vocat, docet: quem sequutus est Ger. Vossius in notis ad Valerium nostrum, I, 485. Sed non opus ἀγχιστέα *affinem* aut *generum* vertere, sed *proximum*, ut filius certe patri erat (ita Hesychius Ἀγχιστεὺς, συγγενής); et potuit ita capere Orpheus, ut apud Jurisconsultos *suus hæres*, quia ἀγχιστεία est jus hereditatis legitimæ, quod proximo competit, et ἀγχιστεύειν, hæreditatem jure proximæ cognationis cernere, ut docuit Budæus in Commentario Græcæ linguæ, p. 88; vide et Suidam in Ἀγχιστεὺς, qui tamen restringit ad eos, qui ἀπὸ ἀδελφῶν καὶ ἀνεψιῶν· sed Budæus latius sumi docet. Sed ex hac voce nihil certi potest de Acasto colligi: nam et eodem jure Admetus Ἀγχιστεὺς Πελίαο dici potest, qui etiam gener ejus fuit, ducta Alcestide, et qui rex Pherarum erat; sed ille jam ab Orpheo ante erat memoratus; quare quærendum adhuc puto hunc Orpheo intellectum Argonautam.

AREIUS. Hic ab Orpheo, vs. 142, et Apollonio, lib. I, v. 118, refertur inter Argonautas. Carrion omisit in suo Catalogo ex Orpheo, forte, quia crediderit ἀρήϊον esse epitheton *Talai*, qui *Martius* dictus fuerit a Poeta, ut sæpe Homerus heroas suos hoc epitheto ornat. Fuit hic frater et *Talai* et *Laodoci*, qui filii fuere *Biantis*, ille vero *Amythaonis*, qui *Crethei*; ita ut Jasonem propinqua agnatione contigerint; vid. Scholiast. Euripid. in Phœniss. vers. 423, et infra in *Talao*. Orpheus vero, vs. 147, vocat *Abantiada*, quod commentator nuperus non esse patronymicum, sed gentile putat, intelligens, credo, illos ex gente vel populo Abantibus venisse. *Abantes* vero fuere Eubœæ incolæ; vide Homer. Iliad. II, 536, et ibi Eustath. sed Argivos fuisse

tradit Apollonius, et *Bias* pater rex fuit Argivorum: quare confudisse Orphea credo, quia legerat forte Talai patrem fuisse *Abantem*, filium *Lyncei*, ut refert Schol. Pind. ad Od. VIII, Pyth. 77; sed ille *Lynceus*, diversus ab Argonauta, fuit Hypermnestræ maritus, filius Ægypti, cujus filius Abas, nepos *Talaus;* vide Pausan. lib. II, cap. 26, et X, 35, et Schol. Eurip. in Hecub. 886. Alius etiam *Abas* fuit *Melampodis* filius, qui etiam *Amythaonis* filius fuit, et frater *Biantis*, ut Schol. Apollonii, I, 143; quos confudisse potuit Orpheus, et per errorem *Abantiadas* vocasse ex Biante natos. Ille vero Abas, Melampodis filius, hoc nomen habuit ex alio *Abante*, Prœti patre; nam Melampus, quum Prœtidas ab insania liberasset, unam ex illis duxit uxorem, et consors regni factus est a Prœto; vid. Lutat. ad Stat. Theb. III, 452. Sed verisimilius tamen credo Orphea illos sequutum, qui *Amythaonis* uxorem fecerunt *Idomenen*, *Abantis* filiam, ut Apollod. lib. II, cap. 11, § 2, licet ipse, lib. I, cap. 9, § 11, eam cum reliquis Pheretis filiam dicat; ita ut ab avia matre Biantis, quæ Abantis erat filia, *Abantiadas* potuerit vocare. Mater horum fratrum fuit *Pero*, Nestoris soror, Nelei filia, qui ex Tyro, filia Salmonei, qui Æoli filius erat, descendebat; vide in *Neleo*. Quum vero mirarer Valerium hujus Argonautæ non meminisse, incidit suspicio latere in illo, lib. I, vs. 358:

> Nititur hinc Talaus, fratrisque Leodocus urget
> Remo terga sui, quos nobile contulit Argos;

ut *frater* ille fuerit tertius *Areius*, et ita censere quosdam ait Pius, qui tamen rejicit, quia nominatim Valerius, ut mos ipsi est, eum non recenset: quare hoc in medio relinquimus.

ARGUS. Hoc nomine duo occurrunt nobis Argonautæ, sæpe inter se confusi, quos distinguere nos conabimur. Primus est nobilis ille fabricator navis, quæ ex quorumdam opinione ab eo *Argo* fuit dicta; qui ab omnibus, præ-

terquam ab Orpheo, memoratur. Quum autem multi *Argi* fuerint in historia mythica, non facile est omnes in concordiam redigere scriptores. De genere nostri non convenit etiam : ex Thespiis oriundum facit Noster, lib. I, 93 et 124; patrem ejus *Arestorem* facit Apollon. lib. I, 112; ita ut idem esset, qui *Argus*, custos Ius a Junone appositus, et centum oculis vigilans a Mercurio interfectus : hunc enim *Arestoriden* vocat Ovidius, Met. I, 624. Tzetz. ad Lycophron. vs. 885, Ἕστορος ἢ Ἀλέκτορος filium dicit, ubi credo, Ἀρέστορος legendum pro Ἕστορος· et in Apollonio *Alectoriden* pro *Arestoriden* esse contendit doctissimus Mezeriacus ad Ovid. Epist. VI, 65, pag. 671, ubi egregie de hoc Argo, et nave Argo disputat. Hunc etiam alii faciunt conditorem urbis Argi (Schol. Euripid. Phœniss. 1123); quem alii filium Aleuæ, ut Schol. Æschyl. Prometh. 570, alii Inachi, ut Apollodor. lib. II, cap. 1, § 1, alii Jovis et Niobes, ut Schol. Euripid. Orest. 930, ex Pherecyde, faciunt. Sed centoculum illum diversum a nostro Argo esse, certe ita censere Valerium nostrum, apparet ex lib. IV, 351, ubi Orpheus fabulam Ius et custodis Argi, ut multo antiquiorem canit. Variant vero in hac ipsa Ius fabula Veteres: anonymus enim de Incredibilibus, cap. 15 editionis Thomæ *Gale*, facit Io Arestoris filiam, Argum vero fratrem matris Arestoris ; Charax vero apud Stephanum in Παῤῥασία Pelasgum Arestoris filium, hunc Ecbasi, illum Argi : quæ vix possent inter se congruere, nisi Argi soror mater statuatur Arestoris. Apollodorus, lib. I, cap. 9, § 16, Phryxi filium facit; sed ille alter *Argus* est, de quo mox dicendum. Hyginus, fab. XIV, facit Polybi et Argiæ filium, vel secundum alios, Danai. Polybum vero Phocidis regem, qui Œdipum educavit, reperio apud Diodor. Sicul. lib. IV, pag. 185, et Stat. Theb. I, 64. Argiam vero ejus matrem plane ignoro. Diversam ab omnibus opinionem tradit Ptolemæus Hephæstionis F. lib. II, pag. 310, qui prodit, Argo navem dictam ab Argo Jasonis filio, quem ille amans secum in Scythiam duxit ; vide in *Hercule*.

ARGUS alter, Phryxi et Chalciopes, filiæ Æetæ, sororis Medeæ, filius, quem confuderunt multi cum priore Argo. Apollodorus, lib. I, cap. 9, § 16, Phryxi filium facit fabricatorem navis; et Pherecydes apud Schol. Apollon. I, 4, in eadem fuit sententia; idem inter recentiores scriptores fecit vir doctissimus *Franc. Bianchinus* in Histor. Univers. Decad. III, pag. 375. Hic accessit cum fratribus suis Argonautis in insula Dia, ut Hyginus scribit; quod vix verisimile videtur, quum illa in mari Ægæo sita sit, diuque jam Argonautæ Pontum Euxinum intravissent, nisi sit alia insula in Ponto Euxino intelligenda. Valerius Flaccus, lib. V, vers. 461, Jasonem illos invenisse in ipsa Colchide, et aula Æetæ tradit; et ita fere Orpheus, vers. 858. Scholiastes Apollon. ad lib. II, 384 et 309, dicit, Argonautas illos invenisse in insula deserta, quam *Aretiada* vocatam ait, in qua erant aves Stymphalides, et templum Martis, ab Amazonum regina constructum; et ipse Poeta, vers. 1125, ubi Argonautas ad eam insulam perduxit, Argum inducit cum Argonautis colloquentem; ubi etiam Scholiastes dicit filios Phryxi quatuor, ab aliis quinque statui, et Acusilaum et Hesiodum eorum matrem non Chalciopen, sed Iophossam, filiam Æetæ, facere. Ex quibus inducor fere ut, apud Hyginum nomen insulæ corruptum esse, et pro *Dia*, *Aretiade* legendum esse credam. Dicta vero Ἀρητιὰς fuit a Marte, quia ab Otrera Amazonum regina, Martis filia, fuit condita. Hic porro Argus duxit *Perimelen*, Admeti filiam, ex qua *Magnetem* tulit, unde Magnesia in Thessalia dicta; Magnetis filius vero fuit *Hymenæus*; vide Antonini Liberal. Metam. cap. 23 (pag. 150, ibique *Verheyk*. Harl.)

ARMENIUS, unde *Armenia* dicta. Jasonis comes in militiam Colchicam dicitur a Justino, lib. XLII, 2, ubi Bongarsius a Strabone *Armenum* vocatum notat. Strabo enim, lib. XI, pag. 530, *Armenum* ex Armenio Thessaliæ oppido sito inter Pheras et Larissam, se comitem præbuisse Jasoni

narrat, ubi multis cognationem et similes mores inter Thessalos et Armenios probat. *Armenium* tamen vocat eodem libro, pag. 503, ubi Casaubonus Armenium Thessaliæ urbem, *Ormenium* vocari, lib. IX, p. 438, notat; idem fere tradit Eustathius ad Dionys. Perieg. vers. 694, nisi quod addat, alios hunc *Armenium* Rhodium fecisse. Nihil præterea de hoc obscuro heroe mihi constat.

ASCALAPHUS. Hunc Apollodorus in catalogum suum retulit, cum fratre *Ialmelo;* vide supra in *Almelo;* ubi errorem esse ostendimus, et illos Trojano bello interfuisse ex Homeri Il. II, 516, docuimus. Diversus vero hic *Ascalaphus* Martis filius, ab *Ascalapho*, Acherontis et Orphes filio, de quo vidimus ad Ovid. Met. V, 539.

ASCLEPIUS, Apollinis et Coronidis filius, qui Latinis *Æsculapius* dicitur, soli Hygino inter Argonautas memoratus. Clemens tamen Alexandr. Stromat. lib. I, pag. 325, Asclepium et Dioscuros etiam cum Jasone navigasse, ex Apollonio Rhodio narrat; nuperus vero in Anglia Clementis editor nos remittit ad lib. I, vers. 146, ubi quidem Dioscurorum fit mentio, sed nulla, quod sciam, in toto Apollonio, *Asclepii* Argonautæ; ideo vellem locum nobis accuratius demonstrari. De *Asclepio* vero vel *Æsculapio*, quum omnia sint obvia, et eum nemo præter Hyginum adnumeret Argonautis, hic pluribus non agemus. Obiter tantum notabimus, ipsum Hyginum, hic filium Coronidis facere, et tamen, fab. 97, *Machaona* filium Æsculapii ex Coronide etiam natum affirmare; ubi vide Munkeri notas, et ad fab. 161, et quæ nos ad Ovidii Met. II, 569, de matre Æsculapii adduximus, et quæ alii ad XV, 624.

ASTERION, omnibus memoratus scriptoribus; Orpheo, vers. 131; Apollonio, I, 35; Valer. Flacco, I, 356; Apollodoro, lib. I, cap. 9, ubi corrupte Ἀστήριος vocatur. Filius dici-

tur *Cometæ*, de quo vide commentatores ad Val. Fl. l. l. Hyginus solus ipsi dat *Pyremum* patrem, qui quis sit, ignoratur; et locus sine dubio corruptus est. Idem Hyginus alterum *Asteriona* memorat, *Hyperasii* filium, fratrem Amphionis; sed ille *Asterius* vocandus, ut videbimus mox, et supra jam in *Amphione* docuimus, ubi de Pellene vel Peline eorum patria egimus. Apud Hyginum etiam pro *Pyremo*, *Pyreto* rescribi posset, quo nomine in pugna Lapitharum et Centaurorum aliquis memoratur apud Ovidium, Met. lib. XII, 449. Sed hæc incertissima: alii enim omnes *Cometæ* filium faciunt, ut Pausanias, lib. V, 17. *Cometes* etiam memoratur inter Lapithas Ovidio, XIII, 284; an idem ille sit, non audeo affirmare; nec etiam an ille *Cometes*, cujus filius *Sthenelus* Trojani belli tempore ab Eustathio affertur ad Dionys. Perieg. 484, qui *Sthenelus* diversus est ab illo Herculis comite in expeditione Amazonia, Actoris filio, quem Noster memorat lib. V, 90 (ubi vide notas), et ab alio Persei et Andromedæ filio, apud Schol. Apollonii, I, 747. Mater *Asterionis* ab Hygino dicitur *Antigona*, Pheretis filia; quod cognationem cum Jasone ostendit. *Pheres* enim *Crethei* frater, filius *Æoli* fuit. Ab hoc heroe urbem Asterium Thessaliæ, cujus Stephanus meminit, denominatam credit Simsonus; Stephanus, vel a fulgore, vel ab Asterio quodam, ut et Eustathius a Berckelio adductus.

ASTERIUS. Hunc ab Asterione diversum faciunt Apollonius, I, 176, et Orpheus, 214; Hyginum, vel ejus librarios, permutasse duos modo vidimus. Frater *Amphionis* dicitur: quare patria et parentes iis communes, neque hic repetenda, quæ supra de iis diximus. Omittit eum Valerius Flaccus, nisi quod Pius cum intrudere pro Deucalione tentet lib. I, vs. 365, de quo in *Deucalione*. Apollodorus *Asterium Cometæ* filium facit, sed ibi legendum *Asterionem* diximus, quem, omisso Asterio, solum memorat. Fuit et alius hoc tempore *Asterius*, Nelei filius, frater Nestoris et

Periclymeni, qui ambo quoque inter Argonautas fuere; vide Schol. Apollonii, I, 156.

ATALANTA, Schœnei filia, sive altera Jasii filia: nam confudisse duas, docent notæ ad Ovid. Metam. VIII, 318, et X, 565, ubi de illis satis dictum. Unica hæc inter tot viros puella, si diis placet, hoc iter ingressa dicitur ab Apollodoro, lib. I, cap. 9, § 16, et Diodoro Siculo, lib. IV, p. 175; alii vero omnes hanc majori cum specie veri omittunt. Apollon. lib. I, vers. 709, dicit Jasona habuisse hastam, quam hospitale munus ab *Atalanta* acceperat, ubi Scholiastes eam *Jasonis* (sed leg. *Jasii*, ut recte Barth. ad Stat. Theb. VI, 504, observat) filiam facit, quæ nupta Milanioni fuit, distinguens ab altera Schœnei filia.

AUGEAS, Solis filius, ut vidimus in *Actore*, memoratur ab Orpheo, vs. 212; Apollonio, I, 172, et III, 361; Hygino et Apollodoro; sed omittitur a Valerio. An *Augeas*, an *Augias* dicendus sit, disputat ad Valer. Fl. I, 394 Maserius, ubi quidam codices pro *Bute Ægeum* habent; unde Maserius ansam arripuit de *Augia* etiam agendi. *Augeum* etiam dici posse credidit Munkerus ex judicio Heinsii ad Hygin. fab. 30; sed hoc ex flexione græca venisse puto, quia Αὐγείας Αὐγείου in genitivo habet. Matrem ejus Hyginus, fab. 14, facit *Naupidamen Amphidamantis* filiam; qui si *Amphidamas* Argonauta fuerit, avus et nepos huic expeditioni simul interfuisse debuerunt; hæc vero *Naupidame* prorsus ignota. *Augeæ* vero nomen forte habere potuit ab *Auge*, sorore *Amphidamantis* avi sui, de qua supra vidimus. Tzetzes, Chiliad. IV, 137, pag. 65, inter Solis filias recenset *Augeam* ex *Iphiboe*, quæ æque ignota mihi ac *Naupidame*. Scholiastes Apollonii, qui nomine Solis, revera Phorbantis filium fuisse Augean refert, dicit matrem fuisse *Nyctei* filiam, alii vero *Epochi* filiam, de quo loco egi ad Ovid. Metam. II, 593; ideoque hic non repeto. Reliqua de *Augea*, ejus

stabulo et bello cum Hercule, ut quæ ad Argonautica non pertinent, hic attingere non vacat.

AUTOLYCUS, Mercurii filius, notus furandi arte, ex *Chione*, vel, ut alii, ex *Philonide* Dædalionis filia; vid. Hygin. fab. 200 et 201, et de cujus genere vide Mezeriacum ad initium Epistolæ Ovidianæ Penelopes. Hoc unum adjicio, Servium duos *Autolycos* distinguere ad Æneid. II, 79: priorem, etiam furem, habuisse filios duos, Sisyphum et Autolycum, Sisypho natum Sinonem, ex Autolyco secundo Ulyxem; ita ut Anticlia, quam corrupit Sisyphus, fuerit fratris filia. Memorat etiam Strabo *Autolycum* furem et parietum perfossorem, qui in Parnaso habitavit, lib. IX, p. 439, ex Homer. Il. X, 226. A solo Apollodoro memoratur hic inter Argonautas. Videtur autem antiquior; nam ejus filia Anticlia a Sisypho Æoli filio jam compressa dicitur, et gravida data Laertæ, qui etiam inter Argonautas numeratur; vide de *Autolyco* hoc Tzetz. Chiliad. VIII, 202, p. 149. Præter ea a quibusdam Alcimede, mater Jasonis, filia Autolyci creditur fuisse, de qua in Jasone agemus; nec videtur avus sub ductu nepotis sui militasse: quare credo Apollodorum hunc *Autolycum* nobiliorem confudisse cum minus noto *Autolyco*, qui se Argonautis circa Sinopen urbem adjunxit, cum *Phlogio* et *Deilonte*, ut narrant Apollonius, lib. II, 957, et Val. Fl. V, 115; hos Apollonius facit filios *Deimachi*, et fuisse comites Herculis contra Amazonas, et deinde errasse, et circa Sinopen habitasse. Quidam etiam *Autolycum* putant conditorem Sinopes, et ejus statuam egregii operis, a Stenide factam, ibi fuisse positam, quæ expugnata urbe a Lucullo fuit ablata; vid. Strabon. XII, pag. 337, qui addit hunc *Autolycum* unum fuisse ex illis, qui cum Jasone navigarunt. Hyginus vero eum et tres ejus comites fuisse filios *Phryxi*, quos alio nomine diversi scriptores appellare consueverunt.

AZORUS. Hesychius, Ἄζωρος, εὔκρατος οἶνος, καὶ ὁ κυβερνήτης τῆς

Ἀργοῦς. Munker. ad Hygini fab. 18 se ignorare fatetur, quis ille *Azorus* sit gubernator Argus navis; nec ego plus novi, nisi quod fuisse conditorem urbis *Azori* credam, quæ in Pelagonia sive Tripolitide memoratur a Strabone, lib. VII, pag. 327, et a Stephano recensetur, qui et conditam a quodam *Azoro* addit; reliqua quærat me diligentior.

BUPHAGUS. Hunc in album Argonautarum ab Orpheo memoratorum retulit Carrion. Alardus vero cæcos duces non tantum sequi solitus, sed eorum errores ampliare, exhibet *Euphagum*. Insigni certe uterque ignorantia et negligentia: Orpheus enim, vs. 136, ait,

Αὐτίκα δ' Ἀκτορίδης καὶ βούφαγος ἦλθε Κορωνός,

ubi apparet esse epitheton *Coroni*, et pessime Perdrierium vertisse *Buphagum Coroni filium*, ut arguit optime Eschenbachius, qui hoc epitheton, Herculi alias datum, robur et strenuitatem indicare ostendit: unde apparet versionem Carrioni fraudi fuisse, et verum de eo esse, quod Lipsius de eo scribebat Cantero in Epist. LIX, Cent. 3, a Gabbema edita, græcæ linguæ ignarum fuisse Carrionem, et neglectis fontibus, versionibus acquievisse; immo ne græce quidem scribere novisse. De hoc vero titulo βουφάγου, qui Herculi ob voracitatem, et quia integrum aliquando bovem comederat, datus, consulendi Barth. ad Stat. VI, 532, et Spanhem. ad Callim. Hym. in Dianam, vs. 148 et 160.

BUTES, Atheniensis, memoratur Orpheo, vs. 138; Apollonio, I, 95; Apollodoro et Hygino; nec omissus Val. Flacco, I, 394, licet Carrion eum inter Argonautas Valerio memoratos omiserit. *Teleontis* filius, qui diversus a *Teleonte*, patre Eribotæ, a Scholiaste Apollonii dicitur. Diversus hic a *Bute* memorato Ovidio, Metam. VII, 500, Pallantis filio, quamvis Heinsius ibi *Teleonte creatum*, pro *Pallante* conjecerit legendum. Meursius vero, ut ibi notavimus, pro *Bute*,

Bryten legebat. Orpheo vero Αἰνειάδης dicitur; sed quod stemma plane ignorare me fateor. Mater ejus ab Hygino dicitur *Zeuxippe*, Eridani fluminis filia; quæ etiam incognita mihi; suspicor vero legendum esse in Hygino *Apidani* fluminis filiam, ut ita ex Thessalia maternum genus trahens, Jasoni se etiam comitem adjunxerit; et certe solere hæc flumina confundi docebunt notæ ad Ovidium, Metam. I, 580. Plures *Butas* Athenis fuisse hoc nomine nobiles, et ab auctoribus sæpe inter se confusos, puto: nam idem Apollodorus, libro III, cap. 14, § 7, *Zeuxippen* memorat uxorem Pandionis, ex qua Erechthea, *Buten*, Procnen et Philomelam tulit; cui etiam accedit Tzetz. Chiliad. V, 29; quæ *Zeuxippe* ab Apollodoro dicitur fuisse matris Pandionis soror, mater vero fuit *Pasithea*, Nympha Nais, teste Apollodoro, lib. III, cap. 14, § 6. Sed hunc *Buten* diversum ab Argonauta facit Meurs. de Reg. Attic. lib. II, 6, qui et de eo agit in Cecrope, cap. 18; meminit ejus et Stephanus in Βουτάδαι. Ex hoc, familia nobilissima *Eteobytadarum* descendit; vide Harpocr. et auctorem Etymol. M. in Βουτάδαι et Ἐτεοβουτάδαι. Diversus etiam creditur *Butes* Amyci filius, qui ex Venere suscepit Erycem, qui in Sicilia regnavit; quem Lexicographi memorari putant a Virgil. vs. 372; sed confudisse illum cum illo *Bute* Argonautam nostrum apparet, quod Apollodor. lib. I, 9, § 25, et Apollon. IV, 912, et Hygin. dicant, hunc *Buten*, Sirenum carmine victum, ad eas nataturum se in mare præcipitasse, sed Veneris beneficio e fluctibus servatum appulisse Lilybæum, ibique sedes fixisse. Hic ergo pater Erycis debet statui, de quo omnia collegit Cluverius, de Sicilia Antiq. lib. II, c. 1, qui etiam notat, alios *Erycem* non *Butæ*, sed *Neptuni* filium fecisse. Nimirum, ut sæpe in his heroibus vidimus, revera erat Butæ filius, sed Neptuni dictus; et huc spectare puto verba auctoris Etymolog. M. quæ præterierunt Cluverium, in Βουτίδης· οὕτω Βούτης, Βούτου, Βουτίδης, τοῦ Ποσειδῶνος υἱός. Sed hinc alium scrupulum injicit Apollonius, qui l. l. narrans *Butæ*

casum, jam Venerem vocat, Ἔρυκος μεδέουσαν, *reginam Erycis*, id est, Scholiaste explicante, *urbis Erycis:* si enim *Butæ* filius *Eryx*, eo tempore urbs certe *Eryx* nondum erat, vel saltem eo nomine insigniri non poterat, nisi πρόληψιν statuamus, vel *Buten* illum diversum ab Argonauta. Certe Diodor. Sic. lib. IV, p. 196, loquitur de *Bute*, ut ignoto vel indigena: nam *Erycem* filium *Butæ*, βασιλέως ἐγχωρίου, dicit. *Polycaonem* filium *Butæ* memorat Pausan. lib. IV, 2, quem ignoro. Alius, sed ignorabilis plane, *Butes* memoratur ab interprete veteri Ibidis Ovidianæ, vs. 609; de quo vide, quæ ibi diximus.

CÆNEUS, Elati filius, ab Hygino solo refertur inter Argonautas; sed suspicatur Munkerus, hic quædam ex Apollonio a glossatore quodam descripta, qui *Coroni* Argonautæ memoriam, cujus pater fuit *Cæneus*, voluit illustrare; quod tamen nescio an persuadeat, quum in ultima parte illius capitis 14 recenseat *Cenea alterum*, *Coronis filium* (ubi certe *Coroni filius* legendum), quem neminem novisse ait, quum *Coronus* fuerit filius *Cænei;* et certe loca illa Hygini male affecta esse credibilius est, quia nusquam mentio *Coroni* occurrit, quem alii adnumerant Argonautis: quare in primo loco assentimur Scheffero et Munkero, qui nomen *Coroni* excidisse credunt, et supplent, *Coronus Cænei filius*, *urbe Gyrtone.* Scholiastes tamen Apollonii, I, 57, dicit, quosdam *Cænea*, non *Coronum* inter Argonautas retulisse. Forte hæc confusio inde nata, quod quidam Cænea, non Elati filium, sed etiam Coroni filium fecerint, quos sequutus Hyginus fuit; ita certe auctor Scholiorum Homeri, in Iliad. II, 745, Καινείδαο, ut ibi Leonteus vocatur, explicat Καινέως, παιδὸς Κορώνου. Carrion Catalogo suo adscripsit quoque *Cænea*, ut ab Orpheo memoratum; sed ille, vs. 167, de *Polyphemo* Cænei fratre agit, non de ipso Cæneo; nisi in corrupto illo versu 168 lateat *Cæneus.* De Cæneo vero Lapitharum in pugna, ejusque miraculis vid. Ovid. XIII, 459 et seq. ubi et *Elateius* dicitur vs. 497.

—Confer, quæ *Verheyk* ad Anton. Liberal. cap. 17, p. 115 seq. de hoc late disputat. HARL.

CALAIS, cum fratre ZETE, nati ex Borea et Orithyia, quæ filia fuit Erechthei Atheniensis regis, filii Pandionis; ab omnibus inter Argonautas relati, ut et ab Oppiano, Cyneg. II, vs. 621. Hic Boreas, filius Strymonis a quibusdam habitus, rex Thraciæ (vide Schol. Apollon. lib. I, 211), qui rapuit ex Attica Orithyiam, Erechthei filiam; vide Apollod. lib. III, 14, § 2. Schol. Pindari ad Pith. IV, 324, docet Boream virum quemdam Thracem fuisse, quia Thracas Græci Βορείους vocarent, et filios Boreæ venti dictos, quia erant velocissimi pedibus; et *Calain* dictum quasi καλῶς ἄοντα, *Zeten*, quasi ζαήτην, i. e. ἄγαν ἄοντα καὶ πνέοντα, quibus similia habet Eustath. ad Odyss. V, circa fin. pag. 240, ed. Basil. Stat. Theb. V, 406, velis ministrantem *Calain* inducit, unde forte alas ipsi tribuerunt poetæ, eodem modo ut Perseo, Dædalo et aliis, ut notum est ex Mythologis. Matrem *Orithyiam* confundunt quidam cum alia ejus nominis: Scholiast. enim Apollon. l. l. facit Cecropis filiam, quum hæc fuerit Erechthei, altera vero Cecropis II, quæ, nupta Macedoni, Europum genuit, teste Stephano; vide Meurs. Reg. Att. II, cap. 13 et 14. Sororem habuere hi Argonautæ *Cleopatram*, quæ nupta Phineo; de qua noster Flacc. lib. IV, 464, et cujus historiam enarrat Triclinius ad Sophoc. Antig. 977, et Scholiast. ad vers. 992, ad quem obiter notandum, illum Scholiasten, quisquis sit, narrare maximam partem ex Apollodori bibliotheca, in cujus tamen lib. III, cap. 14, § 2, ita ut nos habemus, et aliter, et brevius narratur: unde confirmari posset opinio Barthii ad Stat. Theb. I, 121, nos tantum magni et immensi operis Mythologici habere epitomen. Ex hac *Cleopatra* Phineus tulit *Plexippum* et *Pandiona*, vel, ut alii, *Gerumban*, et *Aspondum*. Hos ad Argonautas venisse, contra injurias novercæ auxilia petentes, et cum iis abiisse in Colchida narrat Diod. Sic. lib. IV, pag. 172; hos Boreadas mortuos esse in persequendis Harpyiis quosdam

tradere, alios vero circa Tenum insulam ab Hercule occisos, narrat Apollodorus l. l. Hyginus telis ab Hercule confectos refert: quo respicit Senec. Med. 634:

Stravit Alcides Aquilone natos.

Ubi vide Delrium. Condidisse *Calain Cales*, urbem in Campania, auctor est Silius Ital. VIII, 514, quam et lib. XII, 525, *Threiciam Calen* ideo vocat; sed Cluver. Ital. Antiq. IV, 6, poetam ex similitudine vocabulorum id finxisse censet, cujus sententiæ accedit eruditionis summæ vir Camillus Peregrinus, dissert. II de Campania Felice, pag. 316; sed idem vir summus non observasse Cluverium notat, Silium de ejus situ contraria dixisse: quum enim lib. XII recte eam inter Campanas retulerit, lib. VIII eam collocat in Pelignis. Unde vero editor numismatum egregiorum ex Museo Jacobi *de Wilde* resciverit, caput juvenis alati in nummo Amisi urbis Galatiæ esse Calais, nescio; et vellem nobis vel unicum testimonium veteris scriptoris protulisset, quo suspicionem de Calai, conditore Amisi, firmasset: unde etiam *Cales* urbem, de quo modo vidimus, *Calesium* vocatam didicerit, vellem indicasset; persuasum tamen etiam cl. Jac. Gronovio, caput in nummo Amisi, esse Calais, video ex tomo I Thesauri Ant. Græc. in quem eum contulit; sed de urbe Amiso mentione nulla facta; quod tamen oportuit. Ex Hygino tantum, fab. 273 (non 237), memorat, Calain in ludis, quos Acastus fecit, Argivis, vicisse diaulo; de quibus ludis in *Acasto* egimus. Si iis vero Calais et Zetes vicerint, vixere certe post expeditionem Argonauticam; sed quo tempore ab Hercule perierint, nescio. Dion Chrysost. in Corinthiaca, p. 458, quem indicio cl. Gronovii locum debemus, hoc certamen a Neptuno et Sole institutum ait, in quo et Argo navis vicit, quæ postea a Jasone fuit consecrata; ubi in Isthmo certamen, non Argis fuisse commissum dicitur, et nulli, nisi Argonautæ, certasse; non alii, quos Hyginus admiscet. Cæterum *Calain* et *Zeten* sæpe a scriptoribus confusos cum *Amphione* et *Zeto* observavit vir eruditissi-

mus Schurtzfleischius in Animadversionibus ad Longin. cap. X, pag. 66.

CANTHUS. Et hic omnibus memoratus scriptoribus. *Abantiades* dicitur Apollon. I, 78, et Schol. eum facit filium Canethi (unde mons in Bœotia), qui filius *Abantis*, unde Eubœæ incolæ *Abantes* dicti; quocum et Orpheus facit, qui vs. 139,

Κάνθος δ' Εὐβοίηθεν Ἀβαντιάδης ἐπέρησεν.

Valerius vero, lib. I, 453, genitorem *Abanta* vocat, et lib. VI, 321, Euboicum facit. Abantas vero plures fuisse, et alios etiam *Abantiadas* vocari vidimus in *Areio:* quare nostrum deducere licet ex illo Abante, qui Melampodis filius, nepos Amythaonis, pronepos Crethei fuit, ut ita genere Jasoni fuerit conjunctissimus. Hygino dicitur *Ceriontis* filius, quod nomen certe corruptum est. Hic non rediit domum, sed, ut Hyginus refert, in Libya a Cephalione cum Eurybate interfectus. Apollonius, I, 485, a Caphauro filio Nasamonis et Tritonidis Nymphæ (qui filius Amphithemidis, vel Garamantis; et ille ex Acacallide minori filia filius Phœbi), cujus pecus abigere volebat, lapide ictum canit. Orpheus, 141, simpliciter in Libya periisse dicit. Valerius ab his dissidens eum, lib. VI, 317, et VII, 422, in pugna cum Perse a Gesandro interemptum memorat. Maserius ad lib. I, 451, ad *Canthum* refert illa Senecæ, Med. vs. 622:

Aulis amissi memor inde regis, etc.

Quæ alii ad Tiphyn, alii Erginum spectare censent; vide Scaliger. ad Propert. III, 6, 23; sed locus ille mihi nondum planus esse videtur.

CASTOR et POLLUX, fratres, Jovis filii, *Dioscuri*, notiores fere, quam ut describi postulent: nam et nulli hujus

expeditionis scriptori præteriti: nemo ignorat etiam Jovis et Ledæ filios dici. In qua generis origine hoc solum, quia omnia reliqua obvia, observandum, quod etiam Jasoni conjuncti fuere sanguine, et familiam Æolidarum contigerint. Æoli enim filia fuit Calyce, quæ ex Æthlio suscepit Endymiona, cujus filius Ætolus, ejus Pleuron, hujus Agenor, illius Demonice, quæ ex Marte tulit Thestium, patrem Ledæ, qui rex fuit Ætoliæ; vid. Apollod. lib. I, cap. 7. Sed in hoc stemmate hoc incommodum, quod quum tot gradibus Thestius ab Æolo distet, vix ejus ætas temporibus hujus militiæ congruere posse videtur, cui tot dedere nomina posteri Æoli, multo propiore gradu eum contingentes. Sed idem in *Anceo*, *Iphiclo* et aliis occurrit, nec tales in historia mythica nodi nos morari debent, quum sæpe ejusdem nominis avos et nepotes confuderint poetæ; possunt tamen Dioscuri propius Æolo admoveri, si per patrem Tyndarea ascendamus: ille enim filius Perieris, et nepos Æoli fuit, ut Apollodorus stemma deducit, lib. I, cap. 9, § 5; qui tamen alios Perierem Cynortæ filium facere addit, qui fuit filius Amyclæ; et hinc lib. III, cap. 10, § 3 et 4, ex Cynorta deducit Perierem, ex illo OEbalum, et ex eo Tyndareum; sed hinc etiam perturbationes plurimæ temporum: si enim Tyndareus tertius ab Æolo, qui potuit Leda, quæ nona ab illo fuit, ejus conjux fuisse? neque etiam Castor et Pollux multo infra hæc tempora detrudendi, quum ante Trojani belli tempora jam e medio excesserint; quod si etiam verum sit, qui credibile est Helenam, eorum sororem, belli Trojani potuisse esse auctorem? si enim illa filia Tyndarei fuit, decrepitam anum fuisse, quum Trojam irent Græci, oportet; quem nodum non aliter solvit Servius ad Virg. Æneid. II, 601, nisi quod Pollux et Helena fuerint immortales, ideoque non senectæ vitiis obnoxii, Castor vero mortalis; quæ ratio nulli satisfacere poterit. Idem Servius observat, Argonautarum filios interfuisse bello Thebano, illorum vero filios Trojano; sed inextricabiles hos nodos

relinquamus. Sunt et, qui Castorem et Pollucem ex Nemesi genitos, a Leda vero, jam anu scilicet, nutritos; vid. Had. Jun. Animad. I, 15. Nihil præterea de nobilissimis his fratribus addere vacat, nisi, quia gemini et vultibus ita similes fuerunt, ut vix dignosci potuerint, ita fuisse confusos a Veteribus, ut Castori tribuerit hic quæ alius Polluci, et non modo *Castoras* utrumque vocaverint, sed nec in artibus, quibus alteruter excelluit, constiterint. *Castora equo gaudere* Horat. Sat. II, 1, et Od. I, 12, et alii dixerunt, sed Polluci equum *Cyllarum* et equestrem scientiam Propertius, Eleg. lib. III, 21, et Virg. Georg. III, 89 attribuerunt, quia nempe equus ille communis utrique, et poetis hæc licentia permittatur; vide Serv. ad Virgil. Æneid. VIII, 642. Quum vero hanc ad expeditionem se Castor succingeret,

Passus Amyclæa pinguescere Cyllaron herba,

ut noster canit lib. I, 426, et *remo permutat habenas*, ut Statius, Theb. VI, 329; ubi vide Lutat. et præterea operæ pretium tuleris, si adieris Tristani Comm. tom. II, p. 268.

CEPHEUS, omnibus memoratus. Arcas fuit, et filius *Alei*, Lycurgi frater; vide in *Ancæo* priore, et *Amphidamante*. Apollodorus, lib. III, cap. 9, ex Pelasgo ejus originem deducit; inter filios vero Alei omittit Amphidamanta, ut vidimus; vide Pausan. VIII, 4. Scholiastes vero Apollonii, lib. I, 161, duos hoc nomine fuisse Arcadas dicit, unum Cephea, Alei filium, alterum, cujus Hellanicus meminit in Arcadicis; sed, quis ille fuerit, non addit; fuisse potuit *Cepheus*, filius Jasii, quem memorat Aratus in Phænom. vs. 179, quamvis Theon *Iasidem* dici non a patre, sed ab Io, Inachi filia, velit, ut sit *Cepheus* Agenoris filius, de quo mox videbimus; et ita Germanicus, v. 184:

Iasides etiam cælum cum conjuge Cepheus
Ascendit.

Avien. quoque, vs. 440, *Iasidem* vocat: sed potuit Aratus Cephea Agenoris confudisse cum Jasii filio; Jasius enim Arcas memoratur Pausan. lib. V, 8, et VII, 48, ubi quum capite 47 narrasset Cephea, Alei filium, posuisse Tegeæ templum Minervæ Poliatidi, potuit et illos confudisse Pausanias. Tegeum fuisse Cephea etiam Noster, lib. I, 375, indicat; Pausan. lib. VIII, 23, Caphyarum conditorem facit. Stephanus vel a Capy Anchisæ patre, vel a Cepheo oppidi nomen repetit. Cepheus vero ille habuit Æropum, et ille Echemum (Pausan. VIII, 4 et 5); et ejus nomen apud Herodot. IX, 29, corruptum fuisse in *Phegea* vidimus ad Ovid. Met. IX, 412. Tertius vero *Cepheus* Andromedæ pater huc non pertinet: fuit enim ille, ut notum, æqualis Perseo, qui fuit proavus Herculis, et ita expeditioni huic interesse non potuit: unde dubito, an de *Cepheo* hoc capienda sint, quæ ex antiquo, sine dubio, scriptore profert Apostol. Cent. Adag. XVI, 22; ubi *comam Gorgones* dictam fuisse Asteropæ, Cephei filiæ, dicit, quo tempore *Cepheus* cum Hercule militabat in Lacedæmonia, ut illo absente incolumis civitas maneret; quæ de nostro Cepheo narrat paullo aliter Paus. VIII, cap. 47; et tunc forte Herculem hospitio excepit Cepheus, ut Val. Fl. I, 375, dicit: sed in fabula duos *Cepheos* esse confusos puto: nam neque *Cepheus* rex Æthiopum potuit cum Hercule militare, quum ipse jam grandævus esset, quo tempore Perseus Andromeden liberavit, qui longe ante Herculis natales vixit; neque noster *Cepheus* potuit comam Gorgones a Perseo accipere, nisi fingamus per manus traditam ad eum devenisse. Auctor supplementi ad Lexicon Moreri, *Cephea* filium *Alci*, pro *Alei* facit; nisi operis adscribere malumus id mendi.

CIUS. Hic a nullo scriptore Argonauticorum, quod sciam, memoratur; sed reperi hunc apud Strabonem, lib. XII, p. 564; ubi narrat, Hylam, Herculis comitem, raptum fuisse fabulis tradi, simulque alterum comitem herois *Cium* re-

versum ab expeditione Colchica, urbem sibi cognominem condidisse; quod Strabonis testimonium laudat etiam Eustath. ad Dionysii Periegesin, vs. 806, ut Scherpenzeelii diligentia animadvertit. Casaubonus vero ex Scholiaste Apollon. I, 1346, observat hunc *Cium* ducem Milesiorum fuisse; et idem Scholiastes ad lib. I, 1175, urbem hanc coloniam fuisse Milesiorum duce *Cio* narrat, cujus meminit Scylax. Plura de hoc non observavi.

CLIMENUS sive CLYMENUS. Soli Valerio Flacco celebratus, lib. I, 369. Neque certi hic aliquid reperio, unde efficere liceat, quis ille fuerit. Vocat Poeta eum fratrem *Iphicli*, quod incertiores nos facit, quum duo *Iphicli* fuerint inter Argonautas; si vero intelligatur *Iphiclus* Thestii filius, ille frater Althææ, Clymenus vero Penei filius. Et ita fuisset Iphiclus Clymeni avunculus, si ex Althæa natus fuit Clymenus, quia et Althæa fuit filia Thestii; vide Apollodor. lib. I, cap. 8, qui et lib. II, cap. 4, § 11, vocat Minyarum regem *Clymenum*, quem auriga Menœci Perieres lapidis ictu vulneravit; patrem etiam Ergini fuisse addit; sunt tamen, qui in Valerii loco legant, *Clytium* et *Iphitum*, de quibus in illis Argonautis vidimus. Addit Apollodorus, *Clymenum* vulneratum, fuisse portatum in urbem Orchomenon: quare forte idem esse potuit, qui filius Orchomeni dicitur a Stephano in Ἀσπληδών, cujus tres erant filii,

Ἀσπληδων, Κλύμενός τε, καὶ Ἀμφίδοκος θεοειδής.

Vid. Eustath. ad Homer. Iliad. II, 511. Scholiastes vero Apollon. lib. I, 185, dicit, patrem Ergini *Clymenum*, fuisse filium Presbonis, et Buziges filiæ Lyci. Presbon vero fuit filius Minyæ et Clytodoræ, teste eodem Scholiaste ad vs. 230. Auctor vero Etym. M. dicit Presbonem fuisse patrem Spledonis, sive Aspledonis, uxorem ei fuisse Steropen; sed Stephanum Aspledonis et simul Clymeni patrem Archomenon

facere vidimus. Diversus ab hoc *Clymenus* Telei filius, cujus historiam narrat Parthenius in Eroticis, cap. 13, et Hyginus, fab. 206 (ubi *Schœnei* filius dicitur), 253 et 255. Filia ejus *Harpalyce* vocatur, quo nomine aliam ardentissimo amore in *Iphiclum* incensam fuisse refert Turneb. Adv. X, 11; sed non addit quo ex auctore hæc habeat; legitur vero apud Athenæum, lib. XIV, cap. 3; quod si constaret, hinc appareret, cognomines illas mulieres confusas; nam et Iphiclum Clymeni fratrem vidimus fuisse; præterea hunc *Clymenum* confusum cum nostro inde etiam colligo, quia filium, quem ex incesto coitu cum Harpalyce filia sustulit, Presbonem vocat Eustathius ad Iliad. XIV, v. 219, p. 976; ita vocatum certe propter Presbonem, Clymeni patrem; quod vero addit Turnebus, canticum quoddam *Harpalycen* ab illa, quæ Iphiclum amavit, esse dictum, verum esse potest; quia alia Harpalyce, aut a patre interfecta, aut in Chalcidem mutata dicitur: hanc vero, forte ab Iphiclo repulsam, ex desperatione se præcipitem dedisse, et hinc de infelici ejus exitu canticum hoc fuisse compositum et celebratum conjicere licet ex Eustath. qui ad Hom. Il. XXI, v. 280, p. 1324, dicit *Calycen* esse canticum Stesichori, in quamdam *Calycen* quæ per amorem se præcipitaverit, esse et alterum *Harpalycen* de simili casu. Quænam autem illa *Calyce* sit ignoro: fuit certe quædam soror Pisidices Calyce; sed etiam eo nomine matrem Cycni, quem ex Neptuno suscepit, fuisse, docebunt te notæ Heinsii ad Ovid. Epist. XIX, 133, quamquam Munker. ad Hygin. fab. 152, pro *Calyce* conjecerat *Harpalycen*, vel *Harpalen*; sed matrem Cycni *Calycen* fuisse dictam hinc puto firmari posse, quia, quemadmodum Stesichorus, teste Eustathio, oden illam Καλυκὴν scripsit, ita idem poeta scripsit Κύκνον, quem citat Scholiast. Pindari ad Olym. X, 19, Στησίχορος ἐν ἐπιγραφομένῳ Κύκνῳ ἱστορεῖ. Quamvis *Calycen* illam non fuisse matrem Cycni ex Athenæo, lib. XIV, c. 3, colligere liceat, qui laudans Stesichori carmen, dicit fuisse illam captam Euathli amore, et repulsam, se ex Leucade

præcipitasse, et fuisse virginem pudicam et moribus probatissimis. Ita nihil in his certi, in quo consistamus, reperire licet. Sed hæc nos longius a *Clymeno* abduxerunt. Alii videntur hunc eumdem fecisse qui *Periclymenus* (licet Valerius ambos referat): nam in *Ergino* videbimus illum *Periclymeni*, et ab aliis *Clymeni* filium statui; ut et mater Jasonis et Admeti ab his *Clymene*, ab illis *Periclymene* vocatur.

CLYTIUS, Orpheo, Apollodoro et Flacco nostro ignotus; sed ab Apollonio, lib. I, vs. 86, cum Iphito ex Œchalia venisse dicitur: quare aliqui in Valerio eum *Clymeno* voluisse substituere vidimus. Scholiastes dicit, fuisse filios Antiopes. Pater ejus fuit Eurytus: sic Hyginus vocat, quem regem Œchaliæ ex Homero fuisse Scholiastes dictus ostendit, de quo in *Euryto* videbimus. Scholiastes ad Trachin. 268, ex Euryto quatuor filios provenisse ex Hesiodo docet, inter quos *Clytius* et *Iphitus*; matrem vero vocat *Antiochen*. Aristocratem vero tres filios statuere, præterito Iphito, addit; idem ad vs. 355, filios Euryti ab Hercule occisos præter Iphitum, qui in Eubœam fugit, narrat. Hyginus matrem dicit fuisse filiam *Pylonis*; sed et hunc ignoro. Neque de *Clytio* aut *Iphito* plura indagare potui. *Pythius* male vocatur in vitiosis Diodori Siculi lib. IV, p. 169 codicibus, quum *Clytius* dicendus sit.

CORONUS, Cænei filius, de quo jam aliquid supra in *Cæneo* vidimus; memoratur hic Orpheo, vs. 136; Apollonio, lib. I, vs. 57, et Apollodoro; aliis omittitur. Duo autem fuerunt Cænei, unus Atracis, alter Elati filius, qui fuit pater nostri *Coroni*. De hoc Elato et Cæneo non repetemus hic, quæ diximus ad Ovid. Met. XII, vs. 186. Rex fuit Perrhæborum, quorum urbs erat Gortyna; vide infra in *Polyphemo*. Hic *Coronus*, Lapitharum dux, in bello contra Ægimium, Doriensium regem, cui Hercules se socium addiderat, ab hoc fuit interfectus, Apollodor. lib. II, cap. 7, § 7. Hujus

filius fuit Leonteus, qui in bellum Trojanum cum Polypœte, filio Pirithoi, profectus fuit; vide Homer. Iliad. II, 744, ubi Eustathius dicit, eum cum Polypœte Lapitharum ducem fuisse factum, quum Pirithous cum Theseo ad inferos expeditionem sumpserat, rapiendæ Proserpinæ caussa. Meminit ejus etiam Dictys, lib. I, cap. 13; et Hygino, c. 97, restituit eum Micyllus. Eumdem inter procos Helenæ recenset Apollodorus, lib. III, cap. 9, § 8. An hic fuerit *Coronus* ille Lapitha (ita enim puto vertendum, non *filius Lapithæ*) cujus filiam Lysiden Ajax habuit uxorem, teste Stephano in φιλαΐδαι, nescio; ex his vero Philæum natum dicit Stephanus; et Herodotus, lib. VI, 35, Miltiadis genus ex Philæo, filio Ajacis, deducit, qui Atheniensi civitate donatus, tribuit nomen tribui Philiadarum; nescio vero unde in indicem retulerint editores Philæum Æaci filium; certe Herodotus id non dicit, sed Ajacis filium fuisse, ut et Marcellinus auctor vitæ Thucydidis in initio, ubi Φιλαίας dicitur; ubi Hudsonus ex aliis scriptoribus Philæum hunc illustrat. Alius *Coronus*, filius Thersandri, ab eodem Stephano memoratur in Κορωνεία, qui Thersander fuit filius Polynicis; vide Schol. Apollon. IV, 1764, et Pausan. IX, 34, qui et Thersandrum Sisyphi filium facit.

CYLINDRUS. Hunc solus Hyginus refert inter filios Phryxi et Chalciopes, qui ex insula Dia Argonautis accessere; sed quum nemo alius eum hoc nomine agnoscat, puto corruptum hoc nomen esse, et locum dandum CYTISORO, qui et *Cytorus* dicitur, quem omnes agnoscunt, et Munkerus etiam ad fab. 3 pro *Cylindro* reducendum credit, et Herodoto, Melæ et aliis *Cytisorum* dici docuit. Valer. Flac. V, 561, etiam *Cytisorum* vocat, ut et Schol. Apollon. II, 390; et ipse Apollon. lib. II, vs. 1159; reliqua vide in *Argo*.

DEILEON, cum fratribus Autolyco et Phlogio accessisse Argonautis ad Sinopen dicitur ab Apollon. II, vs. 957, et

Val. Flac. vs. 115; vide supra in *Autolyco*. Hic, ut recte suspicatus est Munkerus, corrupte apud Hyginum vocatur *Demoleon:* nam conjungitur fratribus suis, ut ab aliis scriptoribus; hunc scriba, quum sciret ab Homero *Demoleonta*, filium Antenoris, memorari, pro *Deilonte* forte supposuit.

DEUCALION, memoratus Hygino et nostro Poetæ. Hygino est Minois et Pasiphaes filius; et certe inter filios Minois eo nomine unus memoratur ab Apollod. lib. III, cap. 1, § 2, et Diodoro, lib. IV, pag. 183, et lib. V, pag. 238, ubi patrem Idomenei fuisse scribit; vide Meursii Cretam, lib. III, c. 3; et ætas satis congruere pro ratione chronologica mythici temporis posset. Nam et Theseus huic expeditioni socius a multis refertur, quem Minois ætate vixisse constat: et filius Deucalionis, Idomeneus, Trojano bello interfuit, cum aliis filiis Argonautarum; tamen inter quatuor *Deucaliones*, quos recenset Schol. Apollon. III, 1085, etiam ille Minois filius legitur. Fuit et alius, Abantis filius, qui si Abas Melampodis filius fuerit, ex Crethei genere, et cognatione Jasonis fuisset *Deucalion;* vid. supra in *Cantho;* sed de hoc nihil reperi. Valerio vero nostro, lib. I, 366, dicitur frater Amphionis, ex Hypso matre, et Hyperesio patre, et venisse ex Pella; vide quæ in *Amphione* notavimus. Et ille forte erit, cujus Hellanicus meminit apud Scholiasten Apollonii, qui nihil de genere aut patria addit. Pius ad Valerii l. l. *Deucalionem* hunc extrudere conatur, et *Asterium* pro eo inserere, qui Phylaci et Clymenes filius, frater Alcimedis, fuit; sed forte adscripserit aliquis glossator *Deucalionem* Asterii fuisse nepotem, Minois filium: nam ita Mythologi plures stemma deduxerunt; vid. Diodor. lib. IV, pag. 183, et Meurs. Cret. lib. III, cap. 2.

ECHION, nulli omissus, filius *Mercurii* et *Antianiræ*, ut recte Schefferus apud Hyginum nomen matris correxit, ex Apoll. I, 56; Orpheus vero *Laothoen* Mereti filiam vocat

vs. 134, ubi tamen melius Μενοιτοῖο legeretur; et apud Hygin. 160 legendum puto, *Echion ex Antianira et Eurytus*. Geminos fuisse Eurytum et Echiona ex Pindari Pyth. IV, 316, colligere licet, nam διδύμους vocat; Æthalides vero Mercurii filius ex alia matre fuit, ut vidimus. Ex Alope venisse dicuntur; quum vero variæ fuerint hoc nomine urbes, ut ex Stephano et Strabone est manifestum, Hyginus addidit, *quæ nunc vocatur Ephesus*; quæ verba an ab Hygini manu sint dubito. Plinius etiam, lib. V, 39, *Alope*, etc. *vocata est Ephesus*; sed verosimilius puto ex Alope Thessalica, ab Alope Cercyonis, vel Actoris filia, dicta, venisse: et ita quosdam putare addit Hyginus; et Scholiast. Apollon. I, 51, dicit, esse civitatem Thessaliæ, vel Magnesiæ; Orpheus πετρήεσσαν vocat, quod epitheton non convenire puto Epheso, sed bene urbi Thessaliæ, quæ regio montosa. Movere etiam aliquem posset, quod *Arcas* vocetur lib. VII, 543, et *Nonacria* proles IV, 141; sed hoc ratione patris Mercurii, qui in Cyllene Arcadiæ natus fingitur, unde et *Parrhasio galero* eum ornat Valer. IV, 137. Hic *Echion*, ut decebat Mercurii filium, astutus et dolosus, exploratoris munere inter Argonautas functus fuit. Idem videtur fuisse, qui inter apri Calydonii venatores cum fratre Euryto, vel Eurytione memoratur Ovidio, Met. lib. VIII, 312, et templum Matri deum fecisse eidem dicitur lib. X, 686. Alios hoc nomine, ut socium Cadmi, et patrem Penthei, et alium conditorem Echinadarum hic recensere nihil attinet.

ERGINUS, a nemine omissus, Neptuni filius Apollodoro, Hygino et Valerio Flacco, I, 416, peritissimus rei navalis et siderum, et ideo quasi vicarius Tiphyos, cui mortuo etiam successit; vid. Val. Flacc. V, 65, et VIII, 177; et hunc respicere illa Senecæ, Med. 617:

> Tiphys inprimis domitor profundi
> Liquit indocto regimen magistro,

putat Maserius ad Val. I, 416. Scaliger etiam ad Propert. III, 23, sequentem vs. 622, *Aulis amissi memor inde regis,* ad *Erginum* referebat; vid. in *Cantho* quæ diximus. Scholiastes vero Apollonii ad lib. I, vs. 185, facit Clymeni et Buziges filium, nepotem Presbonis, de quo vide in *Clymeno*, qui quum et *Periclymenus* dicatur, Hyginus dicit, quosdam eum Periclymeni filium dicere. Schol. Pindari etiam ad Olymp. Od. IV, 31, Clymeni filium facit; sed idem ad Pyth. Od. IV, 61, Periclymenum, Erginum et Ancæum filios Neptuni dicit; unde videmus, sæpe filios et nepotes alicujus promiscue dici a Veteribus: quare Scholiastes Apollonii eum vocat Ποσειδῶνος ἀπόγονον. Et possunt hæ diversæ sententiæ ita forte in unum coire, si stemma hoc modo deducatur: Minyas creditus filius Bœoti, et Hermippes, sed φύσει erat Neptuni; licet Hygin. fab. 157, ipsum Bœotum filium Neptuni faciat; Minyæ ex Clytodora erat Presbon, et Periclymene et Eteoclymene (Schol. Apollon. I, 230): ita ergo per Presbontem ex Neptuno descendit, et simul ex Minyarum filia. Minyam Chrysæ et Neptuni filium facit Pausan. IX, 36, ejusque filium Orchomenum, quo sine liberis mortuo, regnum Orchomeniorum ad Clymenum Presbontis filium transiit. Presbon vero etiam filium Clymenum habuit, ut vidimus modo. Per matrem etiam descendebat ex Neptuno: Clymeni enim uxor Buzyge, erat filia Lyci, teste Scholiaste Apollonii, I, 85. Lycus vero etiam Neptuni filius, Hygino, fab. 157, et Celænus, Ergei filiæ, quam tamen Atlantis filiam facit Apollodorus, lib. III, cap. 10, § 1. Tzetzes vero facit filium Promethei et Celænus. Eustathius ad Homer. Iliad. II, 511, pag. 206, *Erginum* Clymeni filium facit, qui Thebas vectigales fecit et habuit, donec Hercules interfecerit *Erginum*, Ascalaphi et Ialmeni progenitorem. *Ergini* filium dicit fuisse Azea, ejus Actora, cujus fuit Astyoche, et ex illa Ascalaphus et Ialmenus; vide et Schol. Pindar. Olym. IV, 2, et Pausan. IX, 17 et 37; ubi in fine agens de Astyoche, dicit eam fuisse filiam Actoris, Ἀξίως (corrige Ἀζίως) neptem, Clymeni pro-

neptem, omittens *Erginum;* qui tamen, an idem *Erginus* fuerit, qui Argonauta, dubitari potest, quia ille Orchomeni rex dicitur, et ex Minyis descendere, Noster ex Mileto venisse refertur ab Apollonio, Orpheo et Hygino. Si duo diversi fuerunt, eorum res gestas inter se confusas statuere debemus. Cæterum Orpheus, vs. 150, dicit,

> Ἤλυθε δ' Ἐργῖνος Βράγχου πολύπυρον ἄρουραν
> Ἐκπρολιπών.

Quæ interpres vertit, *venit etiam Erginus Branchi*, ita distinguens, quasi filius Branchi fuisset; et ita cepit Escchenbachius, qui hoc pugnare cum aliis dicit, qui Neptuni filium faciunt, quia erat ἀπόγονος Neptuni. Sed oportuerat ergo Branchi genus ad Neptunum deduxisse; sed Branchus vulgo Apollinis filius statuitur; vide Lact. ad Stat. Theb. VIII, 198, quamvis et Varronis, quem adducit, loco, potius ejus amasius videatur fuisse; ut et ipse Lactantius ait ad lib. III, 478, ubi Thessalum dicit fuisse; vide et Conon. Narrat. XXXIII, et Menag. ad Laert. I, 72. Quare illa Orphei ita capienda, ut conjunctim ἐκπρολιπὼν ἄρουραν Βράγχου, vertantur, *linquens terram Branchi*, id est, Miletum, vel ejus agrum, ubi erat templum Branchi, de quo omnia nota, et dicta aliis hic non repetenda videntur. [Et ita interpretatur quoque Gesnerus illum locum in sua editione. HARLES.]

ERIBOTES, Teleontis filius, memoratus Apollon. I, 73; Valer. Flacco, I, 402; et Hygino. Orpheus et Apollodorus eum ignorant. Obscurior hujus Argonautæ origo; nam hic Teleon, ejus pater, diversus est a Teleonte, patre Butæ, ut notat Scholiast. Apollon. ad lib. I, 94; nec tamen indicat quis fuerit, aut unde oriundus. Eumdem etiam esse, qui *Eurybates* ab aliis vocatur, ex Herodoto notat idem Scholiastes ad vers. 73; et Hyginus in fine cap. 14 dicit in reversione periisse *Eurybaten* Teleontis filium, quem antea

Eriboten vocaverat; eodem modo ut mox *Erytum* et *Eurytum* eumdem fuisse videbimus. Maserius in notis ad Valer. Flacc. I, 401, ait, Orphea scribere *Eriboten* medicinæ peritissimum fuisse, et Oilei vulnus, a Stymphalidibus illatum, sanasse; quæ ego reperire non potui in Orpheo; sed ea narrat Apollonius, lib. II, vers. 1032 et seq. et tamen in lexico historico secure compilator hoc ex Orpheo quoque tradit. Pausanias, lib. V, 17, in ludis funebribus Peliæ *Eurybotan* disco certasse narrat. Sed quis fuerit ille incertum esse ait. Forte noster Argonauta *Eurybates* fuit, quem non mirum nos ignorare, si Pausanias nihil certi de eo resciscere potuerit. An interciderit memoria hujus herois, quia postea *Eurybatis* nomen ita infamatum fuerit propter furem et scelestum *Eurybaten*, vel *Eurybatum* (de quo vide Suidam et ibi adnotata) ut *Eurybaten* pro scelesto homine usurparent? ita utitur apud Athen. IX, 8, Amphis; vid. et Alciphron. Epist. III, 20, et ibi notas Bergleri; et Eustath. ad Homer. Il. I, 320, ubi mentio Eurybatis κήρυκος, dicit inde Εὐρυβατεύεσθαι pro πονηρεύεσθαι, et proverbium Εὐρυβάτην πονηρὸν οἶδεν ἄνδρα, ortum, et sic omnes Parœmiographi. *Eurybatum* alium, Euphemi filium, memorat Anton. Liberal. Metam. cap. 8.

EUMEDON, soli Hygino memoratus, cui Liberi patris et Ariadnæ, Minois filiæ, filius est, et ex Phliunte venisse dicitur; ita ut frater fuerit Phleiantis et Staphyli, de quibus infra videbimus; nusquam vero hunc Argonautam deprehendere potui, neque ejus nomen inter filios Bacchi, quos enumerat Scholiastes Apollon. III, 996; quare cum indagandum felicioribus relinquo.

EUPHEMUS, nulli Argonauticorum scriptorum neglectus, Neptuni filius, Tænarius patria, ex Europa, Tityi filia, Hygino. Tænari rex fuisse dicitur Scholiasti Pindari, Pyth. Od. IV, 61 et 307, in qua ode multa ejus mentio. Ad

versum 77, Neptuno ex *Europa* dicit natum, in ripis Cephisi fluvii; ad vers. 15 et 39 idem Scholiastes dicit natum ex *Mecionice*, Eurotæ filia, duxisse vero uxorem Alcmenes filiam Laonomen, et ex illo septimum decimum esse *Battum*, sive *Aristotelem*, qui condidit Cyrenen. Ad versum tamen 455, dicit, *Euphemum* in Lemno coiisse cum *Malache*, et inde natum *Leucophanem*, unde *Aristoteles* descendit, progenitor Arcesilai Cyrenæi, in cujus laudes hymnum illum cecinit Pindarus; et ibi plures *Euphemos* recenset Scholiastes. Tzetz. ad Lycophr. Alex. vs. 887, etiam filium *Mecionices*, sive *Doridos* (ita enim viri docti emendant pro *Oridos*) filiæ Eurotæ, facit, et eadem fere, quæ Scholiastes Pindari narrat; vide et Jo. Tzetz. Chiliad. II, 43, ubi triplicem matrem Europen et Mecenicen filiam Orionis, et Orida agnoscit. Illa *Oris* vero incognita Mythographis, Neptuni vel uxor vel amica, posset forte esse filia Ori, quæ et *Leis* dicitur, ex qua Neptunus etiam *Althepiam* suscepisse dicitur Pausaniæ, lib. II, 30; in Apollonii editionibus, lib. I, vs. 179, legitur vulgo,

Ταίναρον αὖτ' ἐπὶ τοῖσι λιπὼν Πολύφημος ἵκανε·

ubi certe, ut jam observavit Simson in Chronico, Εὔφημος legendum esse constat, quia de hoc Argonauta ibi agere certum est: nam et *Polyphemi*, Elati filii, jam meminerat versu 40. Quam indiligenter vero Hoelzlinus in Argonauticis versatus fuerit, notæ ejus ad hunc locum probant: quum enim *Euphemum* ab aliis dici adnotasset, addit, Orphea eum ne nomine quidem novisse, quum disertim ejus mentionem faciat vs. 102:

Ταιναριεὺς δ' Εὔφημος ἔβη, etc.

Sed video quid fefellerit virum minime malum: neglectis Græcis Orphei verbis, Latinum interpretem consuluit, qui quum εὔφημος, litera prima minori scriptum, deprehendisset, vertit,

Tænareusque CELEBRIS venit, Meleatidis vertices
Linquens Aulonas.

Et hanc versionem retinuit Escchenbachius. [Gesner. vero in sua interpretatione *Tænariensis Euphemus* recte dedit. Harl.] Pradierius omisit totum τὸ Εὔφημος· et hinc jam novum nobis Argonautam protulerunt *Tænarea* dictum, qui epitheto εὐφήμου, id est, celebris, ornatus ab Orpheo esset: hinc Carrion Græcarum, ut vidimus, literarum rudis, in Catalogum suum ex Orpheo *Tænarieum* retulit, quem infelix Alardus in sua editione *Tænaricum* jussit vocari. Cribellus vero in versione metrica totum *Euphemi* nomen omisit, ut et Pradierium fecisse diximus. Egregium certe exemplum, ex quo discere omnes poterunt, quanti habendæ sint versiones, etiam doctissimorum virorum, et quam turpiter errent, qui illas consulere semper solent. Quo vero maxime celebratus est hic Euphemus, βῶλος ille, gleba fuit, quam in mare jecit, et unde nata insula Calliste, postea Thera dicta, quod in locis ex Scholiaste Pindari et Tzetze laudatis refertur, et ab Apollonio, IV, 1562 et 1755, ubi vide et Scholiast. Præterea dicitur potuisse pedibus mare ita permeare, ac si per terram iter faceret (quod idem de Orione narratur), quod explicat Tzetz. Chil. II, 41, quod fuerint gubernatores celeberrimi, qui nunquam mari damnum aut naufragium fecerunt: nam noster Euphemus πρωρεὺς navis Argi etiam dicitur Schol. Pindari, l. l. vs. 36 et 61; et apud Apollon. lib. II, Euphemus columbam de prora dimittit, ut iter per Symplegadas aperiret. Euphemi etiam in ludis Peliæ meminit Pausanias, lib. V, 17, et dicit comitem Jasonis fuisse. Ex hoc forte descendisse *Euphemum* suspicor, cujus mentio fit apud Schol. Pind. Pyth. Od. IX, 185, ubi de Antæi urbe Irassa agit; quem diversum esse ab Antæo, ab Hercule victo, sed alterum ait esse, ᾧ συνήκμασε Εὔφημος, οὗ οἱ ἀπόγονοι μετῴκησαν εἰς Κυρήνην. Euphemi etiam memoriam consecravit cl. Gronovius, et thesauri græci parti primæ, fol. *Ggg*, inseruit; nec monuit unde ejus imaginem

petierit, neque etiam ex illa quidquam desumi potest, unde Euphemi efficiatur imago, quum vel Neptuno ipsi, vel cuicumque Neptuni filio, eodem jure accommodari possit. *Euphemum* vero ita effingere, ut in piscem desinat, mihi indecorum videtur, et Tritonem, Glaucum, aut alium marinum deum hac forma exprimere magis solitos crediderim. *Euphemum* Eurybati alicujus patrem modo in *Eurybato* vidimus, nobis non aliunde notum.

EURYALUS, Mecistei filius. Hunc solus inter Argonautas numerat Apollodorus, cæteris indictum. *Mecisteus* vero fuit filius *Talai* et *Lysimaches*, Abantis filiæ. *Talaus Biantis*, et ille *Amythaonis*, qui *Crethei*, ita ut fuerit ex Cretheidis, unde et Jason; sed ille in tempora aliquantulum seriora incidit; nam et adversus Trojam navigasse dicit Apollodorus, lib. I, cap. 9, § 13, et Pausanias, II, 30, cum Diomede illum Argivos ad Trojam duxisse ait ex Homeri Iliad. II, vs. 564, quamvis ille posset alter, et forte ex ejus posteris, fuisse: nam et fratres ejusdem Mecistei, Adrastus et Parthenopæus, qui fuit inter septem duces contra Thebas (quamquam Parthenopæum Apollodorus, lib. II, cap. 6, § 3, faciat Melanionis filium; sed Pausan. II, 20, et IX, 18, Talai), et soror Eriphylè, nupta Amphiarao, qui eidem bello interfuit. Quare si noster fuit filius Mecistei, simul nepos cum avo Talao et duobus avunculis majoribus, Areio et Leodoco, interfuisset huic expeditioni; et post Trojana tempora vixisse hunc adhuc *Euryalum*, patet ex Pausan. II, 18, si conferatur cum cap. 30: nam ille tutor Cyanippi fuit, qui a Biante, Amythaonis filio, quinque ætates distabat. Alium *Euryalum* Neptuni et Evippes filium memorat Parthenius, Erotic. 3, sed et ille tempore posterior. Apollodorus etiam libro III, cap. 7, § 2, inter Epigonos recenset *Eurypylum*, Mecestei filium, ubi certe *Euryalum* legere præstat, ut idem inter Epigonos et Trojani belli duces memoratus fuerit; itidem ut Diomedes, cui jungit

eum Pausanias. *Mecisteus* vero occisus a Menalippo dicitur Pausaniæ lib. IX, 18. Ego vero puto Apollodorum in hoc viro errare, aut illum Catalogum malam manum passum. Unicum addendum, hunc Euryalum intelligi in obscuro Ibidis Ovidianæ loco, vers. 287, credidisse Palmerium, Exercit. ad Script. Græcos, pag. 373, de quo vide notas ad illum locum. *Euryalus* inter procos Hippodamiæ etiam refertur a Schol. Pind. Olymp. I, 126, et Pausan. lib. VI, 21, sed qui ejus patriam et parentes se ignorare addit. An ille lateat apud Etymol. magni scriptorem in Εὐρυάδης, qui dicitur εἷς τῶν μνηστήρων, an legendum Εὐρύαλος, non audeo definire, nec etiam an ex eo Pausanias et Scholiastes sint corrigendi: videant eruditi.

EURYDAMAS Hygino filius *Iri* et *Demonassæ*: frater ergo fuit Eurytionis, de quo mox agemus. Addit Hyginus alios, filium *Ctimeni* facere, qui juxta locum Xynium Dolopeidem urbem inhabitabat; quæ ex Apollonii lib. I, 68, ad verbum fere versa sunt; ubi et Scholiastes notat *Ctimenen* urbem Thessaliæ, et *Dolopeida* vocari Thessaliam. Orpheus dicit vs. 164 venisse a lacu Bœbeide, juxta Peneum et Melibœam; unde eumdem locum duplici nomine appellatum fuisse docuimus ad Val. Flacc. I, 449. Nihil præterea de hoc *Eurydamante* reperi, quem Valerius noster omisit, ut et Apollodorus, qui lib. II, c. 1, § 5, memorat *Eurydamanta* quemdam, cui contigit Pharte, filia Danai. Alius *Eurydamas* inter procos Penelopæ Hom. Odyss. XVIII, 296, et alibi memoratur; vide cl. Drakenb. ad Sil. II, 178. Alius somniorum interpres, cujus filios Abantem et Polyidem interfecit Diomedes, Il. V, 148. Tryphiodorus inter heroas, qui in equo Trojano conditi fuerunt, memorat *Eurydamanta*, Peliæ filium, vs. 177; quem inter posteros Peliæ non reperio, nisi alius Pelias, quam Crethei filius fuerit. *Eurymas* quidam a Polluce interfectus, quia erat calumniator, διάβολος, refertur ab Hesychio; ubi forte *Eurydamas*

præstaret legere, quod nomen notius. Olenium fuisse dicit idem auctor.

EURYTION sæpe cum *Euryto* confusus, memoratur Apollonio, Hygino et Valerio Flacco, I, 378; Hygino [nec non Anton. Liber. cap. 38, aliis vero *Actoris* est filius; vide *Verheyk* ad loc. Anton. Liberalis mem. Harl.] est *Iri* et *Demonassæ* filius, itaque frater Eurydamantis. *Irus* vero frater Menœtii, et filius Actoris, Schol. Apoll. I, 71; ergo Patrocli patruelis. Hunc a Peleo (quem antea expiaverat, et cui filiam Antigonen dederat, teste Apollodor. lib. III, cap. 12) in venatione apri Calydonii interemptum dicit Apollodor. ibid. et lib. I, cap. 9, § 2, quod modo videbimus de *Euryto* dici ab aliis; sed et Tzetz. ad Lycoph. 175, *Eurytionem*, Iri filium, occisum a Peleo, sed in alio venatu, et *Irum* fratrem Polymelidis, prioris Pelei uxoris, fuisse ait; quod reperire se potuisse negat Munker. ad Ovid. Met. XI, argum. fab. 8. Sed si legisset totum locum Tzetzis, vidisset illum, quum ante dixisset, Pelea purgatum ab Euryto, deinde in fine notæ addere, eum *Eurytiona* Argonautam in venatu occidisse; quod etiam Aristides, Orat. II, Platon. tom. III, pag. 206, probat; idem narrat Anton. Liberal. cap. 38 (1). Ovidius, Met. VIII, 311, *Eurytionem* etiam inter Meleagri socios in venatu memorat; sed quia

(1) Ad quem locum vide longam notam *Verheyk*, pag. 255, 256, qui vero inter alia: « *Eurytionas*, ait, plures invenio, plures et jam *Eurytos*, eoque, quamquam diversos, sæpe inter se confundi, mihi persuasissimum est; sed de hoc Eurytione cum cl. Burmanno dicere non auderem, alium esse, cui proprie *Euryti* nomen esset. Nam idem nomen est a diversis diverse, quin et ab iisdem varie scriptum; uti enim *Icarus*, *Icarius* et *Icarion*; *Iasus*, *Iasius* et *Iasion*; *Glaucus* et *Glaucon*; vide Hemsterh. ad Aristoph. Plut. p. 207; sic *Eurytus* et *Eurytion*. Apollod. I, cap. 8, § 2, vocat eum Εὐρυτίωνα Ἄκτορος ἐκ Φθίας. Sed lib. III, cap. 12, § 1, ubi eadem habet, legit Coll. *D'Orville* pro Εὐρυτίωνα Ἄκτορος, Εὔρυτον τὸν Ἄκτορος, uti et MSS apud Gallum, qui ideirco *Eurytum* et *Eurytiona* quoque unum eumdemque judicat, etc. » Harles.

Echioni adjungit, posset videri pro *Euryto* posuisse. *Eurytionis* etiam meminit Anonymus de XII Laboribus Herculis ab Allatio editus, cap. 5, qui liberavit Mnesimachen, Oleni filiam, quum ab Augiæ stabulo purgato ad Eurysthea rediret. Confusionem vero *Euryti* et *Eurytionis* inde provenisse puto, quia Græci patronymica non tantum in ιδης, sed et ιων formabant, ut vidimus in *Actorione:* et ita *Eurytus* habuerit filium *Eurytum*, ut Maserium, sed nescio unde, affirmare vidimus; et *Eurytion* esset *Eurytides*, id est, Euryti filius. Certe apud Virgil. Æneid. X, 499, omnes editi fere habent:

Quæ Clonus Eurytion multo cælaverat auro.

Sed Pierius jussit rescribi *Eurydites*, quod unum idemque notat. Alius *Eurytion* Centaurus, qui Pirithoo sponsam eripuit, est apud Pausan. lib. V, 10, et VII, 18, quem dubito fuisse illum, mox et Antonino Liberali productum, quia ibi cum rege Oleni memoratur. Hygin. fab. 32, dicit Ixionis et nubis filium fuisse; ejus et Hom. Odyss. XXI, 295, meminit; ubi Scholiastes videndus.

EURYTUS, nulli prætermissus, sed varie tamen scriptus: Valer. Flac. I, 439; Hygino et Apollodoro *Eurycus;* sed Orpheo, 153; Apollonio, I, 52; Pindaro, Pyth. IV, 319, *Erytus*. Eumdem tamen esse patet, quia frater geminus Echionis, filius *Mercurii* et *Antianiræ* dicitur Hygino, fab. 19 et 140, et Pindaro et aliis; sed proprie Εὔρυτος ab εὐρὺς, ut Etymolog. magni auctor in Αἴπυτος, Ἔρυτος poetica licentia. Hic in ludis funebribus Peliæ sagitta vicit, teste Hygin. fab. 273. Diversus vero ille est ab *Euryto*, Œchaliæ rege (filio Stratonices, secundum Hesiodum, cujus fragmentum apud Schol. Sophoclis in Trach. 268 legitur, quod Æschyli Schol. perperam credo tribui ab Hesiodi editoribus), patre *Iphyti* et *Clyti* Argonautarum, ut ab Hygino et Apollon. I, 88 dicitur. Hic magister Herculis, sagittas ut mitteret, dicitur

fuisse a Theocrito, Idyll. XXII, 105; quem locum respicit Eustathius ad Homer. Il. II, 595; cujus filiam Iolen, occiso patre et filiis, captivam abduxit Hercules; vid. Apollod. lib. II, cap. 7; Schol. Sophocl. Trachin. 268 et 355; Pausan. II, cap. 15; Diodor. lib. IV, p. 165 et 169 (1). Præterea Athen. lib. IX, 2, dicit, *Eurytum* et filium sublatos ab Hercule, quia ab Eubœensibus tributa exigebant. De hoc *Euryto* est epigramma sextum Callimachi, ubi nescio quid venerit in mentem Annæ Fabri filiæ, quæ *Euryton* urbem eamdem, quæ OEchalia dicitur, explicat, quum sit viri nomen, patris Ioles; sed Homerus l. l. Euryti urbem OEchaliam vocat; vide ibi Eustathium. Sed fatale est Gallis (2) hominum nomina in urbes transformare. Homerus vero dicit ibi, Thamyrin venire ex OEchalia ab Euryto; quo respicere puto Lucianum in Piscatore, p. 202, ed. Bourd. ubi Thamyrin jungit *Euryto*, et illum innuit Musas canendi arte, hunc Apollinem jaculandi provocare ausos; idem vero est ille *Eurytus* Dryopis pater Ovidio, Met. IX, 356: illa enim soror *Ioles* fuit. Alius etiam *Eurytus*, Actoris filius, frater Cteati fuit, qui Molionides dictus, de quo vide supra in *Actorides* et ad Ovid. Met. lib. VIII, 303; filius ejus *Thalpius*, qui inter procos Helenæ refertur ab Apollod. III, cap. 9, § 8. Hic *Eurytus* Pelea a cæde Phoci lustravit, ut narrat Tzetz. ad Lycoph. vers. 175; et deinde quum interesset venationi apri Calydonii (ut vidimus ex Ovidio, quamvis Hygin. fab. 173, non *Eurytum*, sed *Hippasum* Euryti filium recenseat), ibi a Peleo imprudente et invito occisus fuit; vid. Schol. Aristoph. in Nubib. vs. 1059; quod alii *Eurytioni* adscribunt. *Eurytus* etiam Melanei filius memoratur a Pausan. lib. IV, cap. 33, a quo Melaneo Eretriam, urbem Eubœæ, Melaneida appellari ait Stephanus in Ἐρετρία. Hunc puto sæpe con-

(1) Ad quem locum vide Wesseling. pag. 282. Harl.

(2) Non fatalius Gallis quam cæteris; errare enim humanum est; ac si nos aliorum peccata reprehendere voluerimus, non seges animadversionum ampla deficiat. Ed.

fusum cum *Euryto*, Œchaliæ rege, si non idem sit: nam quum plures Œchaliæ fuerint, incertum de qua intelligenda Œchalia Euryti; vid. Eustath. ad Hom. l. l. *Eurytus* vero ille Melanei filius fuit in Messeniaca regione cultus; vid. Pausan. II, 3, qui et Epaminondam, novam urbem conditurum, præcipue heroa *Eurytum* invocasse dicit, cap. 26, et ejus ossa servari in loco, qui olim Œchalia, postea lucus Carnasius dicebatur, cap. 33. *Melaneus* vero præstantissimus artis sagittandi, ut Apollinis filius diceretur; Paus. IV, 2. Maserius ad Val. Fl. I, 439, incertus est, quem statuat *Eurytum*, an patrem Ioles (quem Euryti alterius filium nescio unde facit), an *Melanei* (quem *Meneleum* vocat) filium, tamen *Eurytum*, *Echiona* et *Æthalidem* Mercurii filios, et inter se fratres; sed *Æthalidæ* alia fuit mater, ut vidimus. Denique *Eurytum*, regem Cyrenarum, a Phylarcho vocari, quem alii *Eurypylum* vocaverunt, docet nos Schol. Apollon. IV, 1561.

GLAUCUS. Hic, cujus parentes varie traduntur, deus marinus factus, a nemine, quod sciam, Argonautis accensetur, nisi a Poside, quem laudat Athenæus, lib. VII, c. 12, qui Argo navis fabrum et gubernatorem fuisse, ait, et in pugna navali cum Tyrrhenis nullo vulnere sauciatum, sed in imo maris apparuisse, et deum factum. Apollon. lib. I, vs. 1310, post Herculem relictum, apparuisse *Glaucum* e fundo maris fingit, qui Herculis et Polyphemi fatum non esse, ut in Colchida pernavigarent, doceret eos. Reliqua de hoc et aliis *Glaucis* hic præterimus, nisi si quis de *Glauco*, Sisyphi filio, cogitare velit, qui filius Æoli fuit; et ita *Glaucus*, proximo genere Jasoni conjunctus, potuit socius itineris fuisse.

HERCULES, Thebanus, Jovis et Alcmenæ filius, de quo verba perdere non licet, quia nulli non dictus, sed notissimus est. Argonautis se associasse omnes scribunt; immo

Ptolem. Hephæstion, lib. II, tradit, Herculem ædificasse navem, quæ *Argo* a Jasonis filio Argo, quem amabat Hercules, dicta fuit, et propter quem cum Jasone navigarit; quæ non congruunt reliquis, qui Jasonem in prima juventa, antequam uxorem duxisset, a Pelia extrusum omnes uno ore tradunt. Huic voluisse omnes Argonautas summam imperii tradere, sed ipsum Junonis consilii conscium, pronuntiasse Jasonem ducem, tradit Hyginus, et Orpheus, vers. 293, ubi Aristotelem, Polit. lib. III, 13, contrarium tradere notavit Escchenb. et noluisse parere Jasoni, itaque deseruisse Argonautas. Anton. Liber. c. 26(1), creatum etiam ducem affirmat; ut et Diodor. Siculus, lib. IV, p. 171; ut Jason demum post Herculem relictum summæ rei præfuerit. Scholiast. Pindar. Pyth. IV, 305, relictum ab Argonautis, quum aquatum exiisset, Noster et alii, dum Hylam quæreret, tradunt. Varias sententias recenset Schol. Apollon. ad lib. I, 1290, inter quos Hesiodi etiam refertur, scilicet jam relictum fuisse in Magnesia, in loco, qui ἀπὸ τῆς ἀφέσεως dictus est Ἀφέτας· cui et consentit Stephan. in Ἀφέται, quod vix verisimile videtur Berckelio, nec mihi. Alii in Colchos pervenisse, et vicissim omnes Argonautas ipsi adfuisse in bello contra Laomedonta scribunt. [Adde Schol. ad Apoll. lib. I, vers. 1207 et 1236, et Diodor. Sicul. lib. IV, c. 36, p. 281. Harl.] Vide Schol. Pindar. Nem. Od. III, vs. 64. Reliqua de ejus laboribus obvia, et an illi hac expeditione priores fuerint, vidimus ad Val. Flac. I, 34. Reliqua de Hercule prætermus, ne tædio simus delicatis, quibus jam has Mythicas nugas fastidium creare credimus.

HIPPALCIMUS, *Pelopis* et *Hippodamiæ*, OEnomai filiæ, filius, ex Peloponeso, Pisis venisse auctor est Hygin. c. 14. Apollodorus vero, lib. I, cap. 9, § 16, Peneleum filium *Hip-*

(1) Qui etiam Herculem, dum Hylam quæreret, ab Argonautis esse relictum, copiose tradit: ad quem locum Munker. et *Verheyk* de Hyla agunt. Harl.

palmi inter Argonautas recenset, quem filium hujus *Hippalcimi* fuisse credo, et nomen vel varie positum, vel a scribis corruptum per compendium scripturæ puto. Schol. Euripidis ad Orest. vs. 5, ubi stemma Pelopis habet, inter ejus filios etiam habet *Hippalmum*, quem descripsit fere ad verbum Apostol. cent. XVIII, adag. 7 (male Munkerus eo numero citat Zenobium, cujus tantum sex Centurias edidit Schottus). *Hypalcum* vocat idem Hygin. cap. 84 et 97. *Hippalcmum* Schol. Pindari ad Olymp. I, 144; sed Munkerus omnibus præfert *Hippalcimum:* nec mihi displicet; nam et hoc nomen Diodorus habet lib. IV, pag. 188, ex quo aliud forte stemma hujus Argonautæ confici posset, ut non fuerit Pelopis filius, sed Itoni, et ille Bœoti, hic Arnes, quæ filia Æoli secundi, ille Hippotis, qui Mimantis, et hic denique Æoli primi, ex quo etiam Jason et plurimi Argonautæ. Ut fuerit ergo conjunctus sanguine Jasoni et Cretheo, qui filius Æoli. Descendere quidem longius infra tempora hæc videtur stemma illud, sed et similia habuimus in aliis : vide in *Ancæo*.

HYLAS. *Cui non dictus Hylas puer?* vulgari dicto ex Virgil. Georg. III, 6, celebratur, Theocrito, Virgilio, Apollonio, Valer. Flacco, Propertio, Statio, et multis aliis memoratus; vide Barth. ad Stat. Theb. V, 443. Pater ejus Hygino dicitur *Theodamas*, et mater *Menodice* Nympha, Orionis filia. De patre consentiunt etiam alii; et inde *Theodamanteus* dicitur Propertio, lib. I, eleg. 20, 6. Scholiastes Apollon. I, 231, Theodamantis, filii Dryopis, filium facit. Hellanicum tamen *Theomenitem*, Theodamantis filium, patrem facere notat; ubi tamen Hoelz. legit, Θειομένητα ἀντὶ Θειοδάμαντος καλεῖ. Idem Schol. ad vs. 1207, Θειομένους ex Hellanico profert, ubi etiam varias sententias affert. Antoninus Liberal. cap. 26, *Ceycis* filium facit. De quo certius aliquid constaret, si superesset Hesiodi liber de Κήυκος γάμῳ, quem laudat Scholiast. Apollon. ad lib. I, 1290; et ita fuisset san-

guine conjunctus Herculi Hylas; nam Ceyx filius fratris Amphitryonis, teste Schol. Sophocl. Trach. vs. 39. Alios *Hylam* cum *Hyllo* confudisse, ex eodem Apollonii Scholiaste patet; unde fortasse illa opinio de Ceyce venit: nam *Hyllum* apud Ceycem regem Trachinis consedisse scribit Diodor. lib. IV, pag. 169, et Pausan. lib. I, 33. Mater ejus *Menodice* ab Hygino dicitur, ubi Munckerus mavult *Mecionicen*, Orionis filiam vocari ex Tzetz. Chiliad. II, 43; quam vidimus a quibusdam haberi matrem *Euphemi*. Sed hoc in medio relinquimus. Orpheus, v. 224, dicit, Hylam venisse ad navem Argo, cum illo *Anchisteo*, sive *Acasto* (de quo vide in *Anchisteo*) ex Pheris, in quo etiam hæremus, quia alii omnes ex Dryopibus circa Œtam venisse scribunt.

IDAS, nulli omissus, Messenius, Apharei et Arenæ, Œbali filiæ, filius, frater *Lyncei* Hygino, fab. 15, ubi Munckerus de ejus avo *OEbalo* (nam vitiose *Bubalus* legebatur) videndus. Et hic ex posteris Æoli; Aphareus enim Perieris filius, nepos Æoli; Apollodor. lib. I, cap. 9, § 5, ubi Tyndarea etiam filium facit Perieris, ut ita Castor et Pollux fuerint patrueles Idæ et Lyncei; et hinc Schol. Apollon. I, 151, dicit illos cum Dioscuris simul adolevisse. Alii hunc Perieren, patrem Apharei, filium faciunt Cynortæ, ut Apollod. III, cap. 10, § 3. Et Pausanias, lib. III, cap. 1, Cynortam facit Œbali patrem, hunc vero duxisse Gorgophonen, Persei filiam, et inde natum Tyndarea, ita ut Gorgophone bis nupta fuerit, prius Perieri, unde Aphareus, deinde Œbalo, unde Tyndareus, ut fuerit frater Apharei ὁμομήτριος, et lib. IV, 2, Perieri dat ex Gorgophone duos filios, Apharea et Leucippum. Apharea vero condidisse Arenen urbem, dictam a filia Œbali uxore sua; Apharei autem filios Idam et Lyncea memorat. Scholiastes Homeri, Iliad. I, 557, dicit, *Idam* vulgo haberi Apharei filium, sed revera fuisse Neptuni; quod et affirmat Apollod. l. l. lib. III. De matre etiam *Arene* non omnes consentiunt; Scholiast. enim Apoll.

l. l. Theocritum ipsi dare matrem *Laocoossam*, Pisandrum vero *Polydoram*; in qua nescio, an non quædam sit mulierum confusio; nam Pelea ex Antigone, Eurytionis filia, genuisse *Polydoram* narrat Apollon. lib. III, cap. 12, § 1, quæ nupta fuit *Boro*, Perieris filio, quem *Borum* postea, § 4, dicit esse Sperchium fluvium, et ex illo matrimonio natum *Menesthium*; qui *Borus* ab aliis Mythographis inter filios Perieris non numeratur, ut forte ejus uxor fratri Aphareo fuerit a quibusdam data, qui legerant *Polydoram* nuptam filio Perieris. Eustath. ad Iliad. II, vs. 681, *Polydoram* hanc ex *Polymela*, filia Actoris, natam, et Achillis sororem facit; sed alii aliter; vide Schol. Apollon. I, 558; *Polydoram* Protesilai uxorem, unde nata uxor Meleagri, dicit Pausan. IV, 2, de qua uxore Meleagri mox dicemus. Aliam opinionem de matre *Idæ* et *Lyncei* habet Tzetz. ad Lycophr. 511, qui alios *Arnen*, filiam Æoli, ejus matrem facere dicit; de qua *Arne* in Jasone agemus. Idas vero *acer* et *ferox* Hygino dicitur fuisse, et hac nota ab omnibus Argonautarum scriptoribus demonstratur; vide Val. Fl. VII, 574. Ore procacem et deorum contemptorem, Apollonium eum inducere notat Barth. ad Stat. V, 505, et hinc in pugna illa cum Castore et Polluce, quam alii de sororibus Phœbe et Ilaira raptis, alii de præda male divisa, ortam narrant, ferociam ostendit, et Castora interfecit, ut Pollux Lyncea; quam cædem quum ulcisceretur *Idas*, lapide Pollucem percussit, sed Jupiter *Idam* fulmine percussit; vid. Apollodor. III, cap. 10, § 2; Pindar. Nem. Od. X, 115; Theocrit. in Dioscuris; Tzetz. ad Lycophr. 511; Ovid. Fast. V, 699 et seq. et alios plurimos. *Idas*, qui bello Thebano interfuisse a Statio narratur, non noster quidem esse videtur, sed ad ejus ferociam formatus a Poeta; vid. Theb. VI, 553; unde *horridus*, vs. 603; *improbus*, vs. 644. Nam Thebanus erat, et quem Lydeus prosternit lib. VIII, 466, ubi *Onchestium* vocat, fortasse etiam Neptuno, ut noster *Idas*, ortum indicans: Onchestus enim Neptuno sacra, ut notat ibi Barth. et

Schol. Apollon. III, 1240; Schol. Pind. Isth. I, 45; unde *Onchesti plebes Neptunia*, Stat. VII, 271. Eadem forte etiam ratione alterum *Idam* Statius ex diversa parte inducit, lib. VII, 588, quem *Tænarium* vocat; quum et Tænarus Neptuno sacra, ut Schol. Apollon. III, 1239. Hic *Idas* etiam Marpessam rapuit, et ex ea genuit *Cleopatram* Meleagri uxorem; Pausan. IV, 2. De quo raptu vide Plutarch. de Flum. in Lycorma, et Schol. Hom. Il. I, v. 553. Hæc Cleopatra etiam *Alcyone* dicta fuit Hygino fab. 174, ubi vide Munker. Maserius, quum ad Val. Flacc. I, 461, recte hæc tradidisset, ad lib. III, 544, dicit ex Alcyone Idam genuisse *Atalantam*, Meleagri uxorem.

IDMON, omnibus memoratus, sed soli Apollodoro in Catalogo Argonautarum, quem tamen malam manum passum fuisse credo, quia in sequentibus, lib. I, cap. 9, § 23, Idmona vatem ab apro percussum in Maryandinis narrat. Filius Apollinis et Cyrenes vulgo habebatur; sed Pherecydes Apolline et Asteria, Coroni filia, genitum scripsit apud Scholiast. Apollon. I, 139, ubi et laudatur Chamalion antiquus scriptor, qui *Idmona*, non nomen proprium Argonautæ fuisse contendit, sed epitheton *Thestoris*. Maserius quoque ad lib. V princ. notat Codrum Urceum credidisse *Idmona* esse *Mopsum*, quæ suspicio etiam nata fuerat Cælio Rhodigino, Lect. Antiq. XXIX, cap. 15, sed mox repudiata; nam omnes Poetæ et Mythologi Idmona diversum faciunt, et vatem sive augurem fuisse tradunt, ut eum inter veteres vates recenset Clemens Alexandr. Strom. I, pag. 334; vide Valer. Flacc. I, 228, ubi *Phœbeius* dicitur, et *Mopso*, qui immanior et horrore deoque plenior, quietior *Idmon* opponitur. Fuere et qui Abantis filium, et Argivum fecerunt, teste Hygino, inter quos Orpheus, vs. 185, qui nothum dicit Abantis filium, quem Antianira genuit Apollini. Idem fere tradit Apollonius, unde Scholiastes ejus cognationem cum Æolidis et Crethidis deducit; Abas enim Melampodis,

ille Amythaonis, hic vero Crethei filius. Aruspicis etiam munus obiisse ex Valer. III, 438, conjicit Maserius. *Argolicum* vocat eum, idem lib. V, 2. Etsi vero ex augurii et futuri scientia noverat se in hac expeditione periturum, non detrectavit tamen militiam, sed se Jasoni adjunxit. De ejus morte diversa quoque tradidere Veteres, quorum opiniones recenset Maserius et Weitzius ad l. l. lib. V, princ. Apollodorus ab apro in Maryandinis occisum narrat, cui et concinit Apollon. II, 817, et Hygin. fab. 15, et Ovid. in Ibi, vers. 504, ubi vide Salvagnium; noster vero Poeta fatis et morbis lapsum dicit. Ammian. Marcell. XXII, 8, eum prope Tibarenos humatum esse narrat; vide Senecæ Medeam, vers. 652, et ibi Gronovium. Ab hoc *Idmone* diversus Epidaurius ille, medicinæ peritia in aula Adrasti celebratus a Stat. Theb. III, 389, et alius *Idmon* pater Arachnes Ovidio, Met. VI, 8, memoratus, qui Colophonius fuit.

IOLAUS, Iphicli, fratris Herculis, filius, soli Hygino adnumeratus Argonautis. Hic ab Ovidio inter venatores apri Calydonii memoratur Met. lib. VIII, 310. Ab Apollodoro ejus pater *Iphiclus*. Adfuit et Iolaus Herculi patruo contra hydram; vide Scholiast. Nicandri ad Ther. 688, ejusque currum rexisse in illo certamine narrat Anonym. de XII Laboribus Herculis ab Allatio editus, cap. 2; et ejus precibus juventuti restitutum fuisse, canit Ovid. Met. IX, 429. Alii eum mortuum dicunt, sed quum Eurystheus Heraclidas ab Atheniensibus deposceret, et bellum denuntiaret, revixisse, et Eurysthea occidisse narrant; vide Schol. Pindari, Pyth. IX, 137, ubi addit, alios hoc de reddita seni juventute interpretari; ejus vero tumulus honorarius erat prope Thebas ad Amphitryonis monumentum, ubi *Iolæa* sacra celebrantur; vide eumdem Scholiast. ad Ol. IX, 149, et Nem. IV, 21 et 32. Τέμενος Ἰολάου prope Thebanam urbem memorat Arrianus, de Exped. Alex. lib. I, 7, ubi interpretes inter se contendunt, an lucum, an fanum Iolai intelligi

oporteat. In Sicilia quoque Iolao templum et sacra instituisse Herculem, narrat Diodor. Sicul. lib. IV, pag. 161, et ut deum in Sicilia et Sardinia cultum refert pag. 164. *Iolaum* hunc cum *Protesilao* confundi videbimus in *Iphiclo* altero.

IPHICLUS, filius Thestii, Apollodoro, lib. I, 9, § 16; Hygino, cap. 14; Apollonio, I, 201, et Orpheo, vers. 158, memoratus; nec Valerio nostro omissus, lib. I, 370, quamvis ibi quidam *Iphitum* legant, sed perperam, quum quia hic Iphiclus Thestii filius a nullo præteritus, neque a Flacco debebat negligi, tum quia, ut recte Maserius notat, media syllaba in *Iphitus* corripienda sit, quum in *Iphiclus* sit anceps. Orpheo frater, σύγγονος, Althææ dicitur, quæ et Thestii filia fuit (Schol. Apollon. I, vs. 146, ubi *Thespius* male pro *Thestius* legitur vulgo). Mater vero Althææ ibi *Laophonte* dicitur; sed ad v. 201 Scholiastes dicit Iphiclum et Althæam fuisse ex Deidamia Perieris filia; Apollodorus vero, lib. I, cap. 7, § 10, dicit Thestium ex Eurythmide, Cleoboeæ filia, sustulisse Althæam, Hypermnęstram, Iphiclum et alios; vide supra in *Amphiarao*. Hyginus vero matrem *Leucippen*, tam Althææ, quam Iphicli facit; quæ fortasse illa *Leucippe* fuit, quæ ab Ælian. Var. Hist. III, 42, inter Minyadas numeratur, et ab Ovidio *Leuconoe* dicitur; unde cognatio ejus cum Jasone posset deduci, et simul ratio reddi, cur frater ejus *Clymenus* vocetur, quod nomen, ut et *Clymene*, in Minyarum familia usitatum fuit; vide supra in *Clymeno*.

IPHICLUS alter, filius Phylaci, pater Protesilai et Podarcis (Apollod. lib. I, cap. 9, § 12), quamvis eum omittat in Catalogo Argonautarum; quod fraudi fuit viro docto Escchenbachio ad Orphei vs. 137, qui cum *Iphiclo* Thestii filio confundere videtur; reliqui omnes Argonautis adnumerant; et hic cognatione proximus fuit Jasoni, et ex Æolidis; mater enim ejus *Periclymene*, Minyæ filia, quæ et *Clymene*, soror Alcimedes, Jasonis genitricis; vide Schol.

Apollon. I, 45 et 239, et infra in *Jasone*. Avunculum Jasonis vocat Hyginus, quia Alcimeden matrem Jasonis, ejus sororem, et filiam Phylaci faciunt aliqui; vide Heins. ad Ovid. Epist. XIII, 35. Per patrem etiam ex Æolidis ducebat genus: *Phylacus* enim filius erat Iphicli, hujus pater Phylacus, illius Deion vel Deioneus, Æoli filius; vide Eustath. ad Homer. Iliad. II, 697; Apollod. lib. I, cap. 9, § 4. Phylacus vero primus, filius Deionis, condidit urbem Phylacem, teste Eustathio et Stephano in Φυλάκη· unde *Phylacidem* dictum Protesilaum a Propertio, I, 19, 7 quidam putant; quum non ab oppido, sed ab avo Phylaco II, patre Iphicli, ita denominetur: nam ab oppido gentili Φυλακήϊος, vel per periphrasin ἐκ Φυλάκης, dici docet Stephanus; quamvis et Φυλάκιος, de Protesilai, Iphicli filii, patria apud Lucian. in Dial. Mort. p. 145, edit. Bourdel. occurrat. Iphicli uxor *Diomedea* dicitur ab Hygino, fab. 103; sed ibi agitur de *Iphiclo*, Herculis fratre, de quo in *Iolao* vidimus, quem Hyginus dicit esse dictum *Protesilaum*, quum proprio nomine *Iolaus* dicatur; vide Munckeri notas. Eustathius *Astyochen* vocat uxorem Iphicli, quæ diversa videtur ab *Astyoche*, Actoris filia, de qua vidimus in *Almelo*. Hic vero tanta pedum levitate et pernicitate cursus fuisse dicitur, ut supra spicas triticeas posset currere, nec eas tamen læderet, vel, ut Demaratus aiebat, ut posset per summas undas labi; unde in proverbium abiit *Iphicli celeritas;* vide Scholiast. Apollon. l. l. et Tzetz. Chil. I, 42, et Eustath. ad Homer. Iliad. XIX, 227, et Etymol. magni auctorem in Ἴφικλος; quæ poetis hyperbolæ usitatissimæ de quocumque, sive homine, sive animali pernici, ut multis Eschenbach. ad Orph. vs. 137, et alii ostenderunt. Qua tamen dote in hac expeditione nautica non commendari potuisse videtur, quia jam senior erat, et immunis omnium operum, sed ut monitor, qui juvenes ad virtutem stimularet, adscitus; vide Val. Fl. I, 474. Quare mirari aliquis, cui poetarum in historia mythica temporum confusiones ignotæ sunt, posset,

Ovidium eum adhuc Trojano bello superfuisse tradere cum *Laodamia*, quæ in Epist. XIII, vs. 25, soceri sui Iphicli, ut viventis et sibi officium præstantis meminerit; nisi quis confusos *Iphiclos*, et eorum munera putet: nam Orpheus, vs. 158, alterum *Iphiclum*, Thestii filium, esse missum in hanc expeditionem, ut doceret Meleagrum Althææ filium, cujus avunculus erat, præclara opera, ut ita tamquam ejus rector esset; quem *Iphiclum* Valerius remo admovet lib. I, 370, cujus vacationem habebat alter *Iphiclus*. Ad hunc *Iphiclum* referendum est fragmentum Hesiodi apud Athen. lib. XI, cap. 14, ubi et *Phylaci* ejus patris mentio fit. Quis vero *Iphiclus* fuerit, cujus historiam narrat idem Athenæus, lib. VIII, cap. 16, nescire me fateor; neque etiam an Parthenius in *Iphiclo*, cujus operis meminit Stephanus in Ἀραιρείᾳ, nostri herois res gestas descripserit, definire audeo.

IPHIDAMAS. Ita vitiose nominatur in Orphei editione, quum dicendus sit *Amphidamas*; ubi vide.

IPHITUS, Nauboli filius, Phocensis, omnibus memoratus; nisi quod apud Apollodorum vitio operarum Ιφιτος dicatur. *Naubolus* autem ab Apollonio, I, 207, *Ornitides* vocatur, ut distinguatur a *Naubolo*, Lerni filio, memorato ab eodem poeta, I, 135; vide infra in *Nauplio*. Hoeltzlinus Naubolum alio nomine *Hæmona* dici, et *Ornytum*, qui et *Ornytus* et *Ornytion*, esse; quia a Pausania, lib. II, Iphitus Hæmonis, Hæmon Thoantis, Thoas Ornytionis filii dicuntur; et ex Ornytione etiam natus Phocus, unde Phocenses; sed hæc admodum obscura. Pausanias, lib. X, cap. 33, Naubolenses dictos Phocenses olim tradit, et Homer. Iliad. II, 517, Schedium et Epistrophum, filios Iphiti Naubolidæ, facit duces Phocensium; ubi Scholiastes *Naubolum* facit filium Iphiti, ut et Scholiastes Barthii ad Stat. Theb. VII, 354 (ipse vero *Naubolus* a Statio dicitur *Hippasides*), ut et

Hyginus notat, quosdam credidisse, *Iphitum Hippasi* filium fuisse, et ex Peloponneso venisse. Ita esset frater *Actoris*, de quo vide supra; quæ omnia inter se conciliare non est opis nostræ. Filia Iphiti *Eurynome* dicitur, ex qua *Adrastus;* vide infra in *Talao*. Alius est *Iphitus* Euryti, Œchaliæ regis, filius, frater Ioles, apud Apollod. lib. II, cap. 6, § 1, quem Argonauticis etiam adnumerat Hyginus et Apollonius, lib. I, 86; vide in *Clytio* et *Euryto*, ubi pluribus de illis egimus. Hunc *Iphitum* ab Hercule e turre præcipitatum narrat Diodorus Siculus, lib. IV, pag. 165; quem tamen effugisse in Eubœam Scholiastes Sophoclis ad Trach. 355 affirmat. Arcum *Iphiti*, quem Hercules ipsi abstulit, et quo postea in furore abusus est, celebrat Anacreon versu 421; ubi vide Barnesium.

IPHYS, vel potius *Iphis*, soli Valerio Flacco, lib. I, 441, memoratus, ubi admodum laborat Pius et alii, quia olim *Iphitus* ibi legebatur pro *Iphi tuis*, etc. Alii contendunt, eumdem esse, qui *Tiphys;* quos recte refellit Pius; et absurde Flaccus, quum Tiphys gubernator fuerit, et ad clavum sederit, scriberet, ejus morte remum cessasse. Præterea Tiphys mortuus est in Maryandinis, ut ipse Val. Fl. lib. IV memorat, Iphys vero demum in Colchide, lib. VII, 423; ubi vide Pii et Maserii notas, et ad lib. VI, 638, quæ notavimus, et Balbum ad lib. I, 721; quare ex ipsa Valerii sententia diversi sunt. Alectoris fuisse filium, ex Pausania, Iphyn, qui Sthenelo Capanei fratris sui filio regnum reliquit, notat Maserius ad lib. I, 441; licet alium fuisse addat, se putare; vide infra in *Leito*.

IXITION, ex urbe Cerintho, soli Hygino notus; sed quum locus ille procul dubio sit corruptus, neque id nomen obvium in sæculo illo fabuloso, verisimilis Munckeri conjectura, illo loco *Canthum* fuisse memoratum, qui ad finem capitis *Cerionis* filius dicitur. Quidquid sit, nihil defi-

niam, donec a meliori codice medicina appareat, vel indubitatis argumentis hic *Ixition* probetur fuisse inter Argonautas.

JASON, *Æsonis* filius, dux et princeps expeditionis Argonauticæ, nulli non notus et celebratus; ideoque ejus stemma, quod cum omnibus Cretheidis et Æolidis commune habuit, non deducemus operosius, nec vitam ejus omnem enarrabimus. De matre ejus ingens discordia Veterum. Communiter *Alcimede* Phylaci filia statuitur. Ita Apollon. I, 47; Val. Flacc. I, 295; Hyginus, fab. 3 et 14, et Ovid. Epist. VI, 105. Hujus etiam genus incertum. Hyginus dicit *Alcimeden* filiam esse *Clymeni*, ubi Mezeriacus ad Ovid. Epist. VI initio legendum censet *Clymenes*, quæ mater *Alcimedes* fuit, filia Minyæ; vid. Schol. Apollon. I, 230, et supra in *Admeto*. De *Phylaco* vidimus in *Iphiclo*; nam *Clymene* Phylaci uxor etiam Scholiasti ad vs. 45, ubi addit Herodotum *Polyphemen* vocare matrem Jasonis, quæ erat filia Autolyci, quæ a Tzetze, Chiliad. VII, 96, dicitur *Polymele*, et cujus soror *Alcimede* a quibusdam, mater Jasonis habetur. Ab Apollodoro, lib. I, cap. 9, § 16, *Polymede* Autolyci filia vocatur, ut etiam vocat Tzetzes ad Lycophr. 872, qui ibi etiam alios *Arneii* matrem facere scribit; quod nomen in Æolidarum familia usitatum fuisse docet alia *Arne* ex Æoli genere, quam vidimus ex Diodoro Siculo in *Hippalcimo*. Hanc Arnen ab aliis *Scarphen*, vel, ut legitur in variis lectionibus nuperæ editionis, *Scraphen*, vel *Scaphen*, vocari ait Tzetzes. Ab *Arne* Æoli secundi filia, et matre Bœoti, urbs Thessaliæ *Arne*, teste Stephano, dicta, de quo oraculum, Ἄρνη χηρεύουσα μένει Βοιώτων ἄνδρα, cujus sensus obscurus; sed potest ad filium ejus *Bœotum* forte referri: ut enim *Arne* nomen habuit a patre, qui abundabat ovibus, ita illa ex Neptuno filium pariens, *Bœotum* appellavit a bobus; vid. Eustath. ad Homer. Iliad. II, 507, et ad Dionys. Perieg. vs. 426, et Etymologi magni auctorem in

Ἄρνη et Βοιωτός. Alii tamen *Arnen* urbem deducunt ab *Arne*, nutrice Neptuni; vid. Tzetz. ad Lycophr. 644, et Etymol. magnum in Ἄρνη. Præterea *Andron* matrem Jasonis fecit *Theognetem*, Laodici filiam, teste Scholiaste eodem Apollonii; denique Tzetzes l. l. Chiliadum, alios fuisse addit, qui matrem Jasonis facerent *Rhœo*, Staphyli filiam. Staphylus autem Bacchi filius duas habuit filias, *Hemitheam* et *Rhœo;* vide Parthen. Erotic. cap. 1. *Rhœo* autem dicitur concubuisse Apollini, et ex eo genuisse *Arium*, qui pater fuit *Œnotroparum;* vide Tzetz. ad Lycophr. 570. Sed nusquam legi eam Æsoni conjunctam; immo ipse Staphylus inter Argonautas ab Apollodoro numeratur; ergo avus sub nepotis ductu militasset; vide in *Staphylo.* Hæc jam omnia, tam diversa, inter mythicos hos scriptores componere non est nostrum; sed multa forte nomina fuit mater Jasonis sortita, inter quæ aliqua epithetorum vice potuerunt fungi, ut in aliis heroibus et heroisin usu venire solet. Cæterum Jasona metu Peliæ Chironi nutriendum datum plurimi inter jam adductos tradunt, et Pindarus, Od. Nem. III, 93, et præcipue Pyth. IV, 135, quo hymno Jasonis præcipue laudes canuntur; et ejus pulchritudo et forma versu 153 celebratur. De reliquis ejus factis, quæ Argonauticam expeditionem sequuta sunt, non agemus. Sed unum adhuc notari meretur, in quo temporis ratio non bene observata videtur ab omnibus fere poetis. Staphylus dicitur fuisse Bacchi et Ariadnæ filius; Thoas vero ejus frater ex eadem Ariadna genitus; ita ut Hypsipyle, quæ se *Minoo Thoante* natam gloriatur apud Ovid. Epist. VI, vs. 114, si Jason ex Rhœo, Staphyli filia, fuisset natus, ejus fuisset patruelis. At in hoc illud primum offendit in Staphylo, qui ætate prior Argonautica expeditione, ipse sub nepote suo militare non potuit. At alterum majus, quod Theseus ipse inter Argonautas non tantum numeretur, a quo Ariadnam in Naxo desertam Bacchus demum duxit, et hanc prolem suscepit, sed plura gessisse dicitur, quæ in unam hominis

ætatem conferre durum est: nam plurima demum post Argonauticam expeditionem acciderunt. Herculi enim jam provecta ætate adhæsit Theseus juvenis, et in Amazonia expeditione socius fuit; interfuit huic expeditioni, venatui apri Calydonii, et rapuit Helenam, quæ circa Trojanum bellum maxime floruit; quæ omnia si Theseus tot temporum intervallis distincta egit, sæcula duo vel tria vixisse debuit. Certe Jason Hypsipylen neptem Ariadnes nec videre, nec Lemni cognoscere potuit, licet noster Poeta huic difficultati occurrisse videri possit, per ea, quæ de Ariadna memorat lib. VII, 279, ubi Jasonem Ariadnæ mentionem facientem inducit.

LAERTES, Arcesii filius, pater Ulyxis, a solo Apollodoro inter Argonautas refertur, reliquis omnibus ignoratur. Tempora satis conveniunt, et cognatio cum Jasone et Æolidis potuit eum huic militiæ sociare. *Arcesius* enim filius Celei, ille Cephali, hic vero frater Phylaci, et filius Deionei, qui Æoli filius fuit; licet in hoc stemmate quædam aliter ordinentur, et ipse Ulyxes apud Ovidium, Met. XIII, Arcesii patrem Jovem fuisse glorietur: quæ omnia egregie illustravit Mezeriacus ad Ovid. Epist. I, cujus scrinia compilare non libet. Addit idem Mezeriacus, credidisse multos, Ulyxem ex furtivo cum matre ejus coitu ex Sisypho natum, quod ipsi objicit Ajax, et ita propius Æolum, cujus Sisyphus filius fuit, contingeret.

LAOCOON, Parthaonis filius, Œnei frater, Calydonius, et patruus Meleagri, in cujus nomine de stemmate horum agemus. Memoratur hic inter Argonautas ab Hygino et Apollonio Rhodio, lib. I, 192, qui addit, illum ex alia matre natum, et quidem ancilla: quare Œneus eum filio suo Meleagro addit κοσμήτορα, rectorem. Et hæc forte ratio, cur ab Apollodoro, lib. I, cap. 7, § 11, inter filios Parthaonis non numeretur, nec etiam alii inter Argonautas, ut

ignobiliorem, recenseant. Nihil præterea de hoc *Laocoonte* mihi compertum est.

LEITUS, Λήϊτος, Alectoris filius, reperitur in Catalogo Apollodori. Legitur quidem, Leiti filius *Peneleus*, inter procos Helenæ Apollod. II, cap. 9, § 8, ubi vide; sed sine dubio mendosum id in hoc Argonauta; et quum Alectoris filium faciat *Iphyn* Pausanias, Corinth. lib. II, cap. 18, ille forte reponendus esset. Alector vero filius Anaxagoræ, unde Anaxagoridæ reges Argivi post eum dicti fuere.

LEODOCUS, frater Areii et Talai, filius Biantis, et ita ex Cretheidis, memoratur Orpheo, Apollonio et Valerio; sed Hygino et Apollodoro præteritur. Hic stemma quum commune habeat cum Areio et Talao, ad eos lectorem remittimus; notandum modo Orphea, vs. 146, eum Λαοδόκον vocare, quem Apollonius Λεωδόκον appellat.

LYNCEUS, Apharei filius, Idæ frater, in quo pluribus de eorum parentibus actum, et origine ex Cretheo; celebratus maxime acerrima oculorum acie, qua penetrare in ipsa terræ viscera dicebatur, quam ejus dotem Valerius noster, et omnes Argonautici et Mythologici scriptores extollunt; quod poetæ ipsi tribuere propter studium rei metallicæ et naturalium, et quod in visceribus terræ recondita perscrutabatur. Hinc Romanæ Academiæ sodales, quales in Italia plurimæ, se *Lynceos* dixerunt, ex qua celeberrimus *Fabius Columna*, qui non *Lynceus* appellatus, quia in rerum naturalium perquisitione acutissimus erat, quamvis et eo nomine hac appellatione non indignus esset, sed quia Academiæ *Lynceorum* adscriptus erat, ut nos docet Leonard. Nicodemus in Addit. ad Toppii Biblioth. Neap. in *Fabio Columna*. Placcius vero de Pseudonymis, num. 1430, pag. 77, *Martinum Fogelium* historiam Lynceorum jamjam editurum, nobis nuntiavit nuper. *Lynceus* vero Argonauta

mortem habuit cum fratre Ida communem, de qua supra egimus. Unicum adhuc notandum, confundi hunc Lyncea, Messenium Apharei filium, sæpe cum *Lynceo*, Ægypti filio, qui Argivum regnum tenuit, marito Hypermnestræ, Danai filiæ, quæ eum servavit. Ita Aristophanis Schol. ad Plut. act. I, sc. 11, vs. 152, acutum visum Lynceo Ægypti filio tribuit, licet postea duos Lynceos distinguat. Scholiastes quoque Pindari ad Pyth. VIII, vs. 77, dicit Lyncei filium fuisse Abantem, Talai patrem, ex quo Adrastus, ubi est confusio duorum stemmatum. Nam *Lynceus*, Ægypti filius, reliquit Abanta, sed ejus filius fuit Acrisius, ut notissimum; vide Pausan. II, 16. Sed Talai pater fuit Bias, filius vero Adrastus, ut in *Talao* videbimus, ubi et Orphea Talaum Abantis filium facere notabimus. Interfuit et hic cum fratre Ida venationi apri Calydonii; Ovid. Metam. VIII, vs. 304.

MELAS, filius Phryxi et Chalciopes, qui cum fratribus Argo, Cytisoro et Phrontide in insula Dia accessit Argonautis; vid. in *Argo* et *Cytisoro*. Hunc mari submersum nomen dedisse, ut μέλας πόντος diceretur, docet Scholiastes Apollonii ex Eudoxo ad lib. I, 922, quamvis addat, alios a fluvio Mela deducere nomen; vid. Eustath. ad Dionysii Perieg. 538.

MELEAGER, notissimus ævi prisci heros, Œnei et Althææ filius, Calydonius, qui genus longa serie ex Æolo trahebat, descendens ex Calyce Æoli filia; vide Apollodori lib. I, cap. 7, § 5 et seq. Ab avo vero Parthaone, *Parthaonides* dicitur Valerio, lib. III, 705, ubi videndus Pius, qui de cognatione Tydei et Meleagri multa ibi confert. Egregie quoque *Parthaonis* stemma illustravit Heins. ad Ov. Met. VIII, 541, ubi et fuisse notat, qui Martis filium Meleagrum fecerint, ut et Maserius notavit; vid. Lutat. ad Stat. Theb. II, 727. Reliqua ejus acta nota sunt. Unum est quod alicui,

longum ordinem majorum recensenti, scrupulum movere possit: nimis longum nimirum intervallum inter Æolum, et Meleagrum intercedere, ut potuerit interfuisse huic expeditioni, quum nonus fere numeretur ab Æolo, et plurimi, ut Jason, Argus, et alii tertia tantum ab Æolo generatione distent; sed sæpe jam notavimus, frustra temporum concordiam in fabulis quæri. Juvenem vero et imberbem affuisse huic expeditioni dicit Apollon. lib. III, 518; unde et *Laocoonta* ipsi rectorem additum vidimus. Noster tamen Valerius in hac sententia non fuisse videtur, qui lib. I, 434, *humeros* ipsi et *spatium pectoris Herculeis æquum lacertis* præbet; et lib. V, 574, ipsum et Tydea vocat *ingentes Calydonis alumnos. Magnum Œniden* vocat Statius, Theb. V, 405, licet hæc de statura, quæ jam juveni immensa fuerit, explicare liceret; denique ætate jam virili fuisse apparet, quod ipse Apollonius, lib. I, 997, eum nulli, nisi Herculi, cedere affirmet, unde et Herculis relinquendi auctor, et factionis dux, magniloquentia et superbia omnes superat; vide Flaccum, lib. III, 645 et seq. Uxorem dicitur habuisse *Cleopatram*, Idæ filiam, de qua vide in *Ida*, et Heins. ad Ovid. Epist. III, 97.

MENŒTIUS, Actoris et Æginæ filius, ex insula Ægina, Æolidarum etiam ex familia; Actor enim Deionei filius, qui Æoli. Pater fuit Patrocli, qui inde *Actorides* Ovid. Art. Am. I, 743 dicitur; vide ad Pont. II, 4, 22. Ab omnibus vero Argonauticis memoratur. A Valerio Flacco, lib. I, 407, *Actorides* dicitur; de quo vide supra in *Actoride*; et Schol. Pindari ad Olymp. IX, 104. Actor vero ille rex Opoentis fuit, et diversus ab *Actore* Argonauta, quem supra recensuimus. Eustathius ad Homeri Iliad. I, 337, ex Hesiodo tradit Menœtium fuisse fratrem Pelei, et filium Æaci; alios vero facere Myrmidonem, filium Jovis, ex quo natus Actor, qui duxit Æginam, quæ jam ex Jove Æacum antea susceperat, ipse vero postea ex illa tulit Menœtium. Myrmidonis

etiam filium *Actoris* dicit Scholiastes Apollon. Rhod. lib. IV, 816, ubi addit, ejus filiam *Philomelam* datam fuisse Peleo; quam tamen Hyginus facit matrem Patrocli, ergo uxorem Menœtii; vide de his amplius agentem doctissimum Meze-riacum ad Ovid. Epist. I, vs. 17; et Munckerus quoque ad Hygini cap. 97, *Sthenelen* Menœtii uxorem fuisse notat. Achillis etiam matrem *Philomelam* fuisse, ostendit idem Mezeriacus ad initium Epist. III Ovidii. Potuere vero confusæ fuisse duæ mulieres, *Philomela*, Actoris filia, Mœnetii soror, quam duxit Peleus, et *Polymele*, Pelei filia, quam duxit Menœtius, cujus nomen pro *Philomela* apud Hyginum esset restituendum, si vera sunt, quæ doctissimus vir adnotat ad Ovid. ex Pont. II, 4, 22, quamvis apud Apollodorum, lib. III, cap. 12, ex correctione Galei, non repe-riam, *Polymelen*, Pelei filiam, sed *Polydaram*, ex qua *Menesthius* natus fuit. Sed Mezeriacus Eustathium dicit Achillem facere filium *Polymeles*, Actoris filiæ, quæ certe ab aliis *Philomela* vocatur.

MOPSUS, nulli omissus aut ignoratus; celeberrimus vates, ut eum inter antiqui nominis vates celebrat Clemens Alexandr. Strom. lib. I, p. 333. *Ampycis*, vel, ut alii, *Ampyci*, et *Chloridis* Nymphæ filius, Lapitha, ex OEchalia, ut quidam, vel Titarensis, teste Hygino. Τιταρήσιος Apollon. lib. I, 65; quidam etiam *Titaronium* (Lycophr. vs. 881 Τιταιρώνειον) vocant, quia pater Ampyci fuit Titaron, vel ab oppido Thessaliæ Titarone, quod a Titaresio flumine Thessaliæ diversum esse docet Stephanus, et meminit ejus Homerus, Iliad. II, 751, ubi multa de eo flumine adducit Eustathius, qui eum ex Titaro monte, qui vicinus Olympo, effluere, et Eurotan etiam dici, notat. Hic vero *Mopsus* sæpe confusus cum altero *Mopso*, Tiresiæ filio, vel nepote; qui etiam vates Trojani belli tempore fuit; vide Gronov. ad Senecæ Med. 655; Vales. ad Ammian. Marcell. XIV, 8, et Berckel. ad Steph. in Μόψιον. Noster vero Ampycides vatis munere

functus inter Argonautas memoratur. Orpheus, vs. 127, eum filium *Ampyci* et *Aregonidis* facit; ubi Escchenbachius, ex Grævii sententia, diversam de matre vatis Orphea sequi sententiam notat. Alii constanter *Chlorida* matrem vocant, quæ diversa a *Chloride*, Amphionis et Niobes filia, quam Neleus uxorem duxit, et a *Chloride*, Tiresiæ filia, ut quidam matrem Periclymeni vocant; vide in *Periclymeno*. Hygin. fab. 10, et Schol. Homeri Odyss. XI, 280; vide infra in *Neleo*. Valerius noster, lib. I, vs. 383, Apollinis filium facit; cum quo facit Statius, Theb. III, 521; ubi Lutatius interpres Apollinis et Himantis filium dicit fuisse, et hinc quidam apud Ovid. ex Ponto, I, 4, 37, legunt *nec Himantide natus*, et intelligunt *Mopsum*, ut docet Merula in notis. Sed Apollinis filius non fuit revera, sed opinione et poetarum elogiis, qui vates Apollinis filios faciunt; unde Valerius dicit, *Phœbi fides non vana parentis*, id est, eum arte sua et præstantia vaticinandi vulgi rumorem confirmasse, quasi Apollinis esset filius; eodem modo ut Neptuni et aliorum deorum filios vidimus alios, qui tamen vero patre censebantur alio; ita et alter *Mopsus* Apollinis filius dictus, quum esset Rhacii et Mantus; adi Pausan. Achaic. lib. VII, cap. 3, ubi vide notas Kuhnii, qui ex Cononis narratione VI id firmat. Reliqua de Mopso obvia et occupata aliis. Hyginus vero hunc ab initio non accessisse Argonautis ait, sed in itinere post mortem Ampyci patris ad eos se contulisse, deinde in Africa morsu serpentis obiisse, quum cæteri omnes simul cum Jasone conscendisse navem, et ex Thessalia solvisse narrent. De ejus morte videri possunt viri docti, quos jam laudavimus, et Tzetzes ad Lycophron. vs. 881. Ovidius, eum superfuisse huic expeditioni, et venatui Calydonio cum Meleagro interfuisse, canit Metam. lib. VIII, 316. Apuleius, de deo Socratis, eum pro deo cultum, et in Africa oraculum habuisse affirmat; vide Barth. ad Stat. Theb. III, 521.

NAUPLIUS, *Neptuni* et *Amymones*, Danai filiæ, filius, Argivus, omnibus præter Apollodoro, memoratus. Scholiastes vero Apollonii ad lib. I, vs. 133, duos fuisse *Nauplios* tradit: hunc fuisse veterem *Neptuni* filium, et Argonautam, alium vero ex ejus posteris *Nauplium*; et stemma ita deducitur: Amymone genuit *Nauplium* Argonautam, ille Prœtum, ille Lernum, ille Naubolum, ille Clytonaum, ille denique *Nauplium* secundum. Et videtur Apollonius ex hujus stemmatis deductione Nauplium minorem filium Clytonai statuere Argonautam, licet vs. 138 Nauplium majorem Amymones filium navigandi peritissimum statuens, eum Argonautis accensere posset credi. Certe Orpheus, vs. 200, Hyginus et alii eum Neptuni et Amymones filium faciunt. Hoelzlinus ad Apollonium, ubi de variis *Naupliis* agit, ipse confundit stemma, et Prœtum facit *Nauplii* minoris filium, quum fuerit majoris, et *Nauplium* putat eumdem esse, qui *Abas* dicitur Pausaniæ, lib. II, 16: sed ille diversus Prœtus fuit, geminus Acrisii frater, filius Abantis, et Argivus; hic vero Prœtus, Nauplii filius, Phocensis: nam Lernum et Naubolum fuisse Phocenses, vidimus in *Iphito*. Et hic Nauplius major conditor Naupliæ, teste Pausania, lib. II, 38, et V, 35, et Schol. Euripidis in Oreste, vs. 54; et verisimile est, Lernam paludem a Lerno, Prœti filio, dictam, ut et ab Amymone fons nomen in eodem tractu terræ accepit. Nauplius etiam familiaris Aleo fuit, cujus jussu filiam Augen necandam vel vendendam tradidit, teste Diodoro, lib. IV, pag. 166, et Apollod. lib. III, 9, § 1, et paulo aliter Pausan. VIII, 848. Scholiastes vero Apollonii ad lib. IV, 1091, ex hoc Nauplio Neptuni filio, natum esse ait Damastora, Pherecyde auctore, ex eo vero Peristhenen, inde Castora, et ex eo Androthoen, matrem Dictyos et Polydectæ. Hic *Nauplius*, quum Tiphys periisset, petiit clavi regimen; sed prælatus fuit Ancæus, teste Apollod. II, 898; ex Flacci sententia, Erginus, lib. V, 65. Insignem vero fuisse ejus navigandi peritiam et siderum scientiam, inde

confici posset, quod ex duabus Arctis unam reperisse *Nauplium*, alteram Thaletem dicat Theon ad Arati Phæn. vs. 27. Præterea etiam noster Poeta hunc *Nauplium* confudisse videtur cum alio Palamedis patre, lib. I, 371, qui tamen fuit Euboicus, quum noster Argivus dicatur ab Hygino, fab. 14, et Scholiaste Euripidis l. l. Apollodorus etiam, lib. II, cap. 1, § 5, itidem confundit. Nam hunc *Nauplium* Clymenen, Atrei filiam, vel, ut alii, Philyram, duxisse narrat; vel, ex sententia Cercopis, Hesionen cepisse, ex qua Palameden et alios genuit, qui locus mendosus est; nam Clymene Atrei, Ἀτρέως, filia dicitur, ut etiam legitur apud Schol. Euripidis, Orest. 432, quæ lib. III, cap. 11, § 2, dicitur *Crethei* filia, qui Κρατεὺς etiam ibidem dicitur, Minois filius. Sed semper *Cratea* vocari debere, docuit Meursius in Creta, lib. III, cap. 3; et ita MSS habere, notat Th. Galeus, et Tzetz. ad Lycophr. 384 recte tradit. Hæc Clymene fuit mater Palamedis, cujus soror Ærope, Plistheni nupta, edidit Agamemnona et Menelaum; unde a Suida Palamedes dicitur ἀνεψιὸς Agamemnonis. Ipse etiam Virgilius *Nauplios* confudisse videtur, quum Palameden *Beliden* vocet lib. II, 82; Amymone enim, Danai filia, Beli neptis erat, ubi Servius, Apollonium sequutus, dicit, eum septimo gradu a Belo distare, quæ iisdem pæne verbis habet Lutatius ad Stat. Achill. I, 92, quum tamen ex Apollodori loco, mox adducto, tantum quarto gradu distare efficitur. Si vero *Nauplium* minorem fuisse patrem Palamedis statuamus ex stemmate Apollonii, nono quidem gradu distabit. Lutatius vero ad Stat. Theb. II, 432, VI, 288, *Nauplium* majorem patrem Palamedis statuit, ut Apollodorum fecisse vidimus. Absunt tamen illa verba, quæ Palameden ex Nauplio natum indicant, ab Hygini fabula 159, quam descripsisse Lutatium Munckerus notavit. Morerius in lexico suo memorat *Nauplium* secundum, quem Seriphi et Eubœæ (1) regem facit,

(1) Majore etiam inquisitione digna sunt, quæ de *Nauplio*, *Begerus* in

quod unde habeat, vellem docuisset: si enim Seriphi rex fuisset, potuisset Polydecten aut Dictyn, quos ex posteris Nauplii prioris fuisse vidimus, cognatione contigisse. Illorum autem posteros nescio an Veteres memoraverint; qui vero supplementa adjecit Morerio, recte eum quidem reprehendit, quod nullam Nauplii prioris mentionem fecerit, quem tamen ipse censor, an fuerit, ignorat, nec stemma Nauplii accurate excutere satagens, ad Apollodorum, obvium omnibus in hac materia auctorem remittit, quem nos Nauplios duos confundere ostendimus. Maximum hoc ex furum Lexicographorum scriptis est incommodum, quod vel nullos auctores producant, vel ad scriptorem aliquem nos ita remittant, ut quærendo defatigati, tandem illis fidem habere malimus, quam inutilem operam insumere. Sæpe etiam citant auctores, apud quos illa, de quibus agunt, debere exstare credunt, licet sæpe vel nihil ibi reperiatur, vel longe aliter.

NELEUS, *Hippocoontis* filius, Pylius Hygino, fab. 10 et 14, qui solus eum in Argonautarum censum refert; ab aliis *Neptuni* et *Tyrus* filius dicitur; vide Schol. Pind. Ol. IX, 43; Schol. Apollonii, I, 156; Schol. Homeri, Odyss. XI, 380; Apollodor. in catalogo Argonautarum, et Liban. Diegem. 38; sed de Nelei gente mox in *Nestore* et *Periclymeno*, Nelei filiis, agendum erit. Ejectus hic erat a fratre Pelia ex Thessalia, et in Peloponnesum abiens Pylum condiderat, ibique regno confirmato, et ducta Chloride, Amphionis et Niobes filia, Periclymenum, Nestora et Chromium sustulerat (Hygin. fab. 10); quorum duo Argonautis se associaverunt: quare vix verisimile videri potest, illum cum filiis se voluisse adscribi in hanc militiam, quum diu ante hoc tempus ex Thessalia migraverit, et senior jam esset. Pero, ejus filia, mater fuit *Arei* Argonautæ; ubi vide.

Spicilegio antiquitatum, Colon. Brandenb. 1692, p. 26 seq. in medium protulit. HARL.

NESTOR, Nelei filius, qui solus omnibus fratribus superstes fuit, quia aberat eo tempore domo, quo Hercules Nelea cum omni familia sustulit; vide Hygin. fab. 10. Hic soli Valerio nostro debet, quod inter Argonautas habeatur; vide lib. I, 380, et VI, 569. Licet vero frater ejus *Periclymenus* natu major fuerit, ipsum hujus expeditionis tempore militaris ætatis fuisse apparet, quia jam antea Lapitharum certamini interfuit, quod paucis annis hanc militiam præcessit, ut ipse Nestor apud Ovidium, Metam. XII, 212 et seq. et Noster, lib. I, 145, testantur; quamquam scrupulus, si omnia ad historicæ veritatis calculum apud Mythicos revocare vellemus, inde injici posset, quod primis in annis interfuisse Calydonio venatui dicat Ovidius, Metam. VIII, 313, qui post reduces Argonautas est institutus. Præterea Scholiastes Statii, Theb. IV, 126, dicit, illum ad bellum Thebanum non ivisse, quia nondum militaverat; quod tamen ex verbis Statii vix confici posse puto; quæ ita se habent:

> Nondum nota Pylos, juvenisque ætate secunda
> Nestor; at ire tamen peritura in castra negavit.

Unde tamen patet, eum ultra triginta annos natum, ideoque aptum satis militiæ, sed noluisse huic bello nomen suum dare; ubi etiam Barthius notat, poetas non constare sibi in temporum ratione, ut talium dominos, non famulos, suo quodam privilegio. Reliqua de Nestoris actis et vita, quia notiora sunt, et huc non pertinent, omittemus.

OILEUS, *Leodoci* et *Agrianomes*, filiæ Persconis, filius, ex urbe Naricea Hygino, fab. 14, memoratur; sed Berckelius in notis ad Fragmentum Stephani, p. 60, sive ad Δώτιον, emendat, *Odoedoci* filius, qui filius erat Cyni, quod stemma mihi est ignotum, et Berckelius ex Eustath. ad Il. II, 531, matris etiam nomen *Laonomen* pro *Agrianome* substituit, quod verisimile; nam idem Steph. in Καλλίαρος

facit Calliarum, filium Odœdoci et Laonomes. Uxor *Oilei* fuit *Eriopis*, ex qua Ajax natus fuit, Hom. Iliad. XIII, 697, et XV, 336; ex Rhene concubina habuit Medonta, Homer. Iliad. II, 727. Memoratur vero hic inter Argonautas ab omnibus, præterquam ab Apollodoro. Dotes ejus præcipuas fuisse dolo hostes aggredi a tergo, si inclinata esset acies, canit Apollon, I, 75; quod posset intelligi non de acie hostium, sed de sua, in qua pugnabat *Oileus*, quæ quum fugeret, ipse, quasi in tergo manus haberet, insequentes hostes poterat impetere; et ad eum forte, non filium Ajacem, referri illa Servii possent ad Æneid. I, 41: « A multis historicis Græcis tertiam manum dicitur post tergum habuisse, quod ideo est fictum, quia sic celeriter utebatur in prælio manibus, ut tertiam habere putaretur ». Quibus verbis si liceret præponere *qui*, et ita connectere, *sane hic Ajax Oilei filius, qui a multis*, ad patrem, non filium lubens referrem; quamvis non pugnem, si de ipso Ajace quis vellet capere, qui eadem dote, qua pater instructus, hostes in fugam datos mira velocitate insequi esset solitus; unde ταχὺς Homero, et Horatio, Od. I, 15, *celer sequi* dicitur; sed hæc relinquimus in medio.

ORPHEUS, celeberrimus vates, et de cujus sapientia musica omnia Veterum monumenta plena sunt, a nullo Argonauticorum scriptorum non celebratus; quare nec nostrum est institutum operose de eo agere. De parentibus ejus non convenit. Quidam *Apollinis* et *Calliopes*, alii *Œagri*, ut Noster, IV, 348, filium faciunt; vide Schol. Apollon. I, 23, et Munker. ad Hygin. 14. Potuit vero revera *Œagri* fuisse, sed habitus Apollinis, quia vates et poeta excellens fuit, ut in *Mopso* vidimus et aliis; et Schol. Pindari, Pyth. IV, 313, notat, ut ex Jove, et Jovis filii reges dicuntur, ita poetæ et citharistæ ex Apolline. Magister Eumolpi dicitur Ovidio ex Pont. III, 3, 41, ubi vide notas. Hic rei militaris rudis, et etiam debilis, assumptus a Jasone ex consilio Chironis, quia

aliter non potuissent Sirenas transire; Schol. Apoll. I, 24 et 31. Orphcus, sive Onomacritus juvenem facit vers. 408; et idem fingit, Jasona abiisse ad eum in Thraciam, et ad iter Colchicum invitasse. Ejus munus fuit, citharæ cantu demulcere feros juvenum animos (nam feras mitigasse Musis et literis mentes docent Parrhas. et Barth. ad Claudian. præfat. de Rapt. Proserp. lib. II, et alii), et modum remis ducendis dare, et celeusma canere. De poesi, quæ sub ejus nomine circumfertur, quam ad *Onomacritum* quidam, alii ad juniorem poetam, nobis incognitum, referunt, hic agendi locus non est; vide Fabricii Biblioth. Græc. lib. I, cap. 18, et Schurtzfleisch. notitiam Biblioth. Weimar. pag. 178.

PALÆMON, Apollodoro memoratus, *Vulcani*, sive *Ætoli* filius; Orpheo vero, vers. 208, *Lerni* filius nothus dicitur, et *Palæmonius* vocatur, ut et Apollonio, I, 202, qui dictum quidem Lerni filium, sed revera Vulcani fuisse dicit; qui *Lernus* si idem sit, quem Prœti filium vidimus fuisse in *Nauplio*, itidem ex Æolia familia genus suum deducebat. Si vero ex Apollodori sententia fuerit Ætoli filius, potuit illius Ætoli fuisse, qui Endymionis filius, Calyces Æoli filiæ nepos fuit, et ita ex Æolidis genus quoque traheret, et Calydonius, ut Hyginus eum facit, fuisset. Ignoratur hic Valerio Flacco, neque nobis de eo amplius quid constat.

PELEUS, *Æaci* filius, Telamonis frater, Achillis pater, nulli incognitus, et ab omnibus inter Argonautas connumeratus. Matrem ejus Tzetz. ad Lycoph. 275, *Deida* fuisse scribit, quam in *Endeida* mutat Munkerus ad Hyginum, cujus notas vide. Hanc Plutarchus in vita Thesei *Scironis*, alii *Chironis* filiam faciunt, quod verisimilius; et nomen apud Plutarchum corruptum esse patet, quia uxor *Chariclo* additur, quæ Chironi fuit nupta; vide ad Ovid. Metam. II, 636, et Schol. Pind. Pyth. IV, 182, et Apoll. IV, 613. Æaci vero mater *Ægina* dicitur Ovidio, Met. VIII, 615; Statio,

Theb. VII, 317, et aliis, ita ut fuerit frater Menœtii; licet ille Actore patre magis, Æacus vero Jove (qui in aquilam versus Æginam vitiavit; vid. Schol. Stat. ad Theb. lib. VII, 424, et Nonni Dionys. lib. XXIV, pag. 625.) censeatur; qua ratione etiam Æolidas tangat; vide in *Menœtio*. Ipse *Peleus*, *Thetin* Nerei (sive Neptuni Hygin. fab. 157), filiam duxit; unde eum *generum profundi Nereos* appellat Stat. Theb. V, 436. Reliqua notissima sunt. Sed hic quoque ratio temporum admodum turbata est; ut enim multa prætermeam, dicitur *Peleus* quum fratrem suum *Phocum*, inita sceleris societate cum *Telamone*, occidisset, aufugisse, et lustratus ab Euryto Actoris filio, quem *Eurytiona* vocat Apollodorus (vide supra in *Eurytion*); cujus filiam Antigonen duxit, et in tertiam partem regni a socero adscitus fuit; deinde quum in venatu apri Calydonii occidisset Eurytiona, iterum se Iolcum contulit, ad Acastum, Peliæ filium, a quo lustratus iterum fuit; Ovid. Met. XI, 409; Fast. II, 39. Sed quum ab Astydamia, Acasti uxore, sollicitaretur ad adulterium, nec vellet ejus libidini morem gerere, ab Acasto, apud quem eum criminata erat Astydamia, iterum expulsus fuit, et feris expositus, sed ope Jovis conservatus spoliavit Acastum regno, et duxit Thetin. Hæc multis prodita vide apud Tzetz. ad Lycoph. 176; Schol. Aristoph. Nubib. 1059; Pindar. Nem. III, 55 et 88; Apollon. I, 224, et alios; vide et supra in *Acasto* et *Eurytione*. Quæ si vera sunt, quum maximam partem post hanc expeditionem accidere debuerint, qui ergo ab Apollonio et Valerio fingi potest jam tempore hujus expeditionis natus Achilles, et apud Chironem, qui avus ejus maternus fuit, educatus? qui si ex Thetide natus, certe Acastus, qui in primo ævo ad Jasona venisse dicitur, non potuit jam uxorem habuisse, nec Pelea lustrasse ante natum Achillem. Movet et hunc scrupulum Pius ad Valer. I, 256, sed non solvit: quare statuendus hic anachronismus Poetis admodum familiaris; licet ego facile credam, connubium *Pelei* fuisse posterius hac expeditione, sed Poetas ornando argumento,

jam Achillem puerum induxisse, qui indolem suam tot heroibus ostenderet; *Peleus* enim juvenis debuit affuisse Argonautis, quia ejus patruus Menœtius, qui neque provecta ætate fuit, ut plurimi Argonautæ, itidem commilito fuit, neque etiam, si hoc tempore jam puer Achilles fuerit, et ad Trojana bella protraxerit ævum, non habuit ejus mater, nec ipse, quod de brevitate vitæ querantur; sed plura incredibilia in Achille occurrunt. Apollodorus, lib. III, cap. 12, § 8, dicit, Achillem anno nono ætatis fuisse a matre in insula Scyro occultatum, et paullo post inde ad Trojanum bellum extractum; vide Barth. ad Stat. Achil. I, 1 et 503. Neoptolemus vero, ex Deidamia susceptus, unum annum agebat, quum ab Ulyxe deprehenderetur Achilles; vide Stat. Achil. II, 234; ille tamen post decem vel undecim annos jam vir, et ferocissimus Ilii vastator, et Priami interfector inducitur a Virgilio, Æn. II, et aliis: quibus crediderim Ovidium inductum, ut Neoptolemum adhuc in Scyro fuisse fingat, Met. XIII, 155, ubi de armis Ajacis,

> Est genitor Peleus, est Pyrrhus filius illi;
> Quis locus Ajaci? Phthiam Scyronve ferantur.

Quamquam aliquis posset contendere, Pyrrhum post armorum judicium Græcorum exercitui accessisse: nam nisi hoc Ovidius crediderit, sibi obloqueretur, quum mox v. 455 eum Polyxenæ cædi parentali interfuisse narret, si forte hæc tam accurate Naso excusserit in opere quod non emendavit. Denique *Pelea* omnia illa egisse, quæ supra vidimus, post expeditionem, inde apparet, quod superfuerit usque ad bellum Trojanum, quæ ætas longissima fuisset, si tam provecta ætate, et tot rebus gestis demum ad Argonauticam expeditionem profectus fuisset. Supervixisse vero Achilli ex Ovidii loco, Met. XIII, 155, apparet, et ex Plutarchi libro, *An seni sit gerenda respublica*, qui dicit, Pelea et Laerten domi desedisse, ideoque despectos, quum Nestor etiam senex laudem adhuc obtineret ex re militari;

vide et Schmid. ad Pind. Pyth. IV, p. 268. A Pyrrho nepote reduce restitutus etiam regno dicitur, quod iterum per Orestem amisit, indeque confectus mœrore obiit. Ad militaris rei scientiam, qua valuit, pertinet, quod μάχαιραν invenisse dicatur a Servio ad Virg. Æn. IX, 505.

PENELEUS, filius *Hippalmi*, soli Apollodoro notus; nobis, unde venerit, aut ortus sit, minime constat. Memoratur *Peneleus*, Leiti filius, inter procos Helenæ, ut vidimus in *Leito;* sed ille simul ergo cum patre debuisset militare. *Hippalcmum* Pelopis filium reperio apud Schol. Pind. Olymp. I, 144; sed de ejus conjugio aut posteris nihil novi, et an idem sit, qui *Hippalmus;* certe ita vocatur a Schol. Euripidis in Oreste, vs. 5. *Peneleus*, Leiti filius, Bœotorum dux in bello Trojano ab Homero et aliis celebratur; simul cum Leito duxisse copias dicit Hom. Iliad. II, vs. 494; quem Penelea an diversum faciat, an confundat cum Argonauta, cap. 27, Hyginus, nescio; nam dicit, *Hippalli* et *Asteropes* filium fuisse; *Hippallum* vero Pelopis et Hippodamiæ filium fab. 85; quem alii *Hippalmum* et *Hippalcimum* vocant; vide Munkeri notas. Hujus Penelei nepos itidem *Peneleus*, conditor oppidi Paneli dicitur a Stephano in Πάνελος. Leitus vero dicitur *Lacreti* et *Cleobulis* filius, quæ etiam nomina corrupta; nam quod *Alectoris* vel *Alectryonis* restituant viri docti, arbitrarium est; melius est exspectare certiora.

PERICLYMENUS, *Nelei* filius, frater Nestoris, ab omnibus celebratus inter Argonautas; vide Apollon. I, 156, et ibi Schol.; Hom. Odyss. XI, 380. Orpheus dicit eum venisse ex Pallene, vel Pellene (vide Escchenbachii notas), et Lipaxo. Hyginus vero Pylium facit; Scholiastes vero Pindari ad Pyth. IV, 3, et Nem. IX, 61, *Nelei* et *Chloridis* filium facit, quam *Chlorida* dicit fuisse filiam Tiresiæ, ubi cum *Amphiarao* congressus dicitur; nisi sit diversus a no-

stro, quod vix puto. Seneca quoque in Medea, vs. 635:

> Patre Neptuno genitum necavit,
> Sumere innumeras solitum figuras.

Vide in *Neleo*, qui Neptuni filius censebatur a multis, ut vidimus, et hinc auctor Neleidarum Neptunus habitus; vid. Schol. Pindari, Pyth. IV, 309, et Ovid. Met. XII, 556; et recte avum *Periclymeni* Neptunum facit Tzetzes, Chiliad. II, 45, et Scholiastes Pindari, licet Pindarus eum Euphemo conjungens videatur Neptuni filium credidisse. Ex hoc *Periclymeno* descendebat *Melanthius*, pater Codri, ut ostendit Meursius, de Reg. Athen. lib. III, cap. 10. Neptunus vero præ cæteris Neleidis hunc *Periclymenum* dilexisse dicitur, et decorasse munere, ut se posset vertere in varias figuras; quod Ovidius et Schol. Apollon. l. l. docent; in bello vero, quo pater ejus oppressus fuit ab Hercule, quum se in muscam convertisset, clava fuit occisus, secundum Scholiasten dictum. Ovidius vero verisimilius (1) in aquilam conversum sagittis ab Hercule confectum tradit. Ad illas Metamorphoses respicit Severus sophista in excerptis rhetorum *Allatii*, pag. 231.

PHALERUS, *Alconis* filius, Atheniensis, omnibus memoratus; Apollon. I, 96; Orpheo, 142; Valerio Flacco, I, 398. *Alcon* a Scholiaste Apollonii dicitur filius Erechthei regis Atheniensium; unde *Actæus Phalerus* vocatur a Valerio, lib. VI, 217. Hunc *Alconem* forte respexerit Virgilius, Ecl. V:

> Aut Alconis habes laudes, aut jurgia Codri.

In quo verisimiliter latet aliquod egregium *Alconis* facinus,

(1) Verisimilius inquis! non abnuo; sed faciles explicatus habere neutra conversio mihi videtur; utraque pariter menti repugnat: et si talia nos in medium affirmanda protulissemus, quam vereor ne, ut sup. p. 377, exclamaveris, *fatale esse Gallis hominum corpora in aves transformare*, nisi forte pro varia gentium indole variam esse veri speciem aut fidem tibi judicare libuerit! Ed.

Codro comparandum, quod præstitit *Alcon* patriæ suæ. Certe Maserius ad Valer. Flacc. l. l. narrat, *Alcona* fuisse quemdam Atheniensium ducem, qui sua morte suis vitam restituit; quod unde hauserit, non addit. De Erechthei filiabus certe narratur, illas se pro patria immolandas præbuisse; vide Cic. Tusc. I, 48, et de Nat. Deor. III, 19, et pro Sexto, 21; Hygin. fab. 46, et alios. An in hujus facti societatem venerit frater, ignoro. Confusus sæpe hic *Alcon* Atheniensis cum Cretensi sagittario, quem Servius ad Virgilii l. l. ibi innui putat; nam et nostrum fuisse artis sagittandi peritissimum, apparet ex illis, quæ Valerius ei attribuit, et Manilius, v. 299:

> Quin etiam ille pater tali de sidere cretus
> Esse potest, qui serpentem super ora cubantem
> Infelix nati, somnumque animamque bibentem
> Sustinuit misso petere, et prosternere telo, etc.

Ubi Scaliger videndus, qui adducit versus Sidonii in eamdem rem, ad quos vide Carm. V, 154, Sirmondi notas: quare forte Valerius Cretensis factum Atheniensi attribuerit. Eustathius *Alconem*, Pandori filium, Erechthei nepotem, facit; vide Meurs. de Regib. Athen. lib. II, cap. 13. Alius *Alcon* Myleus, artifex egregius, memoratus ab Ovid. Met. XIII, 683; alius Sicyonius Stat. Theb. IX, 121, ubi de aliis Barthius videndus. Et nomen illud etiam temporibus posterioribus usitatum fuisse docet *Alcon* Saguntinus apud Liv. XXI, 12; et chirurgo cuidam id imposuit Martialis, XI, 85. Quidquid sit de *Alcone* patre, filius ejus *Phalerus* dicitur, et Gortynam urbem Thessaliæ condidisse ab Orpheo, vs. 143; quod a nemine præterea tradi notavit Escchenbachius. Ab eo portum *Phalereum* etiam Atheniensibus structum nomen accepisse, tradit Pausan. lib. II, cap. 1. Præterea in Italiam deinde transgressum, urbem ex suo nomine *Phalerum*, quæ deinde *Parthenope*, et postea *Neapolis* fuit dicta, condidisse Petrus *La Sena* de Gymnasio Neap. cap. XI, § 4, et Camill. Peregrinus de Campania

Felice, Diss. II, § 4, eruditissime ex Lycophrone et aliis ostenderunt. *La Sena* etiam, quia εὐμελίης Phalerus ab Apollonio vocatur, inde Neapolim *Eumelida* vocari a Statio, Silv. IV, et VIII, 49, credit; in quo loco explicando admodum sudant interpretes; sed Domitium Calderinum jam id suspicatum fuisse, licet ille ab Eumelo Parthenopes patre deducat, ex ejus notis, quas forte ex antiquo glossatore concinnavit, apparet; vide ad Ovid. Met. VII, 390.

PHANUS, *Dionysii* sive *Bacchi* filius, soli Apollodoro numeratus inter Argonautas, nobis ignotus; vide infra in *Staphylo* ejus fratre. An ab hoc proverbium Φάνου θύρα ortum nescio. Refert id Erasmus ex Suida, titulo *Indiligentiæ*. Sed ille Φάνιος dicitur Zenobio, Centur. IV, 24; Φάνειος a Diogeniano, Centur. V, 5; Eustathius *Phaniam* vocat, notante Schotto.

PHILAMMON, *Apollinis* et *Chiones* filius Hygino, fab. 200, et Ovidio, Met. XI, 317, ubi pluribus de eo actum. *Leuconoes*, vel *Leucothoes*, ut alii, filium facit Hygin. 161, ubi vide Scheffer. et infra in *Thersanon;* fuit Autolyci frater ὁμομήτριος. Hunc Scholiastes Apollon. lib. I, 24, ex Pherecyde narrat cum Argonautis navigasse, non vero Orphea. De confusione circa hunc et *Eumolpum*, vide quæ ad Ovidium notata lib. IX, 93, et ex Pont. III, 3, 41. Nec verisimile esse, hunc cum Argonautis navigasse, evincent illa, quæ de *Autolyco* ejus fratre supra diximus.

PHILOCTETES, filius *Pœantis*, ex Melibœa, satis notus. Hic ab Hygino et Val. Fl. I, 391 solis recensetur inter Argonautas; a reliquis omnibus omittitur, et jure, ut puto; non enim verisimile, si rationem temporum spectemus, eum utrique expeditioni Argonauticæ et Trojanæ interfuisse, quod soli Nestori, omnium maxime longævo, contigisse dicitur: quare alii *Pœantem* ejus patrem Argonautam faciunt, cui et Herculem sagittas suas dedisse scribit Apol-

lodorus, lib. II, cap. 7, § 7 : quare Philocteten potius Trojanis bellis relinquimus.

PHLEIAS vel PHLIAS, *Bacchi* et *Ariadnes* filius, ex Phliunte urbe, Valerio, lib. I, 412, et III, 108; Apollon. I, 115; Orpheo, vs. 192, memoratus. *Phliasius* Hygino dictus. Urbs vero Phlius in Peloponneso olim Aræthyrea dicta, teste Scholiaste Apollonii l. l. et Pindari, Nem. VI, 73; sed de auctore hujus urbis discrepant: quidam enim ab hoc *Phliante* volunt conditam, ut Pausan. II, 12, qui eum non *Ariadnes*, sed *Aræthyreæ* filium ex Baccho facit, licet alii ex *Caso*, Temeni filio, deducant. Orpheus matrem ejus Nympham vocat, sed nomen non exprimit. Stephanus et Schol. Apollonii a *Phliunte* (rectius a *Phliante*), Bacchi et Chthonophyles filio, conditam aiunt. Maserius ad lib. III, 148, valde æstuat in hoc nomine; et licet Despauterio male *Phæas* dicatur, ipse tamen *Phlœas* recte dici posse censet.

PHLOGIUS, filius *Phryxi* et *Chalciopes*, qui cum fratribus in insula Dia Argonautis se adjunxit. Memoratur Hygino, Apollonio et Val. Flacco; vide in *Argo* et *Mela*, et inprimis in *Autolyco*.

PHOCUS, vel, ut editur, *Focus*, *Cæneï* filius, ex Magnesia, soli notus Hygino. *Cæneus* ejus pater, Elati filius, Magnesius, supra est relatus; non vero, ut toties vidimus, verisimile credo, patres cum filiis subiisse hanc expeditionem, quum passim Argonautæ juvenes florente ætate inducantur. Alium *Phocum* Ornitionis, sive Neptuni filium memorat Pausanias, lib. II, cap. 4; alius etiam est filius Æaci, a Peleo et Telamone occisus, de quo vide ad Ovid. Met. VII, 685.

PHRONTIS, sive, ut ab aliis vocatur, *Phrontides*, *Phryxi* et *Chalciopes* filius, de quo nihil est, quod dicamus, quum

a fratribus *Argo*, *Mela* et *Cytisoro* nihil habeat peculiare. *Phrontis* vocatur a Scholiaste Apollonii, II, 390, 1125, et ab ipso Apollonio, vs. 1159. Et ita rectius vocari, docet alter *Phrontis*, rector Menelai, memoratus Homer. Odyss. III, 282, et Eustath. ad Dionys. Perieg. vs. 9, et Hesychio.

PIRITHOUS, *Ixionis* filius, Thesei indivisus comes et amicus, soli quoque Hygino refertur inter Argonautas, quum Apoll. I, 103 aperte neget, illos interesse potuisse huic expeditioni, quum retinerentur a Plutone, quod Proserpinam rapere instituissent, ex qua captivitate postea demum ab Hercule fuere liberati; vide Germ. Valent. ad Virg. Æn. VI, 617.

POEAS, *Phylaci* filius, Iphicli frater, et ita ex Æolidis; vide in *Iphiclo*. Soli Apollodoro hic memoratur inter Argonautas, qui *Thaumaci* filium facit, manifesto mendo scriptionis pro *Phylaci*. Stemma ejus recenset Eustath. ad Homer. Iliad. II, 697, et nos in *Philoctete* ejus filio supra aliquid diximus; male vero Maserius eum confudit cum *Phleiante*, ut vidimus.

POLLUX. Nec hic nos detinebit; nam quia omnia communia cum fratre Castore habet, ad illa, quæ ibi diximus, lectorem ablegamus.

POLYPHEMUS, *Elati* filius, Thessalus ex Larissa, frater ergo Cænei. Mater ejus *Hippea*, Antippi filia, ab Hygino dicitur. Scholiastes vero Apollonii, lib. I, 50, dicit alios eum Neptuni filium facere, nimirum eo modo, ut plures jam bipatres heroas vidimus. An hic *Elatus* idem sit, qui memoratur ex Pherecyde a Scholiast. Apoll. I, 101, filius Icari, qui Erimeden Damasicli filiam duxit, et inde Tænarum genuit, nescio. *Elatus* quoque Ischyos pater est Schol. Pindar. Pyth. III, 14 et 55; vid. ad Ovid. Met. II, 599. Doliæ etiam

pater, teste Steph. in Dolio, qui et Elateam urbem, ab *Elato* dictam dicit; qui omnes *Elati* quomodo distinguendi sint vix apparet. Male vero hunc confundunt quidam cum *Polyphemo* Cyclope illo nobili; et fortasse noster Valerius, licet distinguendos sciret, ideo tamen *Polyphemi* mentionem injecisse videtur in historia Amyci, lib. IV, 105, quia et ille Neptuni erat filius. Hic senior licet, robore tamen corporis omnes fere superabat, sed pedibus præ ætate erat tardior; vide Orph. vers. 168, ubi verba illa, Ἥνειὸς Καινῆος ἀφίκετο, sunt corruptissima (1), et sensu plane destituuntur. Latere putem sub illis urbem *Æniam*, quæ erat Perrhæborum; sed quid restituam non invenio. De urbe illa vide Eustath. ad Iliad. II, 749; Strabon. lib. IX, p. 434. *Cænea* etiam ibi recenseri, non male suspicati sunt viri docti; sed vellem explicuissent illud Ἥνειὸς Καινῆος. Porro *Polyphemus* comes ita fuit assiduus Herculi, ut et sororem ejus Laonomen, Amphitryonis et Alcmenæ filiam, duxerit, teste Schol. Apollon. I, 1240; hinc etiam Herculem, Hylam investigantem, persequutus est, et simul cum Hercule ab Argonautis relictus, sedes posuit in nova urbe Cio, quam condidit; licet Noster reversum fuisse videatur dixisse lib. I, 457, ubi vide quæ notavimus. Urbs tamen nomen illud *Cii* postea demum consequuta a *Cio* Milesio, qui novis colonis instauravit. Ipse *Polyphemus* obiit in pugna cum Chalybibus; vide Schol. Apollon. I, 1177 et 1354, et IV, 1470.

PRIASUS, cum fratre *Phoco* nobis fere incognitus; vide in *Phoco*.

STAPHYLUS, *Bacchi* filius, frater Phani, soli Apollodoro memoratus. In hoc vero mira temporum conturbatio; si

(1) Gesnerus nil difficultatis in hoc versu reperisse videtur : nam nec notulam ullam adscripsit, et interpretatus est : *Eneus Cænei filius advenerat.* Harles.

enim ex Ariadna fuerit natus, post Argonauticam expeditionem vivere incepit; certe non diu ante; vide Schol. Apoll. III, 996. Sed fuit longe Theseo antiquior; nam ejus filia Rhæo a quibusdam mater Jasonis dicitur fuisse, ita ut avus sub nepote militasset; vide in *Jasone*. Præterea ad eum dicitur devertisse Lyrcus, Phoronei filius, tempore Inachi, quo nihil antiquius Græci esse jactabant; vid. Parth. Erotic. cap. 1. Frater ejus etiam fuisse debuit *Eumedor*, de quo supra vidimus.

TALAUS, *Biantis* filius, frater *Arei* et *Laodoci*, in quibus egimus de eorum stemmate; vide et Euripidis Scholiasten ad Phœniss. vs. 423. *Abantis* filius Orpheo dicitur vs. 147, de quo etiam supra late vidimus. Hos fratres omittunt Apollodorus et Hyginus; meminit ejus Apollodorus, lib. I, IX, § 13, ubi ipsi dat uxorem *Lysimachen*, Abantis filiam; et sobolem ejus recenset Hyginus, fab. 69 et 70; dat ipsi *Eurynomen* Iphiti filiam. Pausanias, II, 6, duxisse *Lysianassam*, Polybi filiam, testatur. Inter filios nobilissimus *Adrastus*, qui qua ratione Argis regnum obtinuerit, docet Barth. ad Statium, Theb. II, 141; alter, *Pronax*, illustratur a Casaubono ad Athen. XIII, 6. Filia *Eriphile*, Amphiarai uxor, cujus fabula notissima; vide Ovid. Art. Am. III, 13. Hunc male *Alaum* vocavit Cribellius in versione metrica Orphei, deceptus prava verborum græcorum lectione: nam pro Λαοδόκος, Ταλαὸς legit, Λαοδόκος τ' Ἀλαός.

TELAMON, *Æaci* filius, frater Pelei, in quo de genere eorum quædam adduximus. Ejus omnes scriptores hujus expeditionis meminerunt. Comes hic et amicus certissimus Herculis, qui contra Meleagrum et alios Herculem exspectandum, quum Hylam quæreret, contendebat; postea ipsi affuit in expugnatione Trojæ. Valerius, I, 351, solo Hercule eum minorem facit; et Statius, Theb. 378, *Herculem*, *Telamona* et *Pelea* principes Argonautarum esse ostendit. Reli-

qua ejus notissima, et omnibus narrata. Uxor ejus *Peribœa,* Alcathoi, Pelopis filii, filia dicitur Apollodoro, lib. III, c. 12, § 11, quæ ab aliis dicitur *Eribœa;* de qua Muncker. ad Hygin. fab. 97. Ita et vocat eam Pindar. Isthm. VI, 65, et Sophocl. in Ajace, 570, ubi vide Camerarium. Apud Athenæum, XIII, cap. 1, inter conjuges Thesei recensetur *Melibœa,* Ajacis mater, ubi *Eribœam* legendum esse puto.

THERSANON, *Solis* et *Leuconoes* filius, Andrius, soli Hygino notus, ad quem Schefferus notat, se credere, eumdem esse, qui *Philammon,* et qui cap. 151 dicitur filius Apollinis et Leuconoes; Munckerus vero *Leucothoes* mallet legere, ego *Leucothees;* vide quæ hanc in rem notavimus ad Ovid. Met. IV, 196. Si vero *Leucothee* filia Orchami intelligatur, qui septimus a Belo, videndum, an tempora congruere possint; quamquam id in his fabulis numquam nos morari debet.

THESEUS, nobilissimus heros, et cujus tanti opera habebatur, ut *nihil sine Theseo* in proverbium abierit: quare neque hunc expertem hujus laboris esse voluerunt Apollodorus et Hyginus, quamvis nobis non verisimile id videri ostendimus in *Pirithoo.* Statius quoque, lib. V, 431, eum Argonautis accessisse, superbum a Marathone asserto, fingit; et Achil. I, 156, Chiron dicit, se quondam vidisse inter Argonautas juvenem Alcidem et Thesea, quos eadem in ætate non bene jungi, recte Barthius notat, quia in Thebaide juvenem Thesea, defuncto jam Hercule, inducit: Nec si *Theseus* affuisset, id Plutarchum omissurum fuisse credit, qui vel minima de *Theseo* persequitur. Præterea plurimi *Thesea* antiquiorem faciunt hac expeditione, quia Hypsipyle filia fuit Thoantis, ille vero Bacchi et Ariadnes, quam a Theseo relictam duxit Bacchus. Et Apollon. III, 996, inducit Jasonem, Medeæ narrantem fabulam Thesei et Ariadnes, ut et fecit Valerius, lib. VI, vs. 278; vide in

Jasone; vide etiam Meurs. Thes. cap. 23. Et idem Valerius, lib. V, 90, expeditionem Herculis, comite Theseo, in Amazonas priorem facit Argonautica, quamvis ex Justini lib. II, 4, aliquis posteriorem posset credere, qui dicit novem longis navibus Herculem profectum, quum alii primam navem bellicam Argo statuant, ut passim etiam Valerius. De *Theseo* ipso, et an pater Ægeus, an Neptunus fuerit, denique de ejus tota vita, ne actum agamus, ad Plutarchi inter veteres, et Meursii, diligentissimi inter recentiores scriptoris, vitam Thesei ablegamus.

THESSALUS. Hunc inter Argonautas video reponi in indice Munkeri in Hyginum; sed errasse credo auctorem, quum non sit nomen proprium, sed patriæ, qua *Polyphemus*, *Pirithous* et plures alii inter Argonautas censentur. Neque *Thessalus* ille, qui ab Hygino, cap. 225, templum Jovis Dodonæi dicitur posuisse, Argonauta fuit. *Thessali* vero plures in mythica historia reperiuntur, hoc tanquam proprio nomine insigniti. Ita Herculis filium, patrem Phillippi et Antiphi, *Thessalium* vocat Dictys, lib. II, cap. 4; qui forte idem est, quem Heracliden, et nomen Thessaliæ dedisse, dicit Schol. Apollon. III, 1089, et Pindari, Nem. IV, 40; sed ille post hæc tempora vixit; vide Munker. ad Hygin. fab. 97. Æmonis filium *Thessalum* Stephanus vocat in Αἱμονία, et alios habet hoc nomine in Δώριον et Ἔφυρα· vide et quæ notavimus ad Ovidii Ibin, vs. 285.

THESTOR, *Idmonis* filius, a nullo quidem scriptore Argonauticon memoratus; sed Scholiastes Apollonii, lib. I, 239, dicit quosdam credidisse, illum navigasse cum illis, sed proprio nomine mutato in *Idmona*, ob peritiam vaticinandi; vide in *Idmone*. Ejus filia *Theonoe* nupta *Admeto*, ubi vide. Filius ejus celeberrimus ille in expeditione Trojana vates *Calchas* fuit, qui inde passim *Thestorides* dicitur.

TIPHYS, *Hagnii* filius, Apollodoro, Apollon. I, 105; Orpheo, 120; Valerio, I, 481; vid. Escchenb. ad Orphea. Hygino vero est *Phorbantis* et *Hymanes* filius, Bœotius; quæ mater mihi penitus ignota. Si vero *Phorbantis* filius fuerit, *Hyrmines* ibi legendum foret; illa enim *Phorbanti* nupta, et ita *Tiphys* fuisse frater *Actoris*, in quo de *Phorbante* quædam notavimus. Natum fuisse Aphormii, loco Thespiensium, et famam obtinuisse, ibi solutam et reducem appulsam fuisse navem, dicit Stephanus in Ἀφορμίῳ· et hinc Orpheus Θεσπεσιέων flumen, *Siphæum*, cujus et meminit Apollon. transiisse dicit, licet alii ex Tipha oppido oriundum velint; vide Pausan. IX, 33. Regem Aulidis fuisse quidam putant, ex Senecæ Med. vs. 622; quem alii ad *Canthum*, alii ad *Erginum* referunt, sed nos ibi jam nobis nondum liquere pronuntiavimus. Obiit in ipso itinere, ut Apollon. II, 856; ubi vide quæ Scholiast. et Val. Fl. V, 15; Hygin. fab. 18, et alii notarunt. Ammianus Marcell. lib. XXII, 8, ejus monumentum et *Idmonis* et *Stheneli* non longe a Tibarenis et Macronibus esse narrat.

TYDEUS, *OEnei* filius, Meleagri frater, quamvis ex diversa matre; hic enim ex *Althæa*, Tydeus ex *Peribœa*, Hipponoi filia (Hygin. fab. 69, ubi vide Munker.) quæ ab aliis *Eurybœa*, ut vidimus similem variationem in *Telamonis* uxore. De ejus genere egit etiam Maserius ad Val. Flaccum, I, 387; sæpe a Valerio Flacco, licet omissus sit ab aliis, ejus virtus, Meleagri fratris conjuncta, celebratur; vid. III, 104, 705; IV, 223, et V, 574. *Parthaonides* vocatur etiam ejus frater *Meleager*, III, 705, ubi alii *Tydea* intelligunt. Sed de hoc patronymico remisimus supra lectorem ad Heinsium in Ovid. Met. VIII, 541. *Portheus* ille ab Homero dicitur, Iliad. XIII, 115, ubi Eustathius videndus est.

ZETES, *Boreæ* filius, frater *Calaidis*, in quo de illis diximus. Ab illo literam Z fuisse inventam tradit Etymologi magni auctor in Ζῆτα, qui de eo et agit in Ζήτης.

Atque hæc de nobilissimis Græcæ juventutis principibus, quos in turbam et indicem conjicere nolui, sed locum proprium dare et conspicuum, ut qui hac doctrinæ parte delectatur, et poetæ nostri, aut alterius Argonautici lectione capiatur, in promptu habeat Lexicon quasi Argonauticum, quo recurrat, et memoriæ subsidium petat. Indicibus reliquis præmittere prius animus tulerat, sed metuebam, ut multos lectores, qui sæpius præfationibus et prolegomenis perlectis, abjicere solent libros, laterent. De ipsis indicibus etiam monere hoc in præfatione neglexi, illos, ut spero, cura majore et diligentia esse confectos, quam vulgo fieri solet: hæc enim provincia fere correctoribus aut mercenariis operis mandari solet, quia credunt librarii et plurimi alii, nihil facilius esse, neque magnis eruditionis aut sermonis latini copiis instructum esse debere, qui ad hunc ingratissimum laborem detruditur. Sed et hunc errorem vulgarem esse, vel solus docere poterit *Alardus* noster, quem vidimus ex propria penu nihil fere adducere potuisse ad poetæ nostræ decus aut lucem; non utiliorem operam in indicibus consuendis posuit, quum non dicam negligentiæ (cujus magna pars typographicis operis transscribi posset) tam crebra documenta dederit, sed inscientiæ et crassissimæ stupiditatis indicia exhibuerit, ut nesciam, qua fronte vir 27 annos natus, ausus fuerit talem abortum publicæ luci exponere. De mendis, in numerorum notis hærentibus, non agam operose, licet tot ac tantæ sint, ut nulla sit pagella, quæ non sufficiat fatigando lectori, qui frustra verba adducta in poetæ designato libro et versu quæret, ita ut index falsorum numerorum satis amplus confici posset. Sed ignorantiæ et latini sermonis, et inprimis metricæ disciplinæ, imperitiæ specimina longo ordine recenseri possent, quæ patronis Alardianæ industriæ et doctrinæ ruborem possent incutere. Nos paucis contenti erimus, ne calumniæ locus relinquatur. Sic legitur in indice *Capit*, VIII, 5, 89; atqui neutro loco id occurrit, sed priori est

cupit, posteriori est *caput*. *Cassibus* ponit post *Cassis* et ante *Cassus*, quasi ageretur de Galea, sed citat III, 122; et IV, 447; et VII, 443, in quibus est *casibus*, a *casus*. *Celerum*, VII, 310; atqui ibi ipse expressit *scelerum*. *Certus*, IV, 444; atqui ibi *cretus Agenore*. *Clavis*, post *clavi*, ante *clavo*, quasi a *clavus*, I, 140; VI, 708: atqui si loca respicias, reperies I, 146 (nam et in hoc vitium est), *Clanis* nomen proprium; et VI, 708, *Chlamys*. *Colla* inter alia loca, quibus legitur hæc vox, notatur IV, 618; V, 421, et ibi *Colchos* invenies. *Conscendere* III, 548: atqui ibi ipse *contendere* habet, nec aliter legi potest. *Cortina* I, 6, 708: prior locus recte notatur, sed in altero est *Gortyna*, urbs Cretæ, quæ cum *cortina* festive in unum locum cogitur. Scio quo se defendat, nimirum vitiosa Carrionis lectione. *Defuit* ex quibusdam locis adducitur; sed in duobus V, 428, 446 *deficit* legitur, etiam in Alardi editione. *Laborum* III, 377: atqui ibi *labem* legitur, ut et V, 236, *labes*, unde Noster *labos*, nec hoc adscribendum operis docet ordo literarum. *Læti* aliquot locis habet a *lætus*; sed IV, 113, legitur *leti* a *letum*, id est, mors. *Linguam* habet ex I, 560; sed ibi *linquam* a *linquere*, nec hoc operarum culpa, sed sua. *Manibus* multis locis; sed in quibusdam est a *manes*, in aliis a *manus*, quæ omnia confundit. *Maritæ* II, 145; sed ibi *meritæ*. *Monte* II, 28; III, 327; sed primo loco est *mole*, altero *morte* in ipsius editione: sic *Motibus* ex lib. II, 479, ubi ipse edidit *montibus*. *Plangere* VI, 566, tamquam infinitivus esset, sed ibi *plangore* legitur, nec errorem operarum esse, sed ejus, qui indicem confecit, apparet, quia mox *plangore* ex lib. III, 275 sequitur. *Planctum* III, 297; sed ibi *placitum* legitur. *Potentem* ordine literarum producit ex V, 585, ubi *potantem*. *Preciosa* III, 3, ubi *Percosia* legitur. *Premi* VII, 298; VIII, 99, priore loco recte, sed posteriore est *peremi*. *Qualis* variis locis, inter quæ I, 195, ubi *quatis* a *quatio* legitur, quæ vox suo ordine post *quatio* repetitur. *Signis* V, 139, ubi ipse edidit, *furor insignis*, quam vocem editor in-

dicis separavit in duas. *Solutus* VII, 412, ubi est *solatus*, nec aliter versui constaret modus. *Stat.* I, 174, ubi *sat.* *Statio* II, 566; III, 361, ultimo loco recte, sed qui potuerit in eumdem conjicere *statui*, ut ipse edidit priore loco, nescio. *Tactus* II, 526, ubi *tacitus pudor;* et iterum *Tectis* V, 334, ubi *tacitis*. *Tectos* II, 409, pro *textos*. *Tectum* exhibet plurimis locis, in quibus *tecum* legitur, et inde in *Tecum* eadem repetit, quum in prioribus *tectum* legerit. *Turba* multis locis, sed inter ea III, 349 legitur *tuba*, et sensu et metro ita poscente. *Turbant* duobus locis, sed IV, 510 est *turbine*, in qua voce ille locus omissus. *Turris* V, 683, ubi *terris*. Sed desinamus tædium his erroribus lectori creare, qui tamen pauci ex immenso acervo delecti, ostendunt *Alardum*, si ipse indicem confecerit, non intellexisse poetam suum. Neque credo ullum exstare adhuc hodie indicem, qui plura negligentiæ et ignorantiæ documenta exhiberet, nisi alterum, quem quidam *Maittaire* in Ovidium fecit, huic geminum adjungere velles, quem brevi ostendemus, *Alardo* summo jure posse sociari. Hæc causa satis gravis me impulit, ut curarem alium confici, qui quidem mendis non carebit (hoc enim nefas sperare), sed a tam crassis erroribus immunis, ut spero, lectores non fatigabit. Unum vellem quidem accuratius ubique observatum fuisse, ut ubi vox earumdem literarum, sed quæ diversi vel casus, numeri, personæ vel temporis esset, occurrit, semper ante alia verba esset repetita, quod aliquando neglectum esse nunc video. Exempli gratia *Currus*, quum sit in hoc nomine et similibus, singularis et pluralis numeri, genitivi singularis, et accusat. pluralis, eadem enuntiatio, debuisset distingui, ubi alius est casus, et ita in cæteris. Sed hæc leviora, nec lectorem morabuntur, qui si alios nævos deprehendat, humanitus eos commissos esse credat, et emendet ipse.

INDEX
VERBORUM ET LOCUTIONUM
IN
VALERIUM FLACCUM.

V, 132, 265. — ægra corda, III, 74. — odia, V, 146. — pectora curis, VI, 623. — verba, VIII, 163.

Ægis Minervæ, VI, 396; II, 97; VI, 174; IV, 670; VI, 653. — Ægida manet sudor, V, 288.— ægisonum pectus, III, 88.

Æmathia, II, 641.

Æmulus, I, 665. — æmula virtus, V, 87.

Æneades, III, 4. — Æneadum genus, II, 574.

Æolus, I, 417 et 598; V, 478.— Æolia, I, 576; VI, 354. — Æolius Phryxus, VI, 542. — Æolia domos, VI, 548. — pecus, VII, 54. — porta, I, 654. — Æolium aurum, VIII, 79. — genus, I, 770. — vellus, VII, 517. — Æolii penates, II, 595. — Æolides, I, 286. — Æolidæ, V, 462.

Æqualis cura, IV, 615. — caterva, V, 343; VI, 497; VII, 181. — puellæ, VIII, 142.

Æquare alas cornibus, VI, 160. — truncos bomo ense, VII, 620. — æquat pedes habenas, VI, 95. — æquatus Pelios fretis, II, 6. — æquata lux tenebris, IV, 731.

Æquo ordine eunt remi, III, 675. — æqui numero, VIII, 320.— æquis fluctibus venit unda, II, 505. — oculis prospicere, I, 795. — oculis sustioere, IV, 1.— superabilis, III, 648. — æqua rumpia, VI, 98. — virtus, IV, 151. — æquæ vires, V, 285. — æquum *pro* æquitas, V, 407.— æquissima sora leti, IV, 113.

Æquor, *pro* campo, VI, 30, 88, 105; VII, 469, 547, 553. — æquor adoriri, IV, 541. — atrum, III, 500. — cæruleum, VIII, 3. — clausum, IV, 688. — extremum, VI, 163. — frangere, I, 363. — fractom, VII, 583. — horret, II, 514. — iratum, VII, 582. — jacet, III, 732. — magnum, IV, 666. — motum e sedibus, II, 513. — obsessum scopulis, IV, 696. — placabile, I, 324. — procellosum, III, 621.—quæsitum per oras, II, 12. — rapidum, IV, 270. — recussum, V, 168.—rubrum, V, 77.— ruptum, II, 37.— sævum, II, 405; VIII, 193.— stratum, III, 605. — tantum, IV, 541; VI, 592.—tantum maris, II, 375. — totum, I, 707; IV, 657. — vacuum, IV, 588. — vibratum flammis, VIII, 306.— victum, V, 512.— æquore certare, IV. 566. — dirimi, I, 284. — ferri, IV, 56. — magno vestit puppim, IV, 666. — medio riget Pontus, VI, 328.— tanto repetere, VI, 592.—tuto currere, I, 306. — æquora Arctos, V, 620.— æquora candida velis, I, 381. — canent sulco, III, 32. — capessere, IV, 345. — corripere, I, 131. — domare velo, I, 600. — fervent, I, 641. — intrare, II, 12. — invertere in glebas, VII, 547. — involvunt puppes, VI, 412.— lassant vacuos visus, III, 661. — laxant sinus, IV, 720. — madere, III, 107.—movere, V, 44 et 229. — pandere, I, 526; VII, 553. — portæ Æoliæ, I, 654. — quæsita per curvas oras, II, 12. — servare, IV, 488. — sinuosa, III, 277. — subire, II, 586; VIII, 164 et 193. — tot vectæ, V, 670.— venti poscunt, I, 608. — vertere, VII, 469. — æquoreus Pater, I, 193. — rex, IV, 249. — æquorei busti egger, IV, 92.—æquorei divi, I, 138; I, 212.—æquoreos cursus tendere, I, 483. — æquorea Lemnos, II, 127. — æquoreæ undæ, III, 421.

Aer brevis, II, 524. — immensus, I, 497. — plenus pennis, I, 233. — vaporibus coquitur, II, 323. — aera interrogare, I, 233. — in aera producere, VII, 376. — aere septus, V, 401. — ab aere rami deducere avem, VI, 261.— aerius morus, II, 553. — aerius Perseos, I, 67. — aeria ornos, VIII, 113.

Æs tridens, *pro* rostro, I, 688. —

B.

C.

corda, III, 693. — pectora, VII, 176. — cunctatus multa, I, 757. — cunctatæ plantæ in limine, VII, 4.

Cunctua favor, III, 701. — cuncti populi, I, 559. — reges, IV, 212. — cuncta gens hominum, IV, 64. — manus, II, 662. — phalanx, VI, 53. — turba, VI, 626. — cunctæ catenæ, VII, 370. — domus, II, 128. — gentes, I, 196 et 815. — manus, VI, 80. — matres, II, 187. — moræ, VIII, 104. — terræ, VIII, 199. — umbræ, I, 784. — cuncta alligat sopor, VI, 444. — æquora, V, 229. — agmina, VII, 641. — ambigua, V, 301. — arma, IV, 747; VI, 476. — bella, III, 451. — claustra maris, I, 557. — ea juvant, V, 627. — fervere, I, 121. — lumina, IV, 389. — nova videre, IV, 424. — pavens, VIII, 449. — petens, III, 594. — promissa, VII, 518. — ruunt undis, II, 359. — silentia, VIII, 84. — simillima Phryxo, V, 363. — trahere, III, 317. — tuentes, II, 223.

Cuneos (per) miscet funera, VI, 632. — cuneis adactis gemit robur, III, 164.

Cupido hortator, VIII, 232.

Cupit condi tellure, VII, 299. — fari, VII, 409. — occurrere bello, VII, 628. — revocare, VII, 641. — cuperem haud advenisse, V, 535. — rumpere terras, I, 746. — cuperat vidisse, V, 81. — cupiens effundere omnia, VII, 434. — cupido festina et levis, VI, 472. — ignota, I, 839. — nulla, I, 846. — sera, IV, 247. — turpis, II, 131.

Cupressi nox, I, 774.

Cura angit, VII, 129. — belli et pugnæ, V, 534. — cavere tela, VI, 417. — demens alieni pericli, VI, 474. — ignota, VII, 173. — jugalis, IV, 354. — longissima, V, 365. — magistri, IV, 270. — nostra, III, 397. — nostri, V, 19. — omnis, I, 693. — parentis, I, 179. — ratis, I, 477. — sua reddita comis, VIII, 238. — suorum, III, 336; IV, 127. — tangit te mei, VII, 480. — viarum, VII, 26. — vulgi, V, 265. — curam fatetur genitor, IV, 415. — curæ acres, V, 549. — inexpletæ, VI, 759. — juvenis, VII, 350. — nullæ in virgine, V, 335. — subeunt, I, 759. — sunt vellera, I, 64. — superant, V, 53. — vigent, I, 55. — vigiles incumbunt, III, 447. — urgentes, VIII, 24. — curarum decreta, I, 536. — curas admittere, II, 399. — alere, VI, 660. — juvare, III, 702. — mittere, IV, 489. — pellere, I, 838. — reddere tumulo, VII, 209. — resides solvere, VIII, 220. — resolvere, IV, 703. — sociare, V, 282. — curis affixa mœstis, VIII, 233. — ægra pectora, VI, 623. — anxia variis, II, 113; IV, 7. — aspera nox, III, 362. — consors, III, 489. — dubiis variare, III, 623. — eripere, IV, 538; VII, 241. — exesa, II, 137. — nutans, VII, 153. — par, I, 733. — relinquere, II, 161. — sæva insomnia, I, 329. — nudare, V, 304. — curant non incendere prælia, VI, 92.

Currere æquore toto, I, 307. — fluctu, I, 265. — freta, IV, 336. — inter medias cautes, IV, 587. — tempora dictis, VIII, 467. — currit fusus fulgor, V, 244. — hiems profundo, III, 152. — currunt deserti remi, V, 120. — cursus ardescit, VI, 605. — oblatus, III, 614. — placidus, IV, 83. — princeps, I, 532. — cursus imperium, V, 14. — tempora, IV, 439. — cursum tenent undæ, II, 407. — cursu iræ, VIII, 184. — pari contendere, III, 548. — rostra tremunt, II, 77. — rumpere otia, III, 614. — secundo agere, II, 613. — cursus æquorei, I, 483. — subiti, II, 400. — cursus erudire, II, 49. — lætos ingredi, V, 70. — regere, III, 489. — rumpere, I, 3. — cursibus collatis,

DAN DAP

EDE

EDU

FAC

GAL GAU

HAB

HÆR

ICT

J.

Jacere mole gravida, VIII, 98.— jacet æquor, III, 732. — campus ante urbem, VII, 62. — chaos ore ingenti, I, 831. — circum, IV, 488. — cuspide externa, VII, 422. — Inachus antro aurato, V, 210. — plaga Asiæ et Pontus in lævum, IV, 211. — terra, II, 630. — unda campo, IV, 725. — jacent agmina, VII, 641. — jacuere perempti longe, III, 113. — jacens pontus, IV, 712. — jacentis mole expleri, IV, 322. — jacentum fata, II, 216.

Jacere faces, III, 349. — galeam, VII, 469. — hastam, VI, 208. — lustramina ponto, III, 442. — pharetras, V, 427. — semina everso campo, VII, 75. — jactare fera murmura, V, 652. — odores croceos, V, 591. — opes, II, 341. — jactata puppis, V, 296. — toro, VII, 21.

Jactura plaustri, VI, 331.

Jaculo levi apta, V, 610. — jaculis certus, I, 366. — horrere, I, 480. — jaculari facem, IV, 671.

Jamjamque, I, 223; VI, 597. — jam nunc, VIII, 47.

Janua Ditis horrida, VI, 113. — leti, III, 386; IV, 231.

Juba hydræ, III, 228. — jubæ Achivæ sidus lætabile, VI, 606. — jubæ altæ cecidere, VIII, 88. — cessere, III, 196. — jubas imposuit postibus, III, 25.—innexa ferro, VI, 111.

Jubar almum, V, 312. — diffundere aquis, III, 560. — evocare alto, III, 429.—luctificum venit, III, 292. — micat, V, 411. — multifidum, IV, 93.—placabile Phœbi, V, 332.

Jubeo ire in draconem, VIII, 71. —jubet abire, VII, 425. — arma depromere, V, 215. — armatos accelerare, V, 557. — carpere noctes, V, 48.—conjungere gressus, IV, 176.— explorare litora, IV, 134. — exuvias perferre, V, 492.—ire vias, IV, 371. — legere arma, IV, 112. — moliri puppim, I, 94. — monstra jungere, VII, 437. — pandi tecta, II, 651. — parere monitis, VII, 187. — sequi, VII, 300.—socios sistere, V, 191.— te evadere, VIII, 156.—vellus reddi, V, 262. — vesci, IV, 489. — vincla rapi, III, 691. — jubeas mitescere campos, VII, 281. — jussus ire ad tyrannos, VII, 134. — stetit contra Amycum, IV, 165.—jusso adire voluptas monstra, V, 482.—jussi Colchi, I, 66. — referre terga, VIII, 42. — jussos via fert, IV, 438. — jussa cohors vereri, I, 592. — jussæ oræ, III, 508. — recedunt, IV, 523. — jussa aspera, I, 200. — dare, I, 754. — dira, V, 660. — dolos volutant, VII, 92. — Eurystheos, I, 115. — ferre, III, 47. — freta, I, 74. — pati, VII, 95. — perficere, VII, 61. — recipere, V, 493. — regalia, I, 820. — reperire, I, 201. — retractare, VII, 71. — subire, VII, 429. — ad jussa sedere, I, 689. — jussis actus, VII, 138.

Jucunda dies, VII, 336.

Jugera eruere, VI, 130.

Jugulum aperire, III, 154.—jugulata ora, VII, 277.

Jugum adesum, II, 31. — comans montis, III, 404. — sacrificum, IV, 110. —jugi fundamenta ejectare, II, 31. — stridor, III, 566. — jugo ab omni solus stat, IV, 203. — juga ahena, VII, 596. — aspera perpeti, V, 490. — avia, IV, 286. — concava, IV, 594. — concita, I, 3. — diffundere, VI, 388.—dissona planctu, III,

LAB

MAG

572. — Doryclus, II, 149. — Enipeus, V, 209. — Eryx, II, 523. — Gradivus, IV, 602. — honor, IV, 76. — hostis, VIII, 428. — luctus, VI, 4. — Oceanus, IV, 90. — Olympus, V, 379. — parens, IV, 186. — pater, IV, 319; V, 645; VII, 214. — Phasis, V, 180; VI, 294. — pontus, IV, 513. — questus, III, 639. — rex, IV, 63; V, 301 et 625. — Sol, I, 44; V, 93; VIII, 282, 350, 458. — stridor, III, 566. — Tonans, IV, 119. — turbo, VI, 279 et 353; VIII, 367. — magni avi, I, 475. — clamores, VI, 521. — dei, I, 341; III, 412. — fratres, II, 365. — labores, V, 365. nati deûm, I, 1. — nepotes, I, 790. — obitus, I, 769. — reges, VIII, 339. — usus, I, 462. — magna Minerva, V, 505. — Perseis, VII, 238. — Pleione, I, 737. — magna cervice recepit senem, I, 349. — laude canere, I, 104. — mente velle, I, 272. — magnæ curæ, III, 362. — faces, II, 122. — iræ, IV, 521. — laudes fatorum, V, 83. — opes (var. l.), VI, 449. — ulnæ, I, 658. — magnum Ægæum, II, 365. — æquor, IV, 666. — astrum, V, 228. — cælum, I, 668. — decus, VIII, 37. — mare, I, 50; VII, 13. — minari, VIII, 460. — sonare, I, 262. — spirare, II, 184. — magna ausa, IV, 669; V, 662. — dicta volant, V, 600. — fata, I, 554. — millia, V, 274. — major Achilles Jove, I, 133. — audacia cœptis, II, 264. — fama, I, 7. — ignis, III, 137. — imago fama, II, 641. — imago leti, II, 206. — metus, III, 576. — nota vox sonat, II, 226. — somne ades, VIII, 74. — majores vires, VII, 353. — umbræ, II, 46. — majora carmina precari, VII, 352. — cernere, *de ebriis*, III, 66. — coire agmina, VIII, 429. — fata, IV, 126; VIII, 389. — maximus armis, III, 619. — arte Stygia, VI, 155. — horror, II, 23. — maxime Grajugenûm, II, 557. — maxima Circe, VI, 445. — pars, III, 631. — spes, I, 242; III, 183. — Tethys, II, 317. — maxima auxilia, VII, 325. — dicta dare, VII, 558. — nomina, IV, 224. — operum, III, 672. — sceptra tenere, V, 484.

Majestas infusa senectæ, IV, 552.

Malæ dulces pubescunt, VII, 340. — liquuntur vulnere, VI, 247. — sonant, III, 166.

Maleæ arx, IV, 261.

Malignus Phasis, VII, 229.

Maluit occumbere hac dextra, VI, 309. — vellus contingere Ancæo, I, 377. — mallet talia robora, V, 569.

Malus celsus, I, 312. — tremulus, I, 620. — velifer, I, 126. — mali cornua, I, 312; VIII, 294.

Malus Æetes, VI, 12. — mali affatus, VI, 473. — clamores, I, 646. — malum serum, V, 262. — mali nube percussus, III, 573. — malo obnixa mens, VII, 157. — mala gaudia leti, VI, 178. — malorum causa, VII, 37. — finis, IV, 63 et 581. — oblita, VIII, 238. — malis cedere, IV, 308. — digna, II, 471. — male lætus, II, 556.

Mammæ cingula, III, 526.

Manat juba sordida, III, 740. — manant tempora, IV, 308.

Mandere æquora compressa, III, 106.

Mando furiis cætera, VII, 170. — mandat hæc Perses, VI, 26. — mandata edocere, V, 15. — mittere *alicui*, VI, 334.

Manere in statione, VIII, 379. — regnis paternis, V, 241. — tutum, III, 659. — virum, II, 138. — manet certa lege fati, IV, 709. — custos te in Æolio vellere, VII, 517. — dicta thalamis *alicujus* virgo, VI, 268. — dura, VII, 160. — impatiens somni, I, 296. — ira, III, 384. — nox Dorica lustris immotis, II,

573. — ordo rerum illum, V, 681. — pœna *aliquem*, I, 848. — projecta toro, VII, 321. — sors sæva animam, VII, 441. — sudor ægida, V, 288. — te effigies, V, 209. — terror urbes, VI, 46. — tibi si genitor, VI, 305. — manent bella, III, 296. — fata, IV, 121; V, 88. — fixa, I, 533. — gaudia revectos, III, 654. — meliora insontem, V, 459. — ministri insomnes, III, 121. — naves in statione, VIII, 379. — signa, IV, 202. — te conjux natæque, VII, 486. — te regna, VII, 486. — tibi Pollux et Castor, III, 668. — vellera, I, 447. — manebant hæc juvenem, III, 352. — manebo memor, VII, 477. — mane, II, 440. — manserit haud tibi decus frontis, IV, 241. — mansura per omne ævum, I, 286.

Manes acti per litora, III, 219. — deligere, VII, 208. — extremi, V, 82. — piorum, I, 650. — placare, III, 408; V, 99. — præmia, IV, 231. — Stygii, I, 731. — turbati, III, 409.

Manicæ truces, II, 463. — virides, III, 524. — manicis insignis, VI, V, 701.

Manifestum lumen, I, 105.

Maniplis unctis sic est coma culta, 592.

Manus agrestum, I, 684; II, 461. — Argoa, III, 3 et 430. — Argolica, VI, 286. — ausa capessere nomen bello, I, 541. — compescuit Pholum, I, 338. — congruit, II, 307. — creatrix belli, V, 144. — dicta tibi, III, 671. — digna, IV, 588. — exspectata, IV, 437. — externa, V, 250. — fida, I, 812. — fundit se, II, 662. — Graia, V, 116. — heroum, IV, 324. — horrens thoracibus, III, 88. — horrida matrum, II, 306. — incita dictis, III, 691. — incurrit ensibus, III, 111. — infelix, III, 95. — infremit, I, 707. — invida, I, 509. — Jovis, IV, 414. — Neptunia, V, 165. — Œbalia, VI, 220. — omnis in unum it, VI, 371. — omnis versa ad unum, III, 283. — parva natorum, V, 23. — primæva huic deditur, II, 481. — sortita excubias, III, 71. — Thressa, II, 344. — manum conserere, III, 123. — dare, I, 41. — implicare, VI, 488. — mittere pelago, I, 545. — tendere, IV, 145; VI, 304. — manu *alicujus* exstingui, III, 295. — *alicujus* mori, IV, 243. — cæca rapere, III, 80. — certare, VI, 314. — comprensa vina trahere, III, 609. — dignata carinam, II, 50. — ferre piacula, II, 601. — fundere, VI, 139. — gerere, III, 461. — gesta, III, 461. — gestare ora singultantia, I, 212. — insignia virgæ, IV, 139. — jungere fœdera, IV, 216. — prensum detruncare, III, 145. — prensa profari, III, 534. — prensa vincula, V, 160. — projicere arma, I, 527. — pulsus, III, 493. — retinere sceptra, III, 394. — subire, II, 606; VII, 460. — tacita crescit arundo, VI, 262. — tenere telum, III, 155. — manus Æmathiæ, II, 641. — ambæ cadunt in pectus, IV, 301. — armare, II, 182; V, 667. — artificum notare, IV, 287. — auferre, II, 544. — Cessææ, VI, 130. — conferre, II, 222. — effusa, I, 762. — extremæ, I, 293. — ferre, I, 807. — ferre ad orbem Phœbi, III, 437. — fugere ora, IV, 491. — funereæ, III, 336. — Geticæ, II, 232. — injecta avidas, III, 562. — intendere, IV, 648. — jungere, I, 636; VI, 484. — labuntur, I, 290. — leves, III, 126. — Martis memorare, V, 132. — mille ciere, I, 754. — nil ausæ sine rege, III, 231. — omnes sprevere polluerunt-que, IV, 457. — pias armata, II, 249. — picta, II, 150. — ponere fessas, IV, 699. — primæ a matre, VII, 621. — rediere, IV, 673. — sociare, V, 290. — sociæ, III, 268. — socias conse-

rere, III, 30. — spargere cæde, V, 341. — tendere, II, 255; VII, 270.— tollere, II, 507. — truces exserts, II, 207. — vestras memorate, V, 132.— manibus ab unis pendet, V, 20. — cæstus deducere, IV, 275. — dari, III, 104. — datis, III, 14. — epulas gestare, II, 654. — excussi remi, I, 618. — uncis immurmurare, VII, 312. — in manibus spes tois, VI, 460.

Mapale sparsum, II, 460.

Mare agitur remis, II, 77. — aliud dirimit, VIII, 365. — Tuscum, VII, 234. — imum, II, 530; VIII, 325.— longum, III, 354. — longius quam quod vetet tela, VIII, 304.—magnum, I, 50. — occupare, I, 354.—perfurit, VIII, 382. — reficit sidera, II, 62. — remo mittitur in puppim, III, 474. — Scythicum, I, 345. — silet, VII, 542.— sorbet puppis, I, 638.—spargit lux, V, 318. — tacitum trahit puppis, I, 479. — tantom, VI, 25. — tristius superest, I, 631. — tumidum, VII, 113. — maris æquor, II, 375. — claustra, I, 557. — Dii, III, 359. — formido, V, 190. — insidiæ, I, 416. — iræ, I, 37. — metas urget currus, II, 34. — numen, I, 50. — os tumidum, II, 646. — pater, IV, 571. — rex, I, 414. — sedes imi, II, 529.—victor, I, 345.—mari accipere ratem, I, 217. — acta fulmina ferre, III, 355. — exagitare, VII, 104. — incumbunt venti, II, 159.—ire, VII, 113. — lumina spargere, V, 248.— matura proles, I, 54. — medio nus cerne, V, 668. — metiri monstrum, II, 480. — referre signa, II, 110. — volare, I, 741.—maria diffugere, IV, 645. — obvia, VIII, 372.

Maritus Hæmonius, VIII, 183. — maritos reges et reges stavos stat mœrens, II, 343.

Marmor Parium, V, 188. — marmore in medio truncare eervos, VI, 568. — in sommo prætentare tonsas, I, 313.

Mars, *pro* bello, I, 223. — peractus, VI, 436. — remissus, V, 277. — sævus, VI, 28. — secoodus, VI, 602.—Martis agri, VI, 336.—amor, VI, 156. — equi, III, 90. — manus memorare, V, 131. — potens dux, III, 151.— umbra, V, 229. — Marte æterno cadit, VI, 39. — cadere, I, 810. — cerere, VI, 751. — cruento committere, VIII, 395. — fatigare diem noctemque, V, 602. — martius clamor, II, 388. — clangor, VII, 610. — currus, III, 83. — martia acies, VI, 66. — cassis, III, 53. — tigris, III, 635. — tuba, I, 319. — Martia templa, V, 641.

Mariandyni, IV, 171 et 733.

Massa afflicta, IV, 613. — antiqua chaos, I, 830. — incussa, II, 339.

Massagetes, V, 126.

Massylus, III, 728.

Mater, V, 354; VII, 242 et 248. — *pro* arbore, III, 709. — amorum, VII, 171. — Hora, VI, 58. — Idæa, II, 536. — impulsa, III, 265. — mœsta, VI, 149; VII, 635. — Mygdonia, III, 47. — omnis exhorruit, II, 203. — pallida, VII, 375. — pavida, II, 87. — sæva, VII, 148. — matris egens, II, 153. — matri aderunt numina, IV, 34. — nota ora ferre, IV, 241. — matrem collapsam sustinere, I, 348. — matre cadere, I, 355. — a matre primæ manos, VII, 621. — matres aliæ, VIII, 141. — Phariæ, VII, 113. — solæ per mœnia, III, 247. — stant litore, I, 494. — matrum crimen, II, 80. — corda evicta, II, 186. — dolor, III, 282. — gemitus, I, 318. — manus horrida, II, 306.—matres dolor instimulat, II, 133. — maternus sanguis, V, 267. — materni laboris, V, 515. — materna ætas, II, 325. — arundo, VI, 564.— soror, VI, 224. — unda, V, 105.

NAS

OBI

PAG PAL

QUA QUE

—nomine *aliquem*, V, 590. —nutrimenta, VI, 571. — promissam spem, VII, 427. —pugnas, V, 693. — terris animas has, I, 675.—terris Hæmoniis vellera, VI, 19. — vellera tholo, I, 57.—verba nuntia, I, 440.—reddit arbor monumenta fugæ, VIII, 119. — navis Iolcon, I, 171. — reddunt æra sonum, II, 259. — reddo diem mihi, VII, 246. —Phasin, II, 379.—tyranno me, VII, 491.—reddi vellus jubet, V, 262.—redditur mora dictis, VII, 515. — redditus tandem, VII, 649.—reddita cura comis, VIII, 238. — pax silvis, IV, 20. — tuis tandem, VI, 217. — vox, I, 209. — reddita dona, V, 504. — justa omnia cæsis, III, 366.

Redire ad freta, III, 24. — ad pabula, IV, 586. — montibus, III, 687. — quocumque modo, VII, 139. — redit ad tonsas, V, 66. —animo meo, IV, 577. — cauda, II, 502. — cupido sera, IV, 247.—dies et it, VII, 229. — Gortyna plenis pharetris, I, 708. — ingenti triumpho, V, 125.—mons in nubem, II, 16. — navis lacertis, I, 441. — oculis et pondere huc, IV, 290.— pater venatibus actis, III, 67. —projectus, IV, 268. — ratis in proram, V, 212. — sol in sua litora, V, 732. — redeunt gandia victis, VI, 513. — nubila in montes, I, 656. — præmia sua menti piæ, II, 310. — singula menti, VIII, 160. — si numina, II, 485. — victi, V, 66. — redire animi viris, III, 468. —dolores, II, 610. — fessæ sagittæ, VI, 77. — manus, IV, 673.—monitus, IV, 187. —soliti Pelasgi, III, 45.—redeuntem ostendere terris, VIII, 199.—redeunte nervo, I, 437. — redeuntibus aura gratior, VIII, 175.—redeuntia sidera nutu, VII, 499.—vela legere, II, 13. — reditura Argo, I, 273. — cerva in lucos Dianæ, VI, 73. — reditura semina cælo, III, 382. — reditus quinam, III, 304. — reditus cassi pudor, VII, 59.—reditus dare, VII, 89.

Redimitus tempora vittis, I, 278.

Redolentem arcano nectare rorem, IV, 15.

Reducere ad patrium amnem, V, 421.—pacem, V, 691.—reducit cerva gregem, III, 633. — reducunt fata te mihi, I, 323. — reducebat noctem polus, V, 108. — reductis passibus, V, 375. — reducta cervice, IV, 266. — reduci annuere superas arces, II, 94. — reduceu referri patriæ, VII, 100. — tondere, I, 379.

Refellere prima monstra deum, III, 355.

Referre acies, II, 658.—ad aures, VII, 268.—*aliquem*, V, 588.—arma credita, VI, 215. — auditas voces, II, 321. — casus locorum, IV, 349. — cœpta, III, 503. — cornua Phœbes, IV, 361.— decus, III, 346. — dracones in templa, II, 276.—fata peremptí, III, 735. — frondes patriis oris, IV, 336.—gentes visas, I, 173.—imo pectore voces, VI, 496. — monstra, III, 610. — nomen ad patrias urbes, VII, 130. — nomen amici, I, 563. — nomen umbris, IV, 313.—oculos, I, 561; VI, 586. — ora ad *aliquem*, VII, 78.—orbes armatos, III, 347.—pedem, VII, 112. — pellem in ora, VIII, 126. — puppim medio ex æquore, VIII, 144.—se ad socios, VII, 614. — se in mœnia, VII, 538. — se sine honore, I, 514. — vela, II, 423. — vulnus, VI, 275. — vultus attonitos, III, 532. — refert deus quis ab actam, VIII, 51. — fama, I, 47. — nox silentia terris, V, 280.—scyphus Bacchum, II, 272. — referunt liquidi miranda colores, II, 467. — flumina hos terris Thessalicis, V, 684. — referat hunc me dies, VIII, 51. — referamus qua via, V, 324. — referri portu, III, 42.

Reficit lux insomnem, VII, 23.—

SAC

stare, V, 580.—stricti amnes, I, 513. — enses, I, 820; III, 111. — stricta avena, III, 524. — strictæ cantes, II, 449.—strictum ferrum, III, 245.

Strophades, IV, 513.

Struere, *pro* intexere, I, 430. — et apparare, III, 586. — funera, III, 617.—miracula, V, 453. — nefas, II, 101. — pugnas, VI, 728. — puppem, V, 295.—reges per sæcula, I, 535.—structa puppis, I, 603. — structæ in litore mensæ, III, 570.

Studium arvorum, I, 103. — mortales pellere curas, I, 838. — studiis freta juventus, III, 628. — quies, V, 625.

Stupere ad ratem, IV, 712. — *aliquem*, II, 510. — fragorem, II, 620.— in ducibus, I, 262. — miranda, I, 149. — omina, V, 97. — prodigiis, I, 742. — surgentem toris, II, 510. — stupet Æetes, VII, 640. — Æsonis proles Phinea, IV, 549. — ales clamoribus, IV, 72. — hospes Iazarten, V, 597. — mater aggere ripæ, VI, 149. — nox umbra, VII, 393. — stupuit insolito duce, V, 376. — stupuerunt flumina bruma, V, 603. — freta ad subitam ratem, IV, 712. — stupefacta agmina, VI, 228. — profundo, V, 338.

Styx tacita, I, 464. — Styga ceu fugere, IV, 401. — deprendere visu, I, 464. — Stygii fontes, VII, 364.—manes, I, 730. — Stygia ars, VI, 155. —nox, III, 398. — ripa, II, 602.—sedes, III, 450. — vis, VIII, 87. — Stygiæ domus, I, 781. — minæ, III, 446. — tædæ infanda ad fœdera, II, 173. — virgines, II, 106.

Suadet concurrere, III, 548. — intendere campis, VI, 600.

Sub ævo primo, VII, 328. — altas trabes pervenire, VII, 394. — astris movere, VIII, 454. — crudo frigore, VII, 230. — dentibus frangere hostem, III, 589. — extremo funere, V, 227. — ictu sonant ossa, III, 165. — ictu uno, II, 359. — ignes, II, 72.— imagine sæva, IV, 637.—imo pectore, III, 240. — ipsa morte cara dies, VII, 336.—lumine trepidant puppes, III, 132.—nomine pendere, III, 600. — nomine procerum, II, 329. — numine toto Phœbi, V, 484. — ortu extulit regem, VII, 539. — pectora agere vires, VI, 603. — pectore gaudia tollunt, IV, 3. — virgine trepida puppis, V, 221. — uno die formare, VIII, 288.

Subducere sorti, VI, 624.

Subest culpa, VII, 386.

Subigere pontum remo, I, 471.

Subire æquora, II, 586; VIII, 161. — *aliquem*, II, 556. — congressu iniquo, VI, 322. — furto Idalium, VIII, 229. — honores, III, 702. — jussa, VII, 428. — juxta, VII, 404. —manu, II, 606; VII, 460. — maria, V, 661. — ora juvencæ, IV, 357. — ostia, V, 185. — penates, V, 570.— portus, VII, 85. — ruentem manu, II, 606. — sæva saxa, VIII, 192. — semina, VII, 554. — terras, VIII, 322.—umbra ingenti, II, 519.—subit animo, VI, 439.—dolor, III, 230. —horror, VIII, 67. — bos inter, IV, 299. — ilia cuspis, III, 105.—imago, I, 712; IV, 188. — medium trunco ligno, VI, 251. — Pollux, IV, 299. — pone pecus, IV, 198. — subeunt æquora remi, VIII, 161. — ceræ lumina, I, 128. — curæ, I, 759. — suspiria luctus, I, 713. — subeat metus Hecates, VII, 182. — subiisse viros fama est, IV, 736. — subeuntia astra caput Oceani, IV, 90.

Subitus amnis, III, 101. — apex frontis, III, 188. — dies horruit imbre, II, 51.— focus, III, 115. — fragor, II, 477. — Mavors, VI, 694.— metus, I, 693. — Neptunus in hasta, I, 641.— tremor, IV, 490. — tumultus, II, 312.— turbo, I, 620. — sub-

TAC

UBE

UDA

VAC

VAD

ZEP ZON

TABULA

RERUM

QUÆ IN HOC POSTERIORI VOLUMINE CONTINENTUR.

FINIS POSTERIORIS ET ULTIMI VOLUMINIS.